This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

ERASMUS REDIVIVUS

605.2
E65.9
S345



ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

ERASMUS REDIVIVUS.

ERASMUS REDIVIVUS

SIVE

DE CURIA ROMANA HUCUSQUE INSANABILI.

SCRIPSIT

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN.

Non enim possumus aliquid adversus veritatem sed pro veritate.
Ep. II. ad Cor. 13, 8.

HALIS
SUMPTIBUS ORPHANOTROPHEI
MDCCCLXXXIII.

605.2
E65.9
S345

ANDO R-HARVARD
THEOLOGIC LIBR
CAMBRIDGE, MASS.

JUSTO JACOBI

AMICO A JUVENTUTE CARISSIMO CANDIDISSIMO PROBATISSIMO
COLLEGAE CONJUNCTISSIMO

VIRO ERUDITO BONARUM ARTIUM AESTIMATORI
INTELLEGENTISSIMO HUMANISSIMO

THEOLOGO EVANGELICO
NOVI TESTAMENTI ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE INVESTIGATORI
RELIGIOSO SAGACI INGENIOSO

HUNC LIBRUM

IPSIUS BENEVOLO CONSILIO

PROBE ADJUTUM

GRATO ANIMO DEDICAT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quemadmodum veritati ac paci prout potui inservire hoc libro studuerim et quid sibi velit duplex ejus inscriptio, altera magnum unius cujusdam aetatis nomen prae se ferens, altera ad longum seculorum decursum et ad praesentem ecclesiae Romanae condicionem respiciens, ea omnia, quisquis eodem consilio, quod scribendo sequebar, scripta legere et examinare operae pretium duxerit, Prolegomenis satis abunde indicata inveniet.

Nunc vero ut nonnulla illis adjiciam singulari causa adductus sum. Quippe superiore anno quinque priorum hujus libri capitum trecenta fere exemplaria, ‚programmatis paschalis' nomine, ut vetus fert consuetudo, typis expressa, ab Universitate Halensi ad certos quosdam viros eruditos et bibliothecas publicas missa sunt. Quorum exemplarium unum nescio quomodo centricam Comitiorum Borussicorum factionem mirum quantum irritavit. Itaque mense hujus anni Martio tres ejus antesignani coram augustissimo conventu, moram ac taedium ei afferre non veriti, de commentatione, quam vix leviter se inspexisse non negabunt, gravissimum judicium tulerunt; contra eandem, quasi non ad res gestas aperiendas, sed ad convicia ecclesiae catholicae ingerenda scripta esset, trium orationum partim satis longarum fulmina emiserunt; denique ab illustrissimo Ministro Regio postulaverunt, ut publica auctoritate et scriptorem quam severissime castigaret et libro ejus posthac evulgando se opponeret. Quod quum assecuti non essent, quin immo parvum libellum Latinum, quod obscurare in animo habuerant, inviti illustrassent, prudentissimum quemque factionis sodalem

incepti poenituisse crediderim. Fortasse etiam nonnulli, si quidem, quae de libri mei origine dicturus sum, sedatis animis consideraverint, de consilio meo se male informatos fuisse confitebuntur. Certo viri probi me verum simpliciter dixisse facile intellegent.

Semper jucunda mihi fuerat accuratior illorum temporum contemplatio, quibus renascentium, quae dicuntur, litterarum cultores, magna paulatim atque libera societate litteraria apud omnes fere Europae gentes condita, ad novam et ecclesiae christianae et universae culturae humanae aetatem praeparandam haud parum contulerunt. Itaque jam Bonnae quondam duas commentationes composui, alteram de reipublicae illius litterariae originibus, alteram de Melanchthone ejusdem reformatore. In prioris fine Erasmi mentionem feci, utpote a quo novum illius reipublicae seculum exorturum fuisset. In altera ostendi, Melanchthonem, quum in universitatibus et scholis nostris perpetuum humanarum litterarum et religionis christianae foedus faceret, vestigia pressisse Erasmi. Reliquum erat, ut de hoc ipso, ‚reipublicae litterariae principe', dissererem. Quare jam tunc multa ex ejus libris excerpta collegi, alia postea per temporum intervalla adjeci.[1] Ad ea vero omnia digerenda, supplenda, effingenda nuper demum, quum programma illud scribere meum officium esset, reversus sum.

Erasmi non vitam narrare sed ejus imaginem, diversarum partium opinionibus et affectibus deformatam, veram et quasi redivivam repraesentare volui. Quem ad finem quam creberrime ipsum suo proprio sermone latino loquentem inducendum ideoque totum librum latine conficiendum putavi. Ipsius verbis adhibitis id quoque assequi studui, quod summi momenti erat, ut demonstrarem, quomodo ille, praeclaro consilio ductus, licet non sine infirmitate humana, Lutheri causam propter evangelium foverit, propter fatale discidium per secula duraturum impugnaverit. Quibus de rebus accuratiora et justiora, quam quae hucusque tradita sunt, proferre

1) In notis huic libro additis ‚Erasmi Opp.' sive ‚Opp.' significat editionem Clerici, cujus tomo III. (‚Opp. III.') epistolae continentur; ‚Erasmi Epp.' ‚Epp.' priores epistolarum editiones.

me posse speravi. Quid profecerim, candidi eruditique viri ex iis, quae priore hujus libri parte inde a capite tertio continentur, videant et judicent.

Hanc partem jam nunc edendam esse censui, quamquam bina ejus capita priora ad totum opus spectant, altera demum parte absolvendum. Quae, si Deus vitam et vires servaverit, proximo anno prelum relinquet. Multi quidem fortasse melius me facturum fuisse existimabunt, si omissis una cum tota parte altera rebus omnibus, quaecunque nostra tempora attingunt, sola illa edidissem, quae circa Erasmi personam versantur. Quid ad transeundos arctiores ejusmodi tutioresque fines me moverit explicabo.

Quum Erasmum, nobilissimum et unitatis ecclesiae et libertatis evangelii defensorem, mente intuerer a Curia usque ad obitum reverenter honoratum, opus meum perfectum non fore mihi visum est nisi descripta aliquatenus magna illa rerum mutatione, qua paulo post factum est, ut a parte monastica, inprimis a Jesuitarum societate, et ille ipse mortuus damnaretur et eorum, qui cum eo sentiebant, plerique vi opprimerentur. Simul animo meo se obtulit recens earundem partium victoria, qua ita illae sunt usae, ut ultimas Erasmici ingenii reliquias, immo ipsum quasi Erasmum redivivum ex ecclesia Romana ejicerent. Has cunctas res cum iis, quae ad ipsum Erasmum pertinent, uno libro connectere placuit. Qua hujus libri ratione consilioque factum est, ut secundo capite turbas concilio Vaticano in Germania concitas breviter enarrarem. Haec maxime voluminis particula, ante plus duos annos composita et doctis viris destinata, a centrica factione ad universum populum delata est. Quare ipsa ab egregio quodam theologo juveni germanice versa, praemisso commentariolo meo de praesenti turbarum illarum statu, seorsum prodiit.[1]

1) Inscriptum est libello: Der deutsche Gewissenskampf gegen den Vatikanismus. Halle 1882. — Adnoto hoc loco, verba Pii IX., quae illic p. XXX. relata sunt, ab ingenio ejus non aliena, a falsario quodam ficta esse. Quod ipse indicavi in: Deutsch-evang. Blätter 1882 p. 504 (in fasciculo d. III. m. Jul. edito).

Iam peto, ut illa omnia una cum ceteris libri mei partibus, quibuscum uno eodemque consilio ac fine connexa sunt, denuo dijudicentur. Quae adversarii allatis argumentis serio contra me egerint, diligenter examinabo.[1] Qui vero res gravissimas silentio praetereunt ac dissimulant, singula levioraque clamore potius et contumeliis quam argumentis impugnant vel disputationibus suis ,excolant culicem, camelum glutiunt,' eos contemnendos esse multi etiam Romano-catholici mecum arbitrabuntur. Supersunt enim, qui a grassante illic veri neglectu et contemptu abhorrent. Quorum quamquam plurimi occulte gementes silentium tenent, tamen patefacta singula talium suspiria in prolegomenis memorare potui; alia ejusdem animi indicia, quae publice proferre nolo, etiam nuperrime animadverti. Viris igitur eruditis qui ita sentiunt, si non mea, at Erasmi verba haud ingrata fore confido. Hic enim scepticus (quem quidem Lutherus putabat), quum iisdem malis, quae illi nunc conqueruntur, constanter occurreret, numquam dubitavit quin veritas in ecclesia per eamque in universo orbe victrix tandem futura esset, neque vero tantam spem in humanis viribus sed in solo ecclesiae Domino collocabat. Quare quicunque sinceri Christiani sunt, sive catholici sive evangelici cognominis, ii si hunc virum probe perspexerint, quamvis de quibusdam rebus jure eum reprehendant, tamen christianum pectus cum miro ingenio divinitus dato cunjunctum in eo agnoscent sibique omnibus etiam nunc discendum aliquid ab eo esse concedent.

Halis d. I. m. Sept. a. MDCCCLXXXII.

C. Schlottmann.

---

1) Cf. quae extremo cap. I. p. 26 dicta sunt.

PARS PRIOR.

PARS PRIOR.

I.

Prolegomena.

Inter ingentes humanarum rerum mutationes, quas nostra memoria, inprimis novissimo decennio, factas videmus, haud infimum locum Concilii Vaticani decreta exortique inde per plures orbis terrarum partes motus obtinent. Romana curia, postquam labascens antiquitatis ruina esse permultis visa est, magnum illud mundi imperium, a Bonifacio VIII. bulla infallibili, quae nunc dicitur, quondam proclamatum, inexspectata audacia iterum affectavit; certe quantum adhuc valeret, adversariis et contemptoribus satis superque ostendit. Surrexit contra eam apud omnes fere christianas gentes recentiorum temporum ingenium eoque nixa civitatum, quales nunc sunt, auctoritas. Quo ingenio quasi sua proprietate temere gloriantes novae cujusdam paganitatis patroni in papismo ipsum christianismum oppugnaverunt hujusque finem instare imaginati sunt. Ejusmodi sententia nostris diebus Romae majore quam ubivis protervitate in ipsis sollemnibus universi populi Italici comitiis plus semel prolata est. Non mirum quod alii in papatu ipsum christianismum defendendum sibi esse pio ac sincero animo arbitrati sunt, alii magis magisque inter papismum et christianismum, in quo solo etiam nunc omnium gentium salus sita esset, distinguendum esse putaverunt. Intravit nimirum denuo interea in Hispaniam et Italiam purioris evangelii praedicatio, per tria secula diris caedibus et sanguinolentis legibus illinc exclusa. Simul vero fidelissimi eousque atque honoratissimi quidam Romanocatholicae fidei vindices, hierarchiae quidem sacerdotali ejusque primatui sed non inveteratae ejus corruptioni patrocinantes, desuetam jamdudum reformandae ecclesiae et curiae Romanae vocem resuscitaverunt. Quorum unum eximium quendam inter Germanos, Doellingerum, nonnulli, quum omnem reformationem ut opus supervacaneum perhorrescerent, Erasmum redivivum

nuper nominaverunt, quasi defensa ab illo causa hoc uno verbo ut decantata jampridem et deperdita prostitueretur.

Qui ita loquuntur ignorant, quam grave dicant testimonium contra se ipsos et pro veritate. Nesciunt se oratione sua non cum adversariis, sed secum ipsos pugnare. Confitendum scilicet iis est, non solum in Doellingèro sed in multis praestantissimis viris, qui cum eo curiae Romanae morbum vix sanabilem deplorant, revixisse Erasmi ingenium idque pro nostrae aetatis condicione quasi juvenescens. Hos viros nuper demum excommunicatos vel illi ipsi vel ipsorum socii non multo ante velut ecclesiae suae lumina celebrabant. Nunc sane de excommunicatis boni aliquid praedicare nefas existimatur. Verum ipse Erasmus, nunquam ex ecclesia exclusus, usque ad vitae finem summam in ea amplitudinem et auctoritatem habebat. Omnes illius temporis papae, Leo, Adrianus, Clemens, Paulus, cum mirum ejus ingenium summopere praedicabant, tum auxilium ejus ad arcenda gravissima, quae iis videbantur, ecclesiae pericula impense appetebant. Immo is, quem unum inter eos sincera pietate fuisse constat, Adrianus VI., majore quam ceteri studio ejus consilium exquisivit eumque contra calumniatores, obscurorum virorum cognomine jam famosos, defendit atque tutatus est. Isti scilicet soli fere tunc temporis in Romana ecclesia Erasmo adversabantur ac maledice de eo loquebantur. Neque postea illic defuerunt, qui contra obtrectationes a Jesuitis maxime recoctas eum defenderent. Hoc animo etiam seculo octavo decimo vir eximius Francogallus Burinius vitam Erasmi scripsit, in laudando et vituperando quantum potuit veritatis justitiaeque studiosus. Quare iis maxime, qui ecclesiam Romanocatholicam decretis Vaticanis non mutatam esse neque reformatione egere contendunt, nisi forte ad hodiernos obscurorum istorum virorum patronos et imitatores transire velint, probe inquirendum esse existimaverim, qualis Erasmus revera fuerit et unde factum sit, ut ejus ingenio, a tot Pontificibus celebrato, post Pium IX. nullus omnino locus Romae relinqui videatur. Quod quum illi investigare ipsi negligant, ego aggressurus sum, non bellatorio ardore instigatus neque eorum immemor, quae partim suo jure Erasmus in Luthero ejusque asseclis vituperavit, sed universae reipublicae christianae studio ductus ejusque concordiae, quam idem Erasmus altiore quam plerique putant animo persequebatur, pro virili parte inservire cupiens. Interdum enim praeteritarum rerum veritas historica candide proposita praesentium quarundam rixarum quasi medicina esse potest, exigua ea quidem ut videtur ac tarda neque tamen contemnenda. Quam medicinam quibusnam hujus temporis malis etiam ea, quam supra innui, investigatione

suscepta adhibendam esse censeam, his prolegomenis paulo fusius explicabo.

A magnis illis animorum motibus, quibus ante haec tria secula communi omnium fere gentium Europaearum vitae nova quaedam forma impressa est, et a diversis, quae de iis feruntur, judiciis etiam nostrae aetatis fata multo magis, quam haud pauci credunt, pendere constat. Erant jam illis diebus inter humanarum artium cultores permulti, qui traditum quondam ex Judaea laetum nuntium pro inveterato seculorum errore ducentes, instare tempus praedicerent, quo omnis religio, per aliquod fortasse tempus propter indoctum vulgus adhuc conservanda, prorsus ruitura esset. Quam opinionem etiam tunc praecipue Romae et in universa Italia latissime patuisse notissimum est. Sed longe praevaluit inter summos quosque nobilissimosque illorum temporum viros, etiam Italos, alia animi sententia. Nullam esse generi humano nisi in religione christiana salutem persuasissimum sibi habebant; huic pristinum et nativum suum vigorem ita putabant reddendum esse, ut ecclesiae reformatio tamdiu desiderata denique perficeretur, ut a tot externorum operum, ceremoniarum, fabularum, superstitionum farragine hominum animi ad internum et spirituale prisci evangelii mysterium revocarentur, denique ut plena iis libertas illa restitueretur, quam Judaismi servituti oppositam Paulus apostolus praedicat eamque a Christo unico domino et magistro nobis recuperatam. Consentiebant cum in his omnibus, tum in vindicanda libertate christiana praestantissimi diversarum partium viri, quorum quasi antesignani Erasmus et Lutherus fuerunt. Sed de efficiendi id, quod volebant, via ac ratione discordes erant. Alii curiae Romanae morbum, quem gravissimum esse meliores Papae Adrianus VI. et Marcellus I. confessi sunt, adhuc sanabilem existimantes inveterata Ecclesiae mala, donec paulatim reformarentur, patienter ferenda esse dicebant, nimiam vero Pontificis potestatem coram plebe non oppugnandam, sed quomodo sine tumultu rite restringeretur inter viros eruditos caute deliberandum censebant. Alii de restituenda curiae sanitate jam jamque desperantes, quum propter verbum Dei, quod religiose sequi studebant, ex Romana ecclesia exclusi essent, extra eam omnibus et doctis et indoctis salutem quaerendam esse praedicabant.

Utriusque partis dissidium laete spectans atque oculo collustrans ipsa curia cum asseclis suis contra perficiendam aliquam seriam reformationem summa contentione industriaque obnitebatur. Hoc animo augusta unitatis et auctoritatis vocabula ad tegendos quoslibet abusus eo felicius adhibebat, quo saepius factum est, ut ipsa celebrata ab aliis libertas

non modo horrendos pravissimorum hominum errores ac flagitia, verum etiam optimorum inextricabiles rixas gignere videretur. Neque tamen solo argumentorum suorum pondere Romana curia id peregit, ut, interceptis reformandae universae ecclesiae occidentalis studiis, deinceps per plura secula imperium in omnes fere provincias Neolatinas et partim etiam in Teutonicas aliasque retineret, sed multo fuso sanguine et studia illa repressit et posthac regnum servabat. Neque unquam hucusque Romana vel curia vel ecclesia confessa est poenitere se tam cruentae tyrannidis. Cujus facinora inter Francogallos, quo tempore ingenium eorum per Europam dominabatur, non a Christianis Romano-catholicis, sed a Voltario, ceterum nimis docili Jesuitarum discipulo,[1] aliisque novae paganitatis propugnatoribus audaciter detecta et feliciter oppugnata sunt. Monachorum, sacerdotum, vulgi ac magistratuum feritas, quae illo ipso tempore Tolosae aliisque locis religionis nomine iterum incensa erat, nunquam oblivioni dabitur. Cujus dirae feritatis, ab ipsis quondam libertatis Gallicanae propugnatoribus aliquatenus comprobatae, ecclesia Gallicana non minus diras poenas dedit. Haud multo enim post apud Francogallos, ex magnis recuperandae libertatis ausis misere excidentes, inter horrenda solutae effrenataeque multitudinis quasi bacchanalia ipsa christiana religio abolita est. Tunc eadem arma, quibus pro curiae regno Magni Inquisitores et fanatici carnificinarum artifices per secula usi erant, per aliquod tempus ad sustentandam novam illam paganitatem adhibita sunt. Mox emersit quidem quasi e naufragiis christiana religio, idque non sine nobili eximiorum quorundam ingeniorum studio, sed revixit simul, veterum artium non oblita, tyrannis curialis. Quae exinde Gallicanae maxime ecclesiae, veteribus libertatibus privatae, innixa fortior pedetentim nostro quam antecedente seculo exstitit, cum magistratibus et regibus iterum certare non dubitavit, proclamatis Concilii Vaticani decretis desideratum diu triumphum reportasse sibi visa est.

Nihilominus inter ipsos victores probissimi et prudentissimi quique victoriam illam quasi Pyrrhi victoriam vel jam existimant, vel propediem existimaturi sunt. Pius IX. quidem stante Concilio dixisse fertur, papatui nunquam timendum esse annum nonum et octogesimum. Sed id quum jactaret, timoris aliquid ipsi animo ejus insedisse videtur. Quamvis enim pro mira sua rerum gestarum ignorantia serio sibi persuaserit, papatum infallibilem jam initio ab ipso Christo ad gubernan-

1) Cf. E. Havet in: Revue des deux mondes, tome XLI. p. 534: „il est trop l'élève de ses maîtres.“

dum mundum et ad praescribendas regibus leges institutum esse, tamen satis oculatum eum fuisse existimaverim, ut acerbissimum sacerdotii odium inter gentes papatui totas hucusque subditas longe lateque serpere si non intellexerit at senserit et divinaverit. Paulo post dimissum Concilium Pontifex inter ipsos Parisienses, deinde etiam in splendidissimis quibusdam Hispaniae civitatibus, infernalem illum ignem iterum erumpentem vidit, qui quantum horrorem ultimo antecedentis seculi decennio omnium Christianorum animis incussisset bene noverat.

Sic jam compluries (cujus rei inprimis Leo XIII. commonefaciendus est) inter Romanenses, nunquam hucusque inter Protestantes, nova ista paganitas pro tempore in republica victrix omnia divina et humana permiscuit. Id fortuitu factum jam propterea non censebitur, quod ejusmodi aliquid propter pertinaciter recusatam a curia rerum sacrarum emendationem eventurum esse non modo Erasmus divinavit, sed et ante eum et post summi quidam acerrimique Romanae ecclesiae defensores similiter praedixerunt. Ex quibus duos conjunctos adducere hic sufficit. Etenim ipse Benignus Bossuetus initio libri celeberrimi, de variatis Protestantium doctrinis scripti, Julianum Cardinalem, qui Basileensi Concilio praefuerat, tantis laudibus ut clarissimum suae quondam aetatis virum extollit, ut dubitari nequeat, quin verba, quae ex litteris ejus ad Eugenium IV. affert, a se ipso probari significet. Haec igitur verba hic exscribemus.

Implorat Julianus Pontificem, ut, si quid ipse in litteris suis severius expresserit, tribuatur ‚filiali devotioni et ardenti caritati, quae non consideret majestatem ejus, cui loquatur, sed impetu amoris feratur.‘ Itaque obsecrat illum, ne dimisso Concilio et denegatis omnibus, quae jure populi postulaverint, summam posteris calamitatem infligat. ‚Universus orbis‘, inquit, ‚judicabit, clerum esse incorrigibilem et velle semper in suis deformitatibus sordescere. Si celebrata tot concilia nulla, qualem gentes exspectabant, ecclesiae reformatio secuta fuerit, dicetur nos irridere Deum et homines, et quoniam nulla correctionis nostrae spes superfuerit, irruent merito in nos Laici et totum odium, tota culpa et ignominia transferetur in Romanam curiam tanquam causam auctricemque tot malorum. Populi Germaniae videntes se non solum destitutos ab ecclesia sed deceptos, concordabunt cum Hussitis et fient nobis inimiciores quam illi. Jam securis ad radicem posita est. Insinuata est arbor ut cadat nec potest diutius persistere. Et certo si per se stare possit, nos ipsam ad terram praecipitamus. Video jam Deum vibrasse gladium super nos, flagellum ejus appropinquat. Qui si quibusdam vult infortunium immittere, primum disponit

ut pericula non intellegantur neque considerentur. Ita videtur nunc contingere viris ecclesiasticis, quos saepe redarguo esse caecos, quippe qui videant ignem neque eo minus currunt versus illum.'[1]

Quod si facta sunt ex parte, quae Julianus praedixit, nonne ex iisdem causis ea emanasse apparet, propter quas jure illum talia timuisse Bossuetus judicavit? Defecerunt a sede Romana, quum toties irreformabilem et insanabilem se praebuisset, non tantum Germanorum plurimi, sed etiam aliae gentes. Inter Neolatinos, qui tot tantisque suppliciis inflictis sub potestate pontificia cohibiti erant, plus semel Laici, partim sacerdotum superba tyrannide et corruptis moribus ad odium excitati, ea quam ille dixit atrocitate in illos irruerunt. Nonne revera timendum est, ne, nisi acerrima medicina mature adhibeatur, similia, immo forte atrociora iterum iterumque fiant? Quare Romanae ecclesiae non prosunt, qui praesentem ejus condicionem mordicus teneri volunt.

Sunt quidem inter hos nonnulli, qui sincera pietate et fervido christianae religionis studio moveantur. Immo hanc apud se solos existimant vivam et integram superesse, apud Protestantes vim ejus vel defetisci vel jam nullam esse, utpote qui, in tot factiones et sectas disjuncti, novae isti nostrae aetatis paganitati resistere non valeant. Neque nos negamus multum evangelicae libertatis abusum inter nostros et factum esse et fieri. Suo jure exagitant Romanocatholici discordias nostras, quae, quum nuper Italia et Hispania evangelicae praedicationi apertae essent, haud parvo illis solatio fuerunt. Scilicet Romae praeter Valdenses, atrocissimae per tot secula insectationis pontificiae superstites, jam quinque inveniuntur diversae evangelici nominis factiones, quae quum suos quaeque conventus, scholas, seminaria, ephemeridas habere velint, miserius, quam ipsis fortasse videtur, vires suas dissipant. Nec leviorem praesentis doloris medicinam discerptae Protestantium Francogallicorum partes, quibus nobilissima eorum ingenia obscurantur et impediuntur, Romanae curiae praebent. Quos vehementissime nunc illa expavesceret, si fidei ardore, christiana concordia, animi fortitudine praeclarissimos proavos suos aequarent. Denique etiam aliae quaedam majores Protestantium ecclesiae, dum inter doctrinae formas vere inveteratas et sententias temere novatas ancipites fluctuant, non injuria reprehenduntur, quod ne eos quidem, qui sanctissima fidei christianae, immo omnis religionis fundamenta negant, ab ecclesiastico munere arceant et homines in rebus philosophicis et theologicis indoctissimos, qui

---

1) Cf. Julianus Card. in Aeneae Sylvii opp. ed. Basil. p. 67. 70. 71. 72. 74.

apostolos et summos omnium temporum doctores insipienter despiciunt, gravissimarum quaestionum judices in ipsa ecclesia publice se constituere patiantur. Quid mirum quod pii quidam Romanocatholici, haec omnia, quasi soli reformationis fructus essent, assidue intuentes, infallibile quod putant oraculum suis sodalibus gratulantur, ab omni ecclesiae suae reformatione scilicet supervacanea abhorrent, evangelicae vero ecclesiae dissolutionem atque interitum jamdudum, licet frustra semper, exspectant.

Falluntur videlicet illis cogitationibus suis. Non intellegunt, christianam religionem nisi conscientiarum libertate vindicatâ neque mundum quondam paganum vincere potuisse, neque puram ac sinceram conservari unquam posse. Cujus libertatis abusum nemo corriget nisi in ipsa libertate perseveraverit. Hanc rite cum necessaria ecclesiae unitate et disciplina conjungere difficile profecto est. Qua in re nostros saepe peccare non negamus. Sed summa verbi divini auctoritas, quae cum omnibus Christianis nobis communis est, dum Scripturae Sacrae littera liberrime inter nos investigatur, divini spiritus potentiâ ex omni dubitatione victrix emergit. Cujus verbi veritas nisi interna vi sua quovis tempore superaret mundum non esset veritas. Hoc propugnaculo freti propria damna, ut pro viribus iis medeamur, perscrutari non veremur, etiam ab hostibus consilium accipientes, ne iis similes simus, qui festucam in oculo fratris, non trabem in suo animadvertant.

Sed etiam Christianis Romae addictis nostrorum consilia accipere utilissimum erit, ne ipsi, dum reformationis pericula timent, rejecta omni reformatione, ut dixit Cardinalis ille, se ipsos perdant. Unitatem et disciplinam tuentur, sed ita ut pessimas res aeque atque optimas conservent et libertatem, bonum vere christianum, misere pessumdent. Audiant quaeso Leibnitium, qui, restituendae ecclesiasticae unitatis desiderio plenus, saepius monuit, restitui eam non posse nisi sublatis antea tot manifestis Romanae ecclesiae abusibus et superstitionibus ac confractis illic turpissimis animorum vinculis, ita ut non minus publici juris esset veritas quam aër et lux. Examinent innumeras istas ac sordidas superstitiones, puriori ipsorum Patrum Tridentinorum doctrinae repugnantes, ab episcopis Germanicis publice toleratas, quas nuper Henricus Reusch [1] libello verum catholicae religionis amorem spirante ex allatis fontibus accurate ac sobrie descripsit; quibus multo etiam crassiores abusus inter Gallos, Italos, Hispanos

1) Die deutschen Bischöfe und der Aberglaube, Bonn 1879.

vigere neminem latet. Legant eximium ejusdem librum[1] de celeberrima Galilei causa deque Jesuitarum astutia, qua prae ceteris rem illam et quondam gesserunt, et gestam hucusque coloraverunt, excusaverunt, laudaverunt. Quo cautius et, quantum fieri potest, mitius scriptor ille de curiae peccatis judicat, eo clarius probissimo cuique lectori demonstrat, quantis et quam horrendis auxiliis illa, nimio ac perverso unitatis disciplinaeque studio ducta, usa fuerit non modo ad opprimendum verum, sed etiam ad exstirpandam veri conscientiam. Hoc igitur morbo corrupti ipsi Pontifices, postquam inter Gallos christiana religio abolita et restituta est, Jesuitarum societatem haud multo ante sollemni bulla condemnatam et sublatam, renovaverunt; ut in tota ecclesia praevaleret, gradatim effecerunt; absoluti imperii sui majestate sese etiam incredulorum hominum animos ad christianam religionem reducturos somniaverunt. Sed inviti succrescenti paganitati largiorem quam quisquam alius materiem dabant. Restaurata et mangonizata theologia Jesuitica altioris veritatis desiderium, inter temporum clades in multis excitatum, explere non potuit. Foedissima ista servitute, quae pro Christianismo habebatur, nobiliores animi, cogi nolentes, de ipso Christianismo deterrebantur. Etenim id, quod Ignatius Lojola societati suae praescripsit, ut quod album conspexissent, jubentibus superioribus statim atrum nominarent, post Vaticanum Concilium stupente mundo universae ecclesiae Romanae lex factum est. Cujus rei exempla tum celeberrimi Comitiorum Germanicorum oratores Laici, cum Windthorstio a Guelforum parte stantes, tum sacerdotes et episcopi publice dederunt. Itaque fides, a summis variarum gentium viris ad nutum Papae mutata, contemptui multis eruditioribus facta est. Recordamur iterum Juliani Cardinalis verba, a Bossueto quondam laudata: ‚Nos arborem ad terram praecipitamus. Saltem qui non vult praebere fidei subsidia, non praebeat impedimenta.‘

Optime haec omnia perspexit vir et christianae religionis et patriae Francogallicae amantissimus, Agenor de Gasparin. Qui quanta bona cum omnes populi Latini, tum Francogalli unitatis studio debeant plenissime quidem agnoscit, simul vero studium illud, immodice progressum, jamdiu quasi ‚Latinum morbum‘ exstitisse et novissimis temporibus ad intolerabile malum degenerasse ostendit.[2] Quare quod inter Gallos ‚motus nationalis‘ nominetur nihil plerumque esse nisi audacium

1) Der Process Galilei's und die Jesuiten, Bonn 1879.

2) La France, nos fautes, nos périls, notre avenir, tome 2. p. 51. 55. ‚L'unité, maladie latine.‘

quorundam hominum facinus, quod ceteri, unitatis superstitione quidquid perpetratum est sequi consueti, vel tacite admittant, vel initio inviti mox libentes adjuvent. Sic etiam Dantonem, ad prohibenda Septembris homicidia evocatum, respondisse, populi vocem Dei vocem esse. Contra ejusmodi motus suam conscientiam et animi sententiam imperturbatam sequi apud Teutonicas gentes pro cujusque honesti viri officio duci, apud Latinos desuetam fere rem existimari. Quod ut in rebus civilibus, ita etiam in ecclesiasticis conspici. Etenim nimio illo ac morbido unitatis studio fieri, ut dogmata, opiniones, Lurdenses fabulae facillime necopinantibus obtrudantur et ab iisdem, qui paulo ante prorsus alias sententias prae se tulerint, vel tacite admittantur, vel obedienter immo fanatice credantur, vel quasi credita simulentur. Timendum vero esse, ne et ab ecclesiae, et á reipublicae gubernatoribus, enervato sincerae conscientiae et proprii judicii robore, via sternatur socialismi et novae paganitatis imperio.

Iam igitur videant, quibuscunque vera Romanae ecclesiae salus cordi est, utrum rectius illi ab iis prospiciatur, qui ut praeteriti seculi detrimenta resarciant, latinum qui dicitur morbum alendum et in Jesuitici cujusdam imperii commoda vertendum putent, an ii qui prorsus alio, nimirum interno et spirituali modo ad meliorem condicionem provehere ecclesiam studeant. Qui ita sentiunt, apud varias gentes passim inventi sunt, longe plurimi inter nostrates. Unde factum est, ut universus catholicismus in Germania alium, atque alibi, colorem induisse extraneis recens videretur.[1] Plus hic quam inter Latinos valere dicebant conscientiae et Scripturae Sacrae auctoritatem, praesentiora fidelibus esse ipsius Christi et apostolorum verba, altiorem et doctiorem excoli theologiam catholicam in universitatibus litterariis cum evangelica certantem. Ejusmodi interiore et liberaliore pietate ducti jam inde ab ultimis praeteriti seculi decenniis multi Germani catholici propius, quam vix antea singuli, ad pios et eruditos Ecclesiae evangelicae socios accesserunt. Vir ille miro et singulari ingenio insignis, summis illius aetatis poetis et philosophis quibusdam carissimus, idemque Lutheri fidelis licet non servilis discipulus, Monasterii in Westphalia ab ecclesiae Romanae primatibus fraterno more receptus est, quem subita ibi morte ereptum hac simplici sepulcralis lapidis inscriptione honoraverunt: Viro Christiano Georgio Hamanno. Sailerus episcopus cum Hessio, venerabili Turicensis Ecclesiae antistite, aliisque

1) Cf. Mariano: Cristianesimo, Cattolicismo e civiltà. Roma 1879 p. 305. 419 ss. A. de Gasparin l. c. II. p. 182. 211.

similiter sentientibus intimae amicitiae consuetudine conjunctus erat. Idem necessitudinis vinculum nostra memoria Melchiori de Diepenbrock, episcopo Vratislaviensi, intererat cum viro eximio Passavant, medico Francofurtensi. Qui quum de sanandis quibusdam Romanae Ecclesiae damnis ad episcopum scripsisset, hic plenissime ei assensit.[1] In utraque nimirum ecclesia inesse putabant, quae reformatione egerent; qua paulatim peracta sperabant fore, ut omnium Christianorum concordia restitui tandem aliquando posset. Ad eandem sententiam doctissimi quique religiosissimique theologi Romanocatholici perducti sunt, etsi juvenili ardore protestantismum acerrime oppugnare coeperant. Quod scilicet recte fieri non posse videbant nisi spiritualibus armis ab ipso protestantismo mutuandis; cum his armis vero semper aliquid evangelici spiritus asciscebant. Id in Möhlero conspicuum est, qui Schleiermacheri quondam et Neandri auditor, postea ingeniosissimus inter recentiores catholicismi defensor, protestantismi insectator, tamen cum evangelicis de spirituali ecclesiae fundamento (similiter atque Erasmus) mire congruit;[2] quare non aliter quam Hirscher aliique ejus similes theologi Jesuitis invisus esse coepit, sed praematura mors graviori eum certamini eripuit. Ad hoc contrahendum deinceps Nestorea aetate conservatus est Doellingerus, vir et ingenio atque eruditione inter omnes praestans, quos recentioribus temporibus Romanocatholica Ecclesia genuit, et christianae sinceritatis atque constantiae exemplo permultis amicis discipulisque carissimus. Qui quum pridem hóstili adversus Protestantes ardore eminere visus esset, nunc et longe justiore atque aequiore de iis judicio et probo pacis cum iis ineundae studio suos praecedere nititur, ardorem illum multo magis adversus ea convertens, quae ut in curia et ecclesia Romana corrigerentur tamdiu frustra postulatum est.

Ceterum perniciosam vim Jesuitarum omnem reformationem detrectantium jam tunc ille significabat, quum meliora adhuc de Roma sperans, ipse Ultramontanis adnumeratus, a Bavaris anno hujus seculi quadragesimo octavo Francofurtum ad Comitia Germanica delegatus est. Ubi quum jam de constituendo Imperio Germanico ageretur, Doellingerus celeberrimam illam libertatis ecclesiasticae formulam redegit et proposuit, quae paulo post in regni Borussici ‚Constitutionem‘ accepta est, sed addidit condicionem sive exceptionem, quam si Berolinenses libertatis assertores recte ponderassent et legi inseruissent,

1) Briefe von Sailer, Diepenbrock und Passavant 1860 p. 20.
2) Cf. J. Nitzsch, Vorträge über die christliche Glaubenslehre p. 161.

aliquid forsitan tempestatum Borussia postea evitatura fuisset. Etenim Francofurti Doellingerus cum clarissimo Radowitz aliisque viris sincere catholicis, quibus etiam Diepenbrock Vratislaviensis et Geritz Ermelandensis episcopi astipulati sunt, publice professus est, libertatem illam ecclesiasticam tolerari in Germania nullo modo posse, nisi non introductis sed in perpetuum exclusis Jesuitis, quippe qui Imperii leges nunquam plene accepturi et servaturi essent. Etiam alii episcopi Germanici, eodem anno Herbipoli congregati, Doellingero ut eximio Ecclesiae doctori ac consultori uno fere animo applauserunt.[1] Qui quidem mox eum alius post alium deseruerunt. Inde ab eo enim tempore bellum, a Jesuitis jam antea catholicae Germanorum theologiae indictum, eo magis ingravescebat, quo magis curia licet interdum haesitans instituit, ut universa ecclesia sua Jesuitarum societati quasi adnecteretur. Contra illam denique theologiam Vaticanum Concilium magnam partem intentatum erat.[2] Verum illa, quamvis repressa, non mortua tamen sed ad arripiendam pleniorem libertatem evangelicam quasi coacta est. Romanae ecclesiae reformationem ii, qui Palaeocatholici vocantur, poscere perrexerunt, sed ita ut jam primum decretorum Vaticanorum abolitionem postularent. Quae si facta fuerit, cetera facile sequentur; si non fiat, quaevis declaratio, qua nonnulli mitigari Vaticana dogmata et cum vetere fide componi optant, puerilis lusus erit. Sic igitur omnibus catholicae ecclesiae sociis, quicunque eam mere Jesuiticam societatem esse et manere nolunt, certus quidam finis propositus est. Contra Concilium Vaticanum illi de fundamentis fidei consentiunt cum Tridentino, quatenus hoc sessione quarta decrevit, nihil esse credendum, nisi quod contineatur in scriptura sacra et ‚sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerint.‘ Quam legem nunc Vaticani Concilii asseclae ore quidem confitentur, revera multo apertius, quam ipsi patres Tridentini, transgrediuntur et tollunt, quum nova illa dogmata acceperint, quae, nisi historiae ecclesiasticae turpissime ignari sunt, optime sciunt a vetustiore ecclesia alienissima fuisse neque ante nostra tempora in ipsa ecclesia Romana ‚semper, ubique et ab omnibus credita.‘ Contra hos vero ex altera parte Palaeocatholici se confessionem Tridentinam invariatam retinere gloriari nequeunt, utpote qui et tra-

1) Cf. Friedrich, Vorgeschichte des Vaticanischen Concils p. 243. Bulle, Geschichte der neuesten Zeit 1815—1871, II p. 73.

2) A. de Gasparin l. c.

ditiones ecclesiaticas cum Erasmo liberaliore sensu et adhibita critica arte tractent, et Tridentina decreta quamvis Vaticanis aliquanto liberiora tamen ex parte sub jugo curiae male formata et expressa esse magis magisque intellexerint.[1] Itaque quum ad reddendam Christianis pacem et unitatem necesse esse videant, ut schismatis ante haec tria secula orti causae ac rationes denuo utrimque, adhibitis provectae scientiae et experientiae auxiliis, investigentur, jam ad eandem irenici negotii rationem pervenerunt, quam summus quondam philosophus christianus, Leibnitius, et idem multis in rebus cum Erasmo sentiens, utrique parti commendare frustra conatus est. Quam rem hoc loco paulo accuratius contemplari operae pretium habeo.

Summopere errant, qui opinantur, irenicum Leibnitii negotium nihil nisi somnium fuisse vel ingenii lusum principum quorundam gratia susceptum. Neque de universa re ex singulis vitiis ac mendis, quas adhaerere ei videmus, judicare fas est. In dirimendis controversiis quibusdam, quamvis ubique sagax et subtilis, errare ille potuit; dum ambigua in melius interpretari solet, ipse ambiguus et nimis flexibilis interdum factus est, politicae et diplomaticae, quae dicitur, arti, etsi summam spem nunquam in ea posuit, tamen nimium dare videbatur. Semper nihilominus magnam et sublimem rem ad Dei honorem et hominum salutem se peragere suo jure asseveravit. Christianam religionem et quidquid in humana natura magnum ac nobile est arctissime inter se invicem conjuncta putavit. Deum et mundum, qui Deo dignus esset, ad praeclaram omnium rerum convenientiam et harmoniam destinatum, cogitare non posse sibi visus est sine civitate Dei per Christum et condita et ad perfectionis finem perducenda. Quam si quis spiritualis mundi quasi centrum esse negaret, omnem ipsius hujus mundi ordinem negare Leibnitio videbatur; neque de mera scholarum notione sive idea velut de Platonica civitate agi putabat sed de re, quae ad summum omnium usum atque salutem pertineret. Quare cunctis christianis gentibus unam magnam quasi familiam, rempublicam, ecclesiam efficiendam esse docuit, in qua omnia et ad animarum salutem spectarent et ad quaevis studia vere humana unitis viribus excolenda. Hoc consensu atheismum et materialismum superandos, qui si spreta christiana religione longius progressi essent, fore ut nova quaedam barbaries, deleta omni humanitate et honestate,

1) Cf. Doellinger in praef. ad documenta quaedam Tridentini concilii quae edidit.

Europaeos populos invaderet.[1] Ceteras gentes ad eandem communionem alliciendas esse, Turcarum vero regnum, armis prolatum, junctis Christianorum armis repellendum. Cujus rei post liberatam denuo Viennam gloriose inceptae faustum eventum sperans, similiter atque suo tempore Erasmus, ‚fatalem adfuturam esse Mahometicae tyrannidis diem' praedixit, versus quosdam Latinos de ea re pangens:

Tum repetens famae miserabile Graecia bustum
Et Constantini reddentur moenia Christo.[2]

Verum haec omnia, quae ad christianae communionis salutem, prosperitatem, propagationem pertinere putavit, impedita esse vidit et impediri immani partium studio. De quo jam inter dogmatica quarti seculi certamina Ammianum gentilem vere dixisse memorat, nullas magis infestas hominibus bestias fuisse, quam essent sibi ferales plerique Christianorum. Foedum inprimis et exsecrabile esse mutuum ejusmodi odium inter Germaniae Lutheranos et Reformatos judicat, quippe quorum sententiae de fidei fundamento gravissimisque articulis plane concordent; quae vero inter eos agitentur partim vix lite digna videri, nedum scissione. Omnes illos schismaticos esse dicit, qui pro fratribus non agnoscant non fundamentaliter dissentientes.[3] Quare iis se adjunxit, qui jam tunc utramque Protestantium familiam unire studebant. Neque quum tunc temporis frustra niti viderentur, de re ipsa desperavit, sed Fabricio scripsit: ‚Ipsa se res aliquando conficiet.' Eadem mente etiam eorum studia admodum probabat, qui Catholicorum et Evangelicorum schisma illaesa utrorumque conscientia et honore tolli posse putarent. Favere videbantur his studiis et Innocentius XI. Papa vere pius et Jesuitis invisus, quorum sexaginta duo dogmata ad mores pertinentia condemnavit, et Leopoldus I. Imperator pacis amantissimus, praeterea plures Germaniae Principes.* Accesserunt ad idem negotium Bossuetus aliique Gallicani, Pontificem absolutum ecclesiae dominum et falli nescium non agnoscentes. In his igitur omnibus Leibnitius fausta omina divinitus data conspicere sibi videtur. ‚Fateor,' inquit, ‚valde difficilem esse cum ecclesia Romana concordiam; sed impossibilem dicere non ausim, neque enim abbreviata est manus Domini. Optandum esset Pontificem Romanum non tantum non exigere infallibilitatis suae fidem, sed etiam non adstruere, immo ei renuntiare diserte.'

---

1) Iam Herder (Adrastea I, 1), quam recte Leibnitius haec praedixerit, sequentia tempora monstrasse judicat.

2) Ludolfi et Leibnitii epistolae p. 3.

3) Feller otium Hanov. p. 184.

In hoc igitur infallibilitatis commento, quod tunc impugnare in ecclesia Romana adhuc clarissimis viris licebat, gravissimum rei susceptae impedimentum positum esse existimavit. Sed etiam hoc vel superato vel evitato quam difficile esset ab alterutra parte ea impetrare, quae ad concordiam restituendam necesse esse judicabat, optime intellexit. A Romanensibus nimirum postulavit, ut Concilii Tridentini decreta a Pontifice suspenderentur, quorum multa, a Sacra Scriptura et a vetustioris Ecclesiae traditionibus divergentia, propter conscientiam tolerari a Protestantibus nunquam possent. Ejusmodi suspensio a Spinola episcopo, negotii pacifici inter Romanocatholicos quasi principe, primum proposita neque initio, ut videtur, ab Innocentio XI. prorsus rejecta erat. Quam Leibnitius nequaquam inauditam rem esse ostendit, quum teste Pallavicino [1] haud paucae gentes catholicae Concilium Tridentinum nunquam sollemniter accepissent et jam antea decreta Constantiensia et Basiliensia Italis, Lateranensia Gallis aliisque repudiare permissum fuisset.[2] Nihil igitur obstare, quominus decreta quaedam Tridentina suspenderentur atque (id quod et ipse Spinola proposuerat) [3] futuro Concilio oecumenico submitterentur, in quo etiam Protestantium antistites, sublatis anathematis Tridentinis, sedem et plenum jus obtinerent. Quod praeterea necesse esset, ut nimirum Protestantibus matrimonium sacerdotum et communio sub utraque concederetur, id jampridem Bohemis et Graecis concessum esse. Neque recusaturam curiam usque ad futurum Concilium tot abusus et scandala tollere, de quibus piissimi quique Romanocatholici jamdudum conquesti essent. His vero datis condicionibus Leibnitius a Protestantibus postulavit, ut ad restituendam Ecclesiae unitatem liberaliore sensu hierarchiam quandam agnoscerent et ipsum Pontificem non amplius pro antichristo haberent, sed similiter atque Melanchthon in iis, quae Smalcaldicis articulis subscripsit, ac reservata ad Gallicanorum exemplum singularum ecclesiarum libertate, ut summum reipublicae christianae Patriarcham humano jure illum acciperent.

Sic cum ad utriusque partis salutem tum ad veritatis profectum unitatem cum libertate conjungi posse existimabat. Sedato enim furore, quo disparatae antea ecclesiae se invicem impugnassent, fore ut purior evangelii doctrina (qualem Augustana confessione probissime in universum expressam esse Leibnitius semper tenebat) facilius ab omnibus in-

---

1) Hist. Conc. Trid. XXIV, 11. 12.
2) Leibnitii opp. ed. Dutens I, 585. 594.
3) Guhrauer, Leibnitz's Biographie II, Anm. p. 5.

tellegeretur et agnosceretur, ab altera parte dogmata catholica, ad modum Bossueti sanius et ingeniosius explicata ac declarata, justius judicarentur; denique junctis fraterna caritate omnium viribus revelatio per Christum facta ut absoluta veritas altius et plenius mente comprehenderetur. Dum ita uno posito fundamento ad perfectam cognitionis unitatem omnes pertenderent, cum Erasmo Leibnitius censuit tolerandam fore interim aliquam sententiarum varietatem, qualis etiam in Romana ecclesia magis quam plerumque concederetur semper exstitisset. Neque nisi in necessariis rebus perfectam unitatem jure efflagitari. Nihil enim ipsi religioni perniciosius esse, quam si hierarchia, justam potestatem suam transgressa, quemvis dissensum sua auctoritate tollere et liberam desceptationem opprimere vellet. ‚Illud,' inquit, ‚pro certo habeo, arte critica amissa humana fidei divinae instrumenta simul interitura esse.' ‚Fateor libertatem generosam non esse supprimendam veritatisque majorem esse rationem habendam quam auctoritatis.'[1] Quae tamen non ita dicit, quasi ecclesiae jus et officium deroget publicae doctrinae ubi necesse sit definiendae. Quin immo id per futurum illud concilium vere oecumenicum fieri voluit; quod concilium, si tale evaderet, quale jam praefatione Augustanae confessionis esse debere dictum esset, divino Spiritu ad omnem veritatem ductum iri firmiter credidit. Quare ut tali Concilio et Protestantes et Catholici in antecessum se submitterent postulare non dubitavit.

Hae principales Leibnitii de restituenda Ecclesiae unitate cogitationes erant. Iam id semper memorabile erit, quod de his tunc temporis inter praeclaros utriusque partis viros serio et amice tractari potuit. Qua ipsa maxime re factum est, ut philosophus, quum magnum et excelsum finem sibi proposuisset, ad assequendum eum recta via incedere sibi videretur. In singulis quidem se errasse ipse postea aliquatenus intellexit. Etenim in explicandis, defendendis, commendandis sententiis suis passim valde dubia et minus recta protulerat; in negotio irenico per varias tanti temporis condiciones protracto ad singulorum quorumque, quibuscum agebat, indolem nimis interdum se accommodaverat, verbis luserat, ingenio indulserat, hac quoque ex parte mirum in modum Erasmi similis. Sed ipsum consilium pacificum et primarias illas de persequendo eo sententias, quippe quae cum toto cogitandi systemate suo arctissime cohaererent, sanctissimo studio usque ad finem amplexus est neque unquam dubitavit, quin quae aequales ferre non possent, divina providentia suo quondam tempore

1) Leibnitii opp. ed. Dutens V, 459. 569.

effectura esset. Hac fide ad Huëtium scripsit, ‚si nunc occasiones perderentur, publica gaudia adhuc in aliquot secula differri.‘

Quaeritur, quid de hac spe, quam tantus vir tam constanter tenere ausus est, judicandum sit. Ea quidem, quam sibi finxit, ratione nunquam fiet, quod mente anticipavit. Iure miramur, quod tali libero concilio, quod seculo decimo sexto nobilissimi quique utriusque partis viri frustra postulaverant, rem multo post absolvi voluerit, quasi vero, quidquid tunc neglectum fuerat, iisdem mutuis concessionibus, quae tunc fortasse suffecissent, repeti ac suppleri unquam posset. Sed ab hoc errore magna illa spes, quam philosophus sequebatur, sejungi potest. Quae si recte intellegitur ipsius christianae fidei pars est. Quo certius enim quis credit in solo Christo esse divinae veritatis et vitae plenitudinem, eo certius quoque tenebit, Christum velle, ut omnes vere credentes unum sint, idque non falsa illa unitate, quae externa vi et veritatis neglectu vel oppressione obtinetur, verum tali, qualem Leibnitius post secula restitutum iri credidit. Id quoque recte hic vidit, quamdiu desideraretur vera illa unitas, Christianorum discordiis ali scepticismum et incredulitatem, retardari evangelii per omnes populos propagationem, prohiberi eam, quae christianae religioni responderet, omnium spiritus et ingenii bonorum communionem. Quod sinceris Christianis semper cum animi dolore et communis omnium culpae memoria considerandum esse judicavit. Quare etiam in iis, quae de restituendae unitatis ratione proposuit, gravissimae veritatis aliquid inesse apparet. Utrique nimirum parti sua primum damna agnoscenda et adjuvante Deo sananda esse monuit. Quod quo sincerius et studiosius fieret, eo facilius quondam fore, ut increscente christiana caritate et fraternitate sanior et perfectior quaedam ecclesiae forma daretur, ad quam alterutra pars ‚integra conscientia et integro honore‘ accedere posset. Quam exspectationem Leibnitius, quum non in praesenti sed fortasse post secula demum impleri eam posse intellexisset, in coetu quodam ‚theophilorum eruditorum‘ retineri et promoveri voluit, spem meliorum temporum, quam Speneri amici inter evangelicos sparserant, suo modo interpretans.

Talem spem etiam inter nostrae aetatis turbas amplectendam profitemur. Christus mundum semper sibi hostilem fore praedixit, sed nunquam tam potentem, ut sui regni consummationem impedire posset. Cujus victoriae finalis quasi praeludia in ecclesiae historia passim animadvertimus. Nos nostro tempore plus semel res, de quibus jamdudum plurimi desperaverant, ad finem perductas videmus. Aedes cathedralis Coloniensis, per tot secula imperfecta et ruinae instar

relicta, nuper demum iterum aedificari coepta, haud temere perficiendae Germanicae unitatis quasi similitudo jamdudum publice declarata est. Etiam Itali id, quod splendidissima eorum ingenia frustra somniasse tamdiu visa erant, brevi temporis spatio adepti sunt. Cur non sperent Christiani, tot perniciosissima schismata alio modo, quam quem curiae asseclae sibi fingunt, aliquando sublatum iri? Sane non meris consiliis humanis christiana unitas restituetur, sed cum Leibnitio monendum est, dextram Domini non abbreviatam esse. Nec minus quam vanae spei indulgere, justam ac divinitus datam spem negligere nos dedecet, neque fas est in signis temporis parva futurarum majorum rerum initia contemnere. Quae vero talia censenda nobis videantur indicabimus.

Quod ad Protestantes pertinet, pro perfectiore, quae jam datur, investigandae historiae ratione multo nunc illi justius quam praeterito tempore de papatus origine, indole, fatis judicant. Etiam inter pugnas, a Curia recens excitatas, si qui nimia violentia in adversarios invecti sunt, alii et ipsi Protestantes in excusandis illis nimii fuerunt. In universum apud nos viri eruditi, quo altius ipsi christiano spiritu imbuti sunt, eo religiosius pro virili parte in ecclesia Romana discernere student, quidquid aut vere christianum erat aut, testibus sanctissimis quibusque ipsis viris Romanocatholicis, antichristianum colorem prae se ferebat. Iidem magis magisque et severitati in vituperandis suae ecclesiae mendis, et justitiae in dijudicandis diversarum partium evangelicarum litibus operam dare solent. In Germania de Lutheranorum et Reformatorum, qui vocantur, unione dici cum Leibnitio potest: res se ipsa vel confecit, vel mox conficiet. Etenim ubicunque sincera pietas cum aliqua rerum scientia conjuncta est, altera pars in altera peculiaria quaedam charismata et virtutes agnoscit, quas ita paulatim inter se communicaverunt, ut utriusque partis unio in multis vel nesciis vel invitis jam perfecta sit. Similiter oecumenicum Evangelicorum foedus, turpissimis istis simultatibus et jurgiis quae Leibnitius cum Spenero castigavit feliciter oppositum, pleniorem ecclesiarum fraternitatem et unitatem etiam inter Anglos et Americanos praeparabit.

Ex altera parte Palaeocatholici, ut vidimus, quo altius et plenius Romanae ecclesiae corruptionem perspexerunt, eo justius de reformatoribus et de protestantismo judicare inceperunt. Quae in Evangelicis vituperant, jam cautius, religiosius, amiciore animo, ut in fratribus christianis, vituperant. Sane talis curiae et ecclesiae Romanae reformatio, qualem postulabant, non tam subito peragi potuit, quam ipsi initio, similiter atque aliquando Leibnitius, speraverant. Sed hic quo-

que, ut ait propheta, parvi initii dies non spernendae sunt. Deerant hucusque Palaeocatholicis tales ingenii vires, quae ad excitandos e somno omnes sincere Christianos Romae subjectos sufficerent: verum Deus praebere eas suo tempore potest. Namque jam adest illis ea animi vis, quae vere divina et coram Deo maxima est, sincera conscientia christiana. Hujus vi ac virtute neque solis eruditis opinionibus eximii viri illi eruditissimi ad resistendum exuberanti sedis Romanae arrogantiae exciti et promoti sunt, propter quos Palaeocatholici ut professorum quorundam sequaces a multis perstringuntur. Eandem conscientiae vim etiam in multis probis viris indoctis se exseruisse videmus, eandem etiam in piissimis et lectissimis feminis, quae praeclaris caritatis operibus tot hominum animis per longum tempus se probaverant. Quae post introducta nova dogmata libenter quidem ut mulieres tacuissent, sed postulatam ab iis novae fidei, quam nunquam antea doctae erant, mendacem confessionem recusaverunt. Sic Parisiis praefecta congregationi Sanctae Marthae carissimum munus deponere quam mentiri maluit; sic Bonnae praefecta Sancti Joannis nosocomio, non minus ingenio quam sanctimonia insignis, odia, vexationes, contumelias usque ad mortem propter Christum toleravit. Ad quam egregius quidam scriptor Francogallus Pascalii verba transtulit: ‚Quando episcopi muliebriter animatae sunt, mulierum erit episcoporum animos habere.‘ [1] Tales veritatis testes, etiamsi moriuntur, omnium oppressorum suorum superstites erunt. Deus arbiter seculorum saepius praevios monitores alios post alios mittit, ut, quo tempore consilium suum perfici vult, reviviscentibus inopinanter omnium illorum vocibus animi mortalium ex longo torpore excitentur.

Etiam inter eos, qui Vaticanis decretis se subjicere pietatis officium habuerunt, plures, quam quis exspectaverit, vim aliquam veri, a parte Palaeocatholicorum stantis, inviti sentiunt. Ex ipsorum ore aliquis, sicuti Tertullianus ex ore gentilium, quasi testimonia animae naturaliter christianae colligere possit. Immo hic ut alias haud raro etiam simulatio pressam conscientiam prodit. Sic quum Aurelianensis episcopus saevum syllabum illum papalem benigne interpretari tentavit, servare sine dubio et auctoritatem papalem et christianam veritatem voluit. Quod Montalembertus suo jure singularem simulandi et occultandi lusum vocavit. Paulo post Romani Jesuitarum commentarii, ‚civilitatis catholicae‘ titulo famosi, Papae nomine sollemniter declara-

1) G. Valbert in: Revue des deux mondes tome XLI p. 707 („une religieuse excommuniée"): Quand les évêques ont des courages de femmes, c'est aux femmes d'avoir des courages d'évêques.

verunt, quisquis et Catholicus et liberalis esse vellet, aut stupidissimum homuncionem esse aut hypocritam. Deinde Ketteler episcopus in ejusdem liberalitatis culpam incidit, quum locum quendam syllabi, ne propter pessime tractatam conscientiae libertatem Germani offenderentur, ad Hispaniam restringere conaretur. Quod Romae valde displicuit. Nihilominus Ultramontani nostri, ubi commodum iis videtur, audacter spreta Papae sententia, Papae decreta ad Germanorum sensum communem detorquere pergunt. In Comitiis popularibus Reichensperger crudissima quaeque illius dicta ut stili curialis phrases non verbotenus accipiendas impudenter excusat; excellentissimus Windthorst, dum pii papistae infallibilitatem papalem humiliter credentis personam agit, simul quasi Papam illudens evangelicam ecclesiam catholicae sororem nominat, id quod ex sola Palaeocatholicorum mente fieri posse, Romae autem abominandum flagitium duci optime novit. Inter hos singulares concilii Vaticani asseclas sunt, qui eousque haereseos Erasmianae sive Palaeocatholicae procedant, ut Jesuitas cum ‚Civilitate catholica' sua, a Pio IX. quondam condita eique carissima, tanquam ecclesiae pestes publice depingant. Hac mente nuperrime ephemeris quaedam Bavarica, Romanae sedis studio jamdudum notissima, locuta est: ‚Commentariorum illorum sententias quasdam libertatis a magistratibus concessae praesidio in Germaniam invasisse et robiginis instar in laetissimae spei segetes decidisse. Inde factum esse, ut eae viae infeliciter relinquerentur, quas nobilissimi viri Germani ad consociandas cum religione humaniores litteras, ad restituendam ecclesiae catholicae apud populum gratiam et honorem felicissimo successu praeivissent; non jam ad interiorem vitam religiosam colendam, sed ad exagitandas res inter ecclesiam et civitatem controversas hominum animos evocatos esse. Pro pace continuum bellum praebitum, pro honore invidiam, pro gratia odium, omnia denique circumcirca turbis, cladibus, ruinis impleta esse. Quare de iis, qui ab exteris talia importaverint, dicendum esse: Ex fructibus eorum cognoscetis eos.'[1]

Quae verba quo acerbius id, quod et alii earundem partium sodales sentiebant, expresserant, eo vehementius Jesuitis eorumque sodalibus stomachum moverunt. Sed ingens factus tumultus subito quievit. Scilicet in iis Germanis, qui ore Vaticanis decretis se subjecerunt, talia rebellantis conscientiae testimonia a curia feruntur et dissimulantur. Timere videtur (nescio an frustra), ne etiam acerrimi propugnatores sui, sicuti Windthorst et Reichensperger, si ad revocan-

1) Augsburger Postzeitung 1880 Nr. 48 p. 390.

das coram Germania liberaliores sententias suas appellentur, non muliebriter episcoporum instar animatos se praebeant. Sic simulando et dissimulando concordia illic hucusque servatur, quae cum sinceritate christiana stare non poterat. In Germania enim longe plurimi Ultramontanorum, si quid doctrinae possident, cum iis faciunt, qui horridissimas Jesuitarum sententias, licet Romae probatas, vel sophistice tegunt et eludunt vel cum Bavaro illo ephemeridos scriptore pestem ecclesiae ducunt. Quorum intimum judicium si veritatis vi paulatim per totam ecclesiam Romanocatholicam praevaleret, suo tempore eventurum esset, ut Papa quidam iterum, quemadmodum antea Clemens XIV., ad dissolvendam Jesuitarum societatem omnium consensu cogeretur. Quae altera dissolutio priore longe gravior et multo majoris momenti esset, quoniam tunc sine dubio Concilii Vaticani decreta ab illis inspirata simul rescinderentur, atque inde necessitate quadam Romana ecclesia ad longius persequendam eam reformationis viam protruderetur, qua nunc incedere videmus Palaeocatholicos. Quod prohibere Romana curia semper quantum valebit nitetur, sed ejus viribus fortior aliquando etiam inter Romanos christiana veritas esse poterit. Quae quidem, ut tandem aliquando vincat, mundani imperii auxilio nunquam egebit, sed civitates ac magistratus magis magisque intellegent, ecclesiae morbos quosdam etiam sibi ipsis perniciosos esse neque id, quod inde mali sibi oriatur, sine ipsius veritatis christianae auxilio averti vel sanari vere posse. Quod quomodo jam nunc quasi divina quadam necessitate intellegi coeptum sit, demonstrabimus.

Iam nimirum ut candidiores illos Pontificis sectatores, ita sagacissimos quosque rerum publicarum gubernatores non fugit, quot quantorumque malorum radix Jesuiticae partis in Vaticano victoria fuerit. Quippe omnibus fere civitatibus christianis, etiam iis, quae Romanam ecclesiam beneficiis cumulaverant, jura sua adversus immodicam curiae arrogantiam defendenda erant. Austria statim post Concilium propter mutatas ab illa leges pristinum Concordatum, quod dicitur, non stare declaravit. In imperii Germanici Comitiis prima Bavaria contra immanem cleri sui petulantiam legem quandam rogavit. Mox Borussiae eâdem viâ progrediendi necessitas se obtulit. Italia terras papales, quibus ad consummandum regnum et stabilienda civilia instituta carere non potuit, iisdem fere artibus arripuit, quibus Julius II. quondam regnum Pontificum seculare ad consummationis finem perduxerat; deinceps nimia fere et justo majore obsequentia curiam sibi conciliare frustra studuit; paulatim contra hostilem ejus animum surgere invita cogitur. Etiam apud alias gentes Neolatinas, tum Europaeas tum

Americanas, vetus concordia cum Romano sacerdotio imperturbata non mansit. Recens respublica Francogallica, initio tum aliis negotiis distenta, tum variis fractionibus curiae opem ex parte ambientibus dilacerata, miram cum illa pacem per aliquod tempus servabat; jam vero et illic tempestas coorta est.

Has omnes fere civitates, quum summis antea bonis ecclesiam Romanocatholicam affecissent, non temere alium subito erga eam animum induisse, sed ad mutandam agendi rationem invitas ab ea provocatas esse facile intellectu est. Quod inprimis cum de Austria et Bavaria, tum de Borussia praedicare fas est. Cujus reges post excussum Napoleonis I. jugum praeclaro studio prospexerant, ut ecclesia illa misere passim jacens rite restitueretur et administraretur, ut, florentibus scholis et universitatibus, ad omnem divinam et humanam scientiam tum futuri clerici, tum laici aditum haberent, ut denique sacerdotium et episcopatus quantum fieri posset dignis sacerrimo munere viris committeretur. Sic ceteris exemplum dederunt eam ecclesiasticarum et theologicarum rerum condicionem efficiendi, quam in Germania tunc admodum felicem fuisse etiam Bavarica illa, quam memoravimus, ephemeris praedicat. Jam tunc quidem non deerant, quae inter sacerdotium et magistratus civiles dissidia passim moverent. Sed in universum regni Borussici erga ecclesiam Romanocatholicam justitia et benevolentia ab ipsa curia non poterat non agnosci. Quamobrem etiam Pius IX. Guilelmo Imperium gratulans, quod rogante Bavariae rege acceperat, sperare se praedicavit non tantum Germaniae sed universae Europae illud saluti futurum esse.

Quodsi eaedem civitates, quarum benevolentiam ipsa curia saepius laudaverat, post Concilium Vaticanum ab amicitia ad bellum invitae paulatim deflexerunt, jam inde universam ecclesiae Romanae condicionem interim mutatam fuisse apparet. Quod multos quidem etiam inter Protestantes negare videmus, quippe qui, dicant, eadem principia, praecepta, sententias jam antea illic praevaluisse. Atqui si longe lateque praevaluerunt, tamen iis, qui aliter sentiebant, jus exsistendi et vivendi in ecclesia nondum ereptum erat. Quapropter in horum assensu innixi magistratus Jesuiticae parti moderationis cujusdam necessitatem imponere, juris canonici intolerabilia multa tacite negligere hucusque potuerant. Conscientiae humanae et reipublicae litterariae libertatem, a curia toties condemnatam, ubivis agnoverant et tuiti erant, in Germania etiam confessionum paritatem juris, quae dicitur, sustentaverant. Haec omnia nuperrima rerum mutatione impedita videmus. Inde vehementissimae pugnae illae exarserunt, quibus factum

est, ut ipsa Comitia publica, quae gentium vices gerunt, praesertim in Germania nostra, quum certa quaedam negotia tractarent, plus semel ecclesiasticarum synodorum similitudinem induisse dicerentur.

Sunt quidem, qui omnes turbas illas absoluta et perfecta rerum ecclesiasticarum et civilium separatione evitari posse putent. Quorum alii religionis despicientia vel odio ducuntur, hoc modo debilitandam ejus vim censentes, alii religionis amore, utpote quam ita demum vere liberam, sinceram, fortem fore existiment. Cum utrisque hoc loco disputandum nobis non est. Id tantum dicimus, christianam religionem a civitate separatam fortissimam et olim fuisse et nunc esse posse; a civitate vero societatem cum ecclesia initam recte solvi non posse, nisi similiter atque respublica Americana septentrionalis omnium rerum ad animum et ingenium pertinentium curam abjecerit et privatis civibus reliquerit. Quam civitatis constitutionem minus perfectam esse nos quidem judicamus, certe in Europam sine magno communis vitae detrimento subito introduci illam non posse peritissimi quique rerum publicarum gubernatores concedunt. Quae si ita sunt, magistratibus civilibus cum adjuvandae ecclesiae officio simul invigilandi ejusdem rebus jus quoddam tribuendum est. Quo abuti possunt, quemadmodum interdum fit, ut jure quod tenent invigilandi scholarum superiorum et universitatum publicae institutioni abutantur. Sed hic quoque dicendum abusu non tolli usum. Et quo sanior liberi cujusdam populi condicio est, eo citius ejusdem magistratus, si forte illius modi errorem commiserint, corrigentur et ut, quae libero vel reipublicae litterariae vel ecclesiae arbitrio permittenda sunt, eis permittant, impellentur et commovebuntur.

Sed fac, ut illi quam sapientissime semper agant, pugna cum Romana ecclesia, si qualis est manserit, usque redibit. Cum tali ecclesia et curia modus vivendi, quem vocant, institui pro tempore potest, vera pax nunquam. Quae ut fieret, antecedere oporteret talem ecclesiae illius reformationem, qualem a multis nunc iterum postulari, ab aliis, si sibi constare velint, postulandam esse memoravimus. Quod inprimis de iis quoque omnibus dicimus, quicunque inter gentes Neolatinas tum reipublicae litterariae thesauros scientiae, nostrae aetatis proprios, non parvi faciunt, tum christianam religionem sanctissimam universi humani generis rem esse confitentur. Civitatibus earumque magistratibus reformatio illa desideranda est, efficere eam, utpote rem spiritualem non civilem, neque possunt neque debent. Sed adversus vim et injuriam ab ipsis eos defendi fas est, qui justa et pacifica ratione praeparare reformationem student. Quae si quando,

praeeuntibus lectissimis viris ac religionis amantissimis, id quod speraverunt Palaeocatholici, ab universo fere populo ubique postulabitur, tunc demum etiam civitatum gubernatoribus partes quaedam in eadem causa suscipiendae erunt. Necesse enim erit ut inter varias gentes de quibusdam rebus conveniat. Sic verbi causa, ut ex iis, quae passim proposita sunt, unum aliquid referam, dignum et liberum, quale jam ante haec tria secula postulatum est, Cardinalium collegium creandum erit. Quos si non amplius Papae suas creaturas, sed populi Romanocatholici vicarios suos jure nominarent, sperari posse dicunt fore, ut vere omnium saluti illi prospicerent, reformanda reformarent et certam pacem, quae nunc ne cogitari quidem posse videtur, restituerent inter civitates (ne Italiae quidem regno excluso) et papatum.

Quae omnia longe plurimos, quocunque in Romanam ecclesiam animo sunt, pro fabulis Platonicis habituros esse, minime nos fugit. Curiae asseclae idem fere de illa sentiunt, quod Jesuitarum quondam princeps de sodalibus suis dixisse fertur: ‚Sint ut sunt aut non sint.' Alii, a propheta similitudinem mutuantes, pardum facilius quam curiam maculas suas mutaturum esse ajunt: quam aegrota illa sit, a melioribus quibusdam papis saepius agnitum esse, sed insanabilem eam et hucusque fuisse et semper mansuram. Neque profecto contraria eventura esse prudens quispiam vaticinabitur. Quae vero nos contendere audemus haec sunt: quisquis christiani spiritus aliquid in ecclesia Romana adhuc superesse concedat, eum negare non debere, eodem spiritu reformationem in capite et membris illic et olim postulatam esse, et nunc iterum postulari; quae ut fiat, omnibus, quibuscunque ecclesia illa cordi sit, summopere nitendum esse, quippe anxiis et sollicitis, non quidnam Romana curia, qualis nunc est, admissura et acceptum latura sit, sed quidnam flagitent christiana veritas et christiana conscientia. Protestantes quidem tantum non omnes judicant, iis, qui talem nunc reformationem cupiant, ad ecclesiam, ex divini verbi auctoritate jam prius reformatam, transeundum esse. Quibus Palaeocatholici respondent: ‚Ad quamnam vestrum partem transeamus? Primum lites vestras internas aliquatenus componatis et ecclesiam vestram in necessariis unam efficiatis; deinde quomodo nobis vobiscum conveniat videbimus. Eousque nos, ut ea ecclesia, quam totam adhuc nostram esse censemus, integra unitate paulatim reformetur, auxiliante Deo nitemur.' Qui ita sincere sentiunt, non minus ut fratres christiani suspiciendi nobis sunt quam ii, qui pari sinceritate de Roma ut insanabili desperandum esse rati, aeque ac piissimus nobilissimusque Princeps episcopus Vratislaviensis Leopoldus de Sedl-

nitzky[1] ad nos accesserunt nostrorumque et bonorum et laborum socii esse voluerunt. Quo fortius per Catholicos illos evangelicae veritatis et conscientiae testimonium intra ipsius ecclesiae Romanae fines editum fuerit, eo magis nos laetabimur. Quod testimonium, a verissimis Romae amicis profectum, si Papa, Pharisaeorum adulatione occoecatus, continuo respuerit, vel citius vel tardius irreformabilem principatum suum spiritualem non aliter perdet atque nuper principatum secularem perdidit, quem ipsum quoque rejectis fidissimorum amicorum consiliis irreformabilem esse voluerat. Christiana religio etiam tunc victrix erit. Sed timendum est, ne annus ille Papatui fatalis, quem nunquam venturum esse Pius IX. gloriatus est, diras tempestates gentibus, praecipue Neolatinis, afferat. Quam cladem qui matura reformatione avertere student, si non sua sed aliorum culpa frustra laboraverint, dicendum aliquando de iis erit, in magnis voluisse sat esse. In praesenti vero spernere eos non licet, qui ingentis difficultatis, qua susceptum suum prematur, sibi conscii, tamen majore cum jure, quam Leibnitius, ad brachium Domini non abbreviatum provocare sibi videntur.

De his igitur rebus, quae tam diversis sententiis et affectibus agitantur, ut recte et juste judicetur, quantum potero conferre mihi proposui. Eo consilio ad Erasmi, hodie ut quïdam putant redivivi, nomen et memoriam animos revocare placuit. Quem virum longe summum inter eos omnes fuisse constat, qui ante haec tria saecula ecclesiam eo modo reformari voluerunt, quo postea Leibnitius orto schismati mederi studuit, ita nimirum, ut ecclesiae unitas cum libertate, fides religiosa cum omnium ingenuarum artium cultu, pietas erga praeteritorum temporum traditiones vere christianas cum nascentibus quasi recentioris aetatis bonis conjungeretur et conciliaretur. Ad quem finem quomodo Erasmus aspirare instituerit, explicari non potest, nisi ratione in universum habita ingentis illius animorum motus, qui tunc exortus, mox ex parte interruptus, tamen ad nostrum usque tempus pertinet. Cujus motus quasi partem non minus Erasmum quam Lutherum fuisse ostendemus. Inprimis vero, quo pacto ille huic praeiverit initio, postea acerrime restiterit et repugnaverit, accuratius nobis contemplandum erit. De utroque viro eorumque dissidio quam diverse et judicatum sit et judicetur satis constat. Nos neutrius panegyricum scripturi sumus; quae in alterutro vere magna sunt, praedicabimus, quae jure reprehenduntur non tacebimus; contra calumniam et immo-

1) Cf. ejusdem vita ab ipso scripta, opus postumum (Selbstbiographie Berlin 1872).

dicam vituperationem tantos viros defendere nunquam supervacaneum est. In Erasmo id singulare, quod in utraque ecclesia, non solum in Romanocatholica sed etiam in evangelica, iterum iterumque nimios habuit et laudatores et vituperatores. Quod ad religionem et mores attinet, inter Protestantes justo plus saepe valuit Lutheri iniquum de illo judicium. Sed non defuerunt viri praestantissimi, qui huic judicio cum Melanchthone obloquerentur, ut inter pristinos Lutheranos orthodoxos Johannes Albertus Fabricius, inter Evangelicos recentiores Augustus Neander, Carolus Ullmann, Leopoldus Ranke.[1] Ceterum nostra aetate cum inter Anglos, tum inter Francogallos Erasmi memoria diligentius ac justius quam inter Germanos renovata est.[2] Quo in negotio libro parvo sed ingeniosissimo ceteris praeivit Nisardus, qui, quum praeclarum renascentium litterarum promotorem contemplaturus esset, non modo eximium ingenii recentiorum temporum proprii praecursorem, verum etiam christianum philosophum se invenisse confitetur.[3] Quem grandiore opere Durandus de Laur secutus est, praecipue laudandus in iis, quae de recentioris theologiae methodis, magnam partem ab Erasmo profectis, accurate et juste passim loquitur.[4] Nihilominus nondum supremum de viro illo singulari judicium dictum esse, sed superesse in eo, quae nova disquisitione egeant, eruditi viri consentient; spero fore ut agnoscant, religiose pervestigatis et examinatis fontibus satisfacere huic officio pro viribus me studuisse.

Neque tamen in eo subsistere intendi, ut quantum possum veram et vividam Erasmi imaginem ad aequalium animos referam. Sed simul (id quod jam ex iis omnibus, quae supra praefatus sum, satis apparet) demonstrare mihi proposui, quomodo in praesentia inter Romanocatholicos Erasmi ingenium, confitentibus ipsis adversariis, reviviscere inceperit, non quidem externa et servili imitatione, quasi seri quidam et postumi Erasmiani surrexerint, sed ita, ut praestantissimis viris catholicaeque unitatis amantissimis ad sanandum eundem curiae morbum

---

1) Accedit ad hos Guil. Maurenbrecher in historia catholicae reformationis (Nördlingen 1880; cf. inprimis p. 350), qui liber confectis jam iis, quae de Erasmo scripsi, apparuit.

2) Conferantur quae Drummond et Pennington, Nisard, Durand de Laur et Gaston Feugère scripserunt; quos nostrates A. Müller et Stichart non assequuntur. Meliora speranda ab Adalberto Horavitz, qui vitam Erasmi scripturus est. Cf. ejus Erasmiana in: Sitzungsberichte der Wiener Akademie XCIV. XCV.

3) Renaissance et Reforme I. troisième édition 1877. Commentatio de Erasmo prodiit jam a. 1846 in: Revue des deux mondes.

4) Erasme, précurseur et initiateur de l'esprit moderne 2 voll. 1872.

hucusque insanabilem eadem atque Erasmo remedia se obtulerint. Quae studia, jamdudum in conscientiae penetralibus exorta, Vaticano Concilio et subsequentibus turbis quasi in lucem protracta et fortiora reddita esse vidimus. Quare inde proficiscens proxima commentatione turbas illas, quibus Germania potissimum prae ceteris terris recens excitata est, pro vera indole sua non tantum exteris sed etiam multis nostratibus[1] parum notas, brevi depingam. Deinde a pugna, quam curia nunc adversus recentiorum temporum tum cultum ingenii, tum civilia instituta facessit, ad pristinam Papatus historiam respiciemus, quid magnum quondam in eo fuerit et ad finem vere christianum spectans, quid falsum et perversum, strictim memorabimus, et quemadmodum post alios respublica litteraria, nimirum virorum eruditorum per Europam exorta consociatio,[2] curiae et ecclesiae corruptionem castigaverit et oppugnaverit, mente perlustrabimus. Tunc demum Erasmi, in republica illa omnium principis, imagine in medium producta, quam personam ille inter diversas suorum temporum partes egerit, accuratius atque uberius, uti par est, exponemus. His omnibus priore operis parte explicatis, altera primum demonstrabimus, quibus praesidiis innixa Romana curia effecerit, ut in magna ecclesiae parte reformatio non modo (ut brevi loquamur) Lutherana, sed etiam Erasmiana, quamvis ubique fere a multis praestantissimis viris desiderata ac defensa, prorsus repelleretur et opprimeretur. Deinde animo contemplanda nobis erit ingens ecclesiae Romanae dissensio cum recentiore republica litteraria, cujus auxiliis mirifice interim auctis et diffusis ii nunc utuntur, qui apud diversas gentes, ne dissensio illa adversarios religionis adjuvet, reformationem Erasmianae quodammodo similem iterum postulant.

Haec igitur his commentationibus complecti institui candido pacis studio ductus, quippe quae ne in civilibus quidem negotiis componi et servari sine veritate possit, nedum in rebus sanctissimis ad religionem pertinentibus. Si in singulis erraverim (id quod inter mortales in tanta rerum mole evitari difficile est) indubia erroris indicia grato animo accipiam. In summa rerum spero fore, ut religioso labore veritati inserviam. Quae si apud plurimos praejudicia penitus insita superare subito non potest, tamen quidquid verum est, inexspectatas saepe

1) Cujus rei mirum exemplum etiam Ferd. Schrœderi libellus praebet: Vier Jahre Kulturkampf, Heilbronn 1876.

2) Cf. commentatio mea: De reipublicae litterariae originibus, Bonnae 1861.

vias inveniens, lento ac certo progressu denique obtinebit. Iam igitur ab iis quae supra dixi exordiar.

II.

Saepe a viris prudentibus et in maximis causis versatis dictum est, etiam melioris notae Pontifices in rebus ad imperium suum spectantibus, quum ipsi quid verum justumque sit optime perspexerint, tamen id palam profiteri atque tueri, quamvis velint, nullo modo posse. Ipsis nimirum fortior, quae iis servire videtur, Romana curia est. Cujus sodales et asseclae imperium illud iisdem artibus saepe non optimis, quibus partum est, retinendum et augendum esse semper censuerunt. Hoc animo Papam Regem suum, quem dicunt, ut ex ipsorum mente regnaret, impellere hucusque et, ubi oportuit, cogere studuerunt. Quem, si obtemperaverat, ut Vicedeum adoraverunt, etiam aulicos veterum Caesarum Romanorum, qui et ipsi Dii nominabantur, servili adulatione passim superantes. Illis (ut alia taceam) saltem de mortui cujusdam Caesaris facinoribus, quae sentirent, dicere licebat: sub Nerone apotheosi Claudii Seneca ejusdem apocolocynthosin opposuit. Inter Papalinos, quos Itali vocant, mortui cujusdam Papae vel scelestam vel stultam tyrannidem ad historicam veritatem castigare magis magisque flagitii habitum est: nuperrime etiam Alexandro VI. apologeta contigit. Quare praestantissimi quidam scriptores catholici questi sunt, in his rebus aequalium plurimos ne eam quidem libertatem ferre posse, quam seculo sexto et decimo ipsi Papae de antecessore quodam judicantibus permiserint.[1] Scilicet historiae Pontificiae veritas, criticis nostrae aetatis auxiliis religiose exposita, luce clarius ostendit quantopere permulta Paparum decreta cumque iis universa curia et ecclesia Romana reformatione indigeant. Ejusmodi vero seriam reformationem, qualem in capite et membris peragendam inde a medii aevi temporibus Europaeae nationes efflagitaverant, curiae asseclae cane pejus et angue (ut ajunt) semper perhorrescebant et evitabant. Quare non tantum historica illa veritas exosa iis semper erat, sed etiam jamdudum Pontificis tanquam falli nescii placita non minus quam Assueri quondam regis edicta irrevocabilia esse voluerunt. Restabat, ut, quod in rudis vulgi consuetudinem passim irrepserat, dogmatis jure jam omnibus, quicunque salvi esse vellent, credendum

---

1) Haec dum prelo subjiciuntur, ejusmodi querelam etiam sub episcopo Sumalocennensi proferri adhuc posse vidi. Cf. Tübinger theol. Quartalschrift 1880 p. 644.

imponeretur. Id qui moliebantur huic rei aptissimum, quo uterentur, nostra memoria instrumentum nacti sunt. Habuerunt scilicet Papam, qui per tempus quidem dubius, sed mox admodum docilis Jesuitarum discipulus, in cathedra sua falli nescius declarari libentissime concessit, immo vero flagrantissime cupivit.

Pius nonus, vir probissimis suavissimisque moribus multitudini acceptus (etsi in superstitioso vulgo Romano multi erant, qui nocentis visus suspectum eum haberent), pietate sincerus, sed christiana ingenii virilitate et sobrietate quadam destitutus, in politioribus litteris modice versatus, theologiae et historiae prorsus fere ignarus, variis procellosisque vitae casibus ad superstitionem potius ac vanitatem suique adulationem quam ad religiosam sui rerumque humanarum cognitionem perductus est. Qui post admodum diversas res tentatas sacerdos factus, deinde episcopus, cardinalis, pontifex electus, in regni sui exordiis tantum spei Italis aliisque passim nationibus, quantum terroris Jesuitis, injecit. Horum Generalis ecclesiae flagellum eum vocavit, vota faciens ut propediem pulsata Vaticani campana ad obitum ejus sonaret.[1] Displicebant scilicet societati illi permulta, quae Italos oblectabant, inprimis sincerus quem Pius profitebatur communis patriae amor, ingens proclamatae publice amnestiae beneficium, denique administrandae melius civitatis ecclesiasticae modesta quidem sed exoptatissima initia. Tam inauditis Romae rebus etiam multorum Protestantium, et Europaeorum et Americanorum, haud levis admiratio excitata est. Quare tunc temporis Maximus de Azeglio, vir non minus virtute quam praeclaro et multiplici ingenio nobilis, fieri posse dixit, ut hic Papa christianarum gentium concordiam, pro qua Bossuetus et Leibnitius frustra laborassent, vere restitueret. Sed Pium ad satisfaciendum tantis exspectationibus cum intellegentiae et scientiae, tum voluntatis vires defecerunt. Inter turbas, mox ortas et in sanguinolenta facinora exeuntes, Papa tantae moli impar arundini ventis agitatae similis esse recte dicebatur. Nihilominus semper adhuc ad magnas res natus esse sibi visus est. Quapropter quum hucusque suo seculo nimis interdum cessisset, subito totum illud sine ullo discrimine impugnare, medii aevi ingenium ac rationes caeca admiratione sequi coepit, nova prorsus et diversa via gloriae appetens.

Posthac nativa ejus bonitas, quia deerat veri et vere magni sensus, magis magisque obscurata est. Incorruptae constantiae loco insi-

1) Mémoires d'Azeglio, Corresp. politique p. 152. 356. Cf. Nielsen, Geschichte des Pabstthums etc. p. 393.

pientiae pertinacia obtinuit. Italicae nationis unitatem, quam etiam permulti sacerdotes desideratissimam sibi esse publice confitebantur, jam ipse vel audire abhorruit; quamquam deinde insitum patriae amorem aliquoties emicuisse in eo dixeris. Solo armorum Francogallicorum praesidio et e Cajetano exilio rediit, et invitam civitatem Romanam per aliquod tempus sub imperio adhuc coërcuit. Sui regni secularis necessitatem, quo propius illud ad finem vergere vidit, eo acrius in fidei articulis ponere laboravit. Jesuitis jam totum se dedit. Cum iisdem, quibuscum ecclesiae pacem stare nullo modo posse Clemens XIV. sollemni bulla declaraverat, Pius societatem iniit intimam, licet ipsi, ut videtur, plus semel molestam. Cum his conspiravit ad consummandam eam ecclesiae unitatem, quae absoluto Papae imperio et caeca ceterorum omnium obedientia constaret, ad stabilienda nova dogmata et statuta, quibus spes restituendi talem quondam omnium Christianorum unitatem, qualem Leibnitius altiore et liberaliore animo cogitaverat, omnino praecideretur, denique ad conculcandum, quidquid libertatis sub curiae Romanae dominatu superfuerat. Hoc icto foedere mox factum est, ut Maria sine labe concepta novo illo dogmate renuntiaretur, quod omnium dogmatum primum solus Papa sine Concilio definire et cunctis fidelibus credendum imponere ausus est, idque non tantum contra antiquioris ecclesiae traditionem, sed etiam contra disertas Sancti Bernardi et Thomae Aquinatis sententias. Itaque Papa homunculus, id quod de se per ironiam Vespasianus Caesar dixerat, Divum se fieri serio putabat, quum scilicet arrogata sibi in coelum potestate ipsi Deiparae aliisque jamdudum defunctis debitum, quo tamdiu caruissent, splendorem addere sibi videretur, immo satis pueriliter coram Cardinalibus suis gloriaretur, se canonizatis tot sanctis ‚novos patronos‘ praebuisse ecclesiae misere laceratae. His patronis etiam Petrum Arbues, primum quondam Hispaniae Magnum Inquisitorem, adnumerandum curavit. Non mirum quod tam audax somniorum captator, tantae omnipotentiae specie inflatus, etiam cunctis civitatibus Europaeis bellum inferre non dubitavit. Famosis edictis, encyclica et syllabo, vera et falsa perniciose miscens, cum pantheismo, materialismo, socialismo simul omnem libertatem conscientiae, cultus divini, sentiendi, dicendi et scribendi condemnavit et ut inventa Diaboli exsecratus est, nescius quantum ipse inerudita diversarum rerum confusione auxilium regno mali ferret. Tunc Maximus de Azeglio, qui mutatam in pejus Pii mentem et condicionem contristato animo secutus erat, vulnera religioni populi sui ab ipso Pontifice inflicta deplorans, in illo viro ipsum Papatum quasi ‚suicidii monomania‘ correptum esse

dixit; sicuti aegroti quidam, licet ab amicis anxie custoditi, tamen ad projiciendum sese per fenestram infelicia momenta captarent, ita illum spretis verissimorum amicorum consiliis in perniciem ruere. Quod falso dictum existimare aliquis possit, quoniam non contemnendas vires Papatus posthac maxime exhibuerit. Verum ipse vir ingeniosissimus, qui curiam sanari et conservari semper voluerat, de propinquo et subito Papatus interitu minime cogitavit sed de furore, quo ille vesani instar contra se ipsum inscius saeviret; neque de mortifero ictu jam facto sed de intentato locutus est. Ceterum etiam singuli, qui mortem sibi consciscunt, satis diu interdum letali vulnere laborant et febricitantes incredibili ultimarum virium intentione e longinquo spectantibus admodum robusti videntur.

Quaecunque vero Pius audacter hucusque perfecerat, praesumtione auctoritatis falli nesciae nitebantur. Reliquum erat, ut ipsa infallibilitas non minus audacter proclamaretur. Quod ut fieri posset, primum inter Jesuitas eorumque socios clandestina conjuratio per omnes terras Romanocatholicas conflata est, sparsae sunt nequissimae in honestissimos quosque futuri dogmatis adversarios calumniae, emissi quoquoversus libelli mendaciis et sophisticis ineptiis referti, deinde Concilium Vaticanum indicatum et congregatum est, idque dissimulato, quamdiu fieri potuit, primario ejus fine et consilio. Obstabat quidem et Sacrae Scripturae et antiquae ecclesiae de novo dogmate altissimum silentium. Obstabat summorum ecclesiae doctorum, contra ejusmodi opinionem stantium, ex quibus Cyprianum, Augustinum, Bernardum nominare sufficit, veneranda auctoritas. Obsecrabant Papam, ne temere mutatis rebus pacem et ecclesiae et universarum gentium turbaret, spectatissimi quique episcopi et theologi. Sic inprimis omnes fere Germaniae episcopi tunc animati erant, perpaucis exceptis, qui apud probiores doctioresque viros auctoritate minime florebant. Ex Francogallis Georgius Darboy, archiepiscopus Parisiensis, eadem animi fortitudine, qua anno post inter Communardos in sanctissimo munere perseverans mortem subiit, inter Concilii Patres inepto, quod vocabat, dogmati adversabatur, fraterna caritate obtestans illos, ‚ne pressiore exaggeratae unitatis vinculo internas vitalesque ecclesiae vires impedirent ac frangerent', neve constituta ‚unitate servorum sub arbitrio tyrannidis segniter degentium' discordiam sererent et summa societati christianae detrimenta infligerent. Simul Francogalliae et Bavariae monarchae, sustinendae sedis Romanae studiosissimi, missis legatis monebant curiam, ne tam periculosum negotium praecipitaret. Sed Pius, sibi mire ---ner placens, ingrata consilia contemnere consueverat. Favebant

perniciosissimo proposito tum catholicae plebis plurimorumque sacerdotum crassa inscitia et ad servitutem prona erga praesules observantia, tum aversa aliorum a christiana pietate mens, qua novarum rerum pericula ridebant facilius quam intellegebant. Adjuvabant illud consilium temporum motus, quibus factum est, ut haud pauci recens dogma, si non verum vel certum, tamen ad stabiliendos fluctuantium hominum animos utile fore arbitrarentur. Quod deerat, Vaticani concilii artifices, tam adversariorum ignavia quam satellitum fervore confisi, fraudulentiae et violentiae ausis supplevere. Quare tunc vir quidam Germanus, praesens Romanarum rerum spectator, hoc concilium tale esse judicavit, quale Tridentinum quondam fuisse Leibnitius dixisset, scilicet furtim praeparatum et subditum concilium.[1] Ludibrio illic habebatur omnis christiana veritas et sinceritas, quippe quae alienis nervis duci et dictata curiae serviliter recinere abnueret. Praevalebat vel parum accurata nonnullorum eruditio mere scholastica et Jesuitica, vel stupidissima longe plurimorum ignorantia, vel turpissima timiditas, simulatio, adulatio. Quae omnia probissimis quibusque et eruditissimis omnium gentium Christianis, nisi spiritus oculis careant, satis aperta et manifesta sunt, et propter Papalinorum facinora in Concilio coram orbe perpetrata, et propter praestantissimorum episcoporum de iniquitatis quibusdam mysteriis testimonia, quae multi eorum postea oblivioni dare frustra studuerunt.[2] Turpissimum quendam dolum, ab istis instigante Papa in medio Patrum consensu commissum, archiepiscopus Parisiensis statim detexit et castigavit,[3] sed neque Papam neque ejus satellites injecto pudore perturbavit. Talibus artibus factum est, ut Concilium mortem sibi ipsum obedienter conscisceret, quum Papam deinceps sine concilio infallibilem doctrinae christianae arbitrum esse concederet. Maximum de Azeglio, si superstes fuisset, dicturum fuisse existimo, jam simul in ipso Papatu, ‚suicidii monomaniam‘ ad summum fere culmen nunc pervenisse. Papa vero, postquam traditam hucusque sacrosanctam Conciliorum universalium auctoritatem abolevit, laetissimo animo omne tulisse punctum splendidissimamque victoriam reportasse sibi visus est.

Interea iisdem diebus, quibus haec Romae gerebantur, Galliae imperator, alias victorias somnians, aliqua saltem ex parte impulsus ab uxore, clericalis partis clandestina consilia sequente, Germaniae in-

1) Un concile de contrebande. Cf. Quirinus, Römische Briefe p. 14.

2) Cf. Lord Acton, Sendschreiben an einen deutschen Bischof, München Sept. 1870.

3) Quirinus l. c. p. 596 ss.

fandum bellum intulit. Cujus eventus etiam Papae opinionem fefellerunt. Ipse mundano regno privatus est: Italia Romam, Germania unitatem obtinuit. Tunc nostrates eodem et communium periculorum sensu, et divini auxilii desiderio conjuncti, inter proeliorum triumphos et dolores novi dissidii semina, quae in multorum animis a pontificiis spargebantur, observare non negligebant. Erant qui gliscentis morbi gravitatem statim indicarent. Ostendebant auctum immodice atque corroboràtum curiae imperium, eversas ultimas episcopalis libertatis reliquias, funditus mutatam universae ecclesiae Romanocatholicae condicionem, denique bellum a curia denuo civitatibus, inprimis Germaniae, illatum. Sic faciebant quod solum facere poterant. Tali officio ut ego quoque in academia nostra pro meis quidem viribus satisfacerem singularis quaedam occasio mihi data est. Cujus mentionem faciam, quoniam haud inutile esse mihi videtur simul cum iis quae tunc dixi universum tempus illud in memoriam revocare, quo belli papalis initia hominum animos, diversissimis rebus occupatos et commotos, perstringere jam coeperunt.

Incidit in finem memorabilis illius anni dies,[1] quo Fridericus Augustus Tholuck, serena adhuc senectute tunc superstes, semisecularem magisterii decursum absolvit. Qui propter multifariam doctrinam, praestans ingenium, indefessum christianae religionis studium etiam inter exteras nationes celebratus, universitatis nostrae Senior et per tot jam lustra insigne decus erat. Procul aberant haud pauci academiae et praeceptores et cives, officio erga patriam exsequendo in Gallia detenti. Plurimis nostrum necessariorum amicorumve vulnera et mortes aut jam deploranda erant, aut quotidie timenda. Nihilominus diem illum incelebratum praetermitti nemo voluit. Confluxerunt undique gratulabundi. Tradebatur et legebatur coram iis epistola, cui sub Lutetiae moenibus voluntarii milites, inter quotidiana pericula dilectissimum magistrum salutantes, subscripserant. Afferebantur ex omnibus fere Germaniae academiis gratulatoriae tabulae. Mihi vero, ut nostri collegii nomine venerando seni laetissima vota conscripta offerrem, adjuncta commentatione quadam ad bonas litteras pertinente, pro patrio more a senatu academico mandatum erat.

Commentandi materiem elegi ab ipsius viri illustrissimi cogitationibus non alienam. Scripsi inter bellum, quod cum potentissimo Neolatini nominis populo gerebatur, ‚de Romanarum et Germanicarum gentium consortio.‘ Quod saepius, ut fit inter mortales, suspicionibus

1) D. II. m. Dec. a. M.DCCCLXX.

inimicitiis bellis impeditum vel interruptum tamen divina providentia ita gubernatam esse demonstravi, ut ab alteris inde gentibus ad alteras ipsa indolis ingeniique diversitate eximia bona redundarent. Huic rei profuisse quondam, postea obstaculo fuisse Romani episcopi primatum. Degenerasse enim jampridem in foedissimam tyrannidem, quae inter gentes Neolatinas, quum ejus neque vitia neque remedia ferre possent, universae humanae societatis fundamenta quasi adrosisset et labefactasset. Neque usquam pro isto imperio parum christiano permultos ejus asseclas ut antehac ita nostris diebus[1] veritos esse, praetextu christiani nominis Romanas gentes cum Germanicis mutuo odio committere et inter ipsos Germanos incendiorum materiem, ut opportuno tempore faces injicerent, spargere atque accumulare, ne flocci quidem habita omni veritatis et pudoris conscientia. Hujus ingenii ministros et adparitores miserrimo exemplo plurimos Germanorum episcopos, a Vaticano concilio vix reversos, se praebuisse, allatis eorum verbis ac facinoribus et detecta foedissima, quam subierunt, animi mutatione ostendi. Ex iis igitur, quae tunc scripsi, nonnulla repetam.

‚Quanta libertate episcopi Germanici obstrepentibus Pontificiis in concilio Vaticano locuti sint, jam sola epistola, germanice ad unum eorum ab illustrissimo quodam Anglo Romanocatholico conscripta, luculentissime demonstrat.[2] Illic enim tantorum verborum quasi lumina exhibentur; inspectis paucissimis paginis videre licet, quae Moguntinus episcopus, quae Cardinales Austriaci, quae alii dixerint. Malis nimirum ominibus novi dogmatis definitionem inceptam esse, pejoribus completum iri; novum inde schisma ecclesiae imminere et extraneorum irreconciliabile odium; itaque fore, at concilium ad sananda vel certe lenienda mala congregatum, futuri remedii quamlibet spem humanam praecidat, fidelissimorum quorundam hominum corda conturbet, infidelibus largam calumniae et ludibrii materiam suppeditet; quippe ipsis quibusdam ecclesiae theologis definitionem illam absurdam et logice impossibilem visam esse; neque dubitari posse, quin illa admissa intimo antiquioris ecclesiae sensui bellum inferatur, veterum canonum haereticum papam removeri jubentium auctoritas derideatur, ipsa denique

1) Ex multis praesentibus ejus rei exemplis memorare sufficit versus ad Massiliensis quod dicitur carminis rhythmum non sine arte compositos et a Ludovico Veuillot publicatos, quibus Rhenani incitantur contra regem suum evangelicum et Francogallorum fanatismus provocatur hoc ineptissimo impudentissimoque mendacio: ‚Bismarck veut Metz, Bitche et l'Alsace, pour y faire adorer Luther.' Cf. commentatio mea supra allata p. 17.

2) Lord Acton, Sendschreiben an einen deutschen Bischof, Sept. 1870.

rerum evidentia eludatur, quoniam inter Romanos episcopos Vigilium satis dubiae fidei fuisse, Honorium haereseos condemnatum esse constet; accedere ut etiam nunc multis regionibus, id quod praesentes eorum episcopi testentur, illa sententia hucusque ignota prorsus et inaudita sit; quare pro universali et perpetuo fidei articulo eam recipere, ecclesiae quasi suicidium futurum; potius moriendum esse quam in ejusmodi facinore acquiescendum; quod si nihilominus novum istud dogma, conjuratione quadam contra divinam veritatem et justitiam facta, constitutum fuerit, officii fore, ut synodus, quae ad id flagitii processerit, ceteroquin ab initio manifestae servitutis maculis turpiter foedata, pro universali concilio non habeatur.'

,His igitur aliisque ejusmodi sermonibus libertas christiana, per tot secula in aeterna urbe consopita et ad silentium redacta, quasi resurgere inopinato videbatur. Indignabatur Pontifex ab adulatoribus circumventus, furebant Jesuitae cum satellitibus suis, sed quibuscunque evangelii veritas plus quam istorum imperium cordi erat, cuncti laetabantur. Inter horum gratulationem Germani episcopi, quamquam adversariorum victoriam impedire non potuerunt, tamen quasi re bene gesta Roma profecti sunt. Sed quid evenit? Domum reversi, fere omnes, si unum alterumve excipias, quasi Romae fictas personas sustulissent et nunc demum sui similes viderentur, idem dogma, cujus confirmationem superioribus diebus cum tanta constantia impugnaverant, cito tanquam semper et ubique et ab omnibus creditum et ab omnibus in posterum sub poena credendum pronuntiaverunt. Ecclesiae tyrannis subito et cedere et aemulari decreverunt. Eadem celeritate, qua ipsi priorem mentem quasi obsoletam vestem deposuerunt, jam in eos qui quominus eundem saltum jubente papa faciant conscientia prohibentur, saevire incipiunt. Scilicet inter ingens bellum, dum hominum animi alio trahuntur, sine periculo et pudore audere haec omnia se posse opinantur. Argumentis opus non est, vi et oppressione res agitur. Dum silent ipsi, silere etiam ceteros volunt. Sed ipsum eorum silentium alta ut ita dicam voce clamans quasi invitum hunc fere prodit sermonem: Quae plena stomachi et querelarum Romae locuti sumus, aegrorum somnia erant; quae ex animi sententia et religiosa rerum investigatione dicta profitebamur, vana erant omnia; quae velut foedissimam et perniciosissimam ecclesiae pestem respuebamus, medicina erat a prudentissimis medicis parata; illi sapientes erant, nos insipientes, illi docti, nos indocti, illi probissimi homines, nos calumniatores, illi veritatis et justitiae patroni, nos erroris et injustitiae. Sic nempe eos cogitare necesse est, si quae nunc profitentur sincere profitentur.

Quapropter summo jure Anglus ille verbis nobilissimo pectoris motu plenis ab iis postulat, ut si ita sentiant gravissimum peccatum suum Romae commissum coram universo populo confiteantur et propter tantam offensionem, orbi christiano datam, publice poenitentiam agant.‘ [1]

‚Praeclaram profecto causam Germanici episcopi sustinuissent, si victi in Concilio a Jesuitis, sed coram Deo victores et huic potius quam hominibus obedientes, perniciosissima illorum consilia christianis gentibus detexissint easque, quominus connivendo universam ecclesiam conturbari et perdi paterentur, sua constantia impedivissent!‘ ‚Obstat quidem in ipsis melioribus quibusdam hominibus, quominus murmurantem adversus novum dogma conscientiam aperte confiteantur, insita et quasi innata erga Romanum Pontificem pietas. Quis in patre longis laboribus exercitato, multis nominibus venerando, insidentem errorem silentio praeterire potius quam verbis castigare nolit? Verum enimvero quum ne id quidem fieri semper possit, quanto minus, ubi de communi multorum salute agitur, deserta veritas, nedum ementita laus, excusari pietatis officio debet? Inter Romanos Pontifices dignos quosdam, quos infernus vivos deglutiret, exstitisse, ipse Moehlerus, Romanae sedi addictissimus, dicere non veritus est. Verum nequissimi illi homines tantum ecclesiae vulnus non inflixerunt, quantum is, qui eo processit audaciae, ut et suam et istorum auctoritatem falli nesciam, tanquam sanctissimum mysterium nunc demum plenissime revelatum, obtrudere gentibus non dubitaret. Id, nisi in ipso corde virulentum ulcus lateret, nunquam perpetrasset.‘

Magnam perturbationem, quam novum dogma hominum animis tulerat, jam illis diebus longe lateque satis conspicuam, his verbis significavi: ‚Triumphant inter Romanicas gentes christianae religionis osores, qui, quum a Jesuitarum mendaciis discernere eam jamdudum dedidicerint, hoc novissimo mendacio vetera quasi ad summum culmen pervenisse et omnem pietatem in ludibrium versam garriunt. Caput extollunt pharisaei, qui omnem religionem in sua dominandi et opprimendi libidine positam esse arbitrantur. Seduli discurrunt, caecis ductoribus digni, caeci eorum pedissequi, nobilissimos quosque adversarios suos, ad quos coarguendos ingenio et doctrina careant, rogis et gladiis uti nequeant, sycophantiis jugulaturi. Contristati sunt multi bonae voluntatis homines, qui, quamvis eos non fugeret inveterata Papalis curiae labes, nihilominus magnum illud, quo tot gentes inter se connexas videbant, christianae societatis vinculum magni facientes,

1) Lord Acton l. c. p. 18.

desperare de futura Romanarum rerum sanatione noluerant. Conturbatae sunt probissimorum virorum conscientiae, qui, quum non omnia, quae e cathedra Petri prodierunt, pro divinis accipere hucusque licuerit, jam eos quoque falli nescios credendos esse vident, qui Bartholomaei noctis scelera et alia ejusmodi urbi quondam et orbi tanquam res praeclare gestas praedicaverunt.'

Haec omnia typis exscripta sunt mense Novembri anni millesimi octingentesimi septuagesimi. Quod moneo, ut appareat, quam mire ii fallantur, qui duobus vel tribus demum annis post, certis quibusdam legibus in Germania datis, bellum ecclesiasticum incepisse putant.[1] Iam enim Francogallici belli initiis facile ad videndum erat, animorum motum, quem descripsimus, nequaquam mere internam christianorum Romanocatholicorum rem esse, sed ex mente syllabi omnes eorum vires excitari tum contra ecclesiam evangelicam tum contra civitatum instituta cum recentiorum temporum ingenio consentanea. Quare etiam ego tunc in commentatione mea locutus sum de exorto novo ,bello ecclesiastico, quod nostro praesertim populo spiritualibus armis gerendum esset.' Neque innuere omisi, agi in eo bello de summis bonis spiritualibus et de vera animi cultura; quae ut contra inscitiam et barbariam recto modo vindicaretur, id requiri, quod inter populos Papae subjectos rarissimum esset, sentiendi nimirum libertatem cum sincera pietate conjunctam et superstitionum abusuumque odium non ex frivola atque incredula mente, sed ex conscientia ac fide natum.[2] Qui vero animi culturam hostili in christianam religionem mente efficere student, eos jam tunc cum Leibnitio censui alius cujusdam barbariae eruditae auctores esse et inscios ipsius tyrannidis Papalis adjutores. Denique id praedicavi, episcopis in bello illo ab iis in Germania commoto sociorum copiis utendum esse haud exiguis quidem sed parum honestis, scilicet tum hominibus ignorantia, stupiditate, superstitioso furore conspicuis; tum Guelforum reliquiis, qui contra stabiliendam Germanicam unitatem semper pugnassent et nuper pro sua virili parte, praebita falsa numeri et potentiae suae opinione, Francogallos ad praesens armorum certamen instigassent. Etiam ex his vero haud paucos, quum generosissimo instinctu inter subita patriae pericula populum nostrum agitantia et ipsi perciti atque accensi essent, resipuisse neque minus cito quam episcopos illos sed felicius sententiam mutasse. Adjeci haec verba ipsos episcopos alloquens:

1) Ferd. Schröder, Vier Jahre Kulturkampf, 2. Aufl. p. 18.
2) Cf. Commentatio mea supra dicta p. 21. 23.

,Ego vero, quae meliora antea in vobis eluxerunt recordatus, neque vos tam parum Germanos esse crediderim, ut, si quos a magna illa, quae ad salutem patriae pertinet, animorum mutatione abhorrentes videritis, iis deinceps niti vos non pudeat, neque tam parum christianos, ut, si ipsam infelicem vestrorum animorum mutationem coram Deo et hominibus stare non posse intellexeritis, novae ac melioris mutationis temporale dedecus aeterno dedecori non praeferatis.'

Hanc reliquam spem, in uno saltem alterove episcoporum collocatam, licet admodum exigua fuerit, tamen proferre honestum habui, quoniam quam tardissime de illorum melioribus quibusdam desperandum esse judicabam. Neque nunc ejus rei me poenitet. Frustra spem omnem fuisse mox apparuit. Etiam ii, qui, quum illa scriberem, infallibilistis qui vocabantur nondum se adjunxerant, deinceps ceterorum exempla secuti sunt. Sic ad unum omnes Germaniae episcopi illi, in quorum virilibus verbis, paulo ante Concilium publice dictis, Montalembertus aliique exteri fiduciam posuerant, turpissimum coram Deo et hominibus spectaculum facti sunt. Iidem, qui Romae, quum Papa omnia saniora consilia iratus derisisset, cum Moguntino ,futuri remedii quamlibet humanam spem sublatam esse' praedixerant,[1] jam in Germania laetari videbantur, ecclesiam post Papam infallibilem declaratum nullo alio egere remedio. Qui Romae illum, strati ad ejus pedes, ne novatis rebus civiles motus cieret, impensissime imploraverant, haud multo post ejusmodi turbas ipsi efficere omnemque ejus rei culpam in solos magistratus nostros rejicere non verebantur. In eo tantum dispares erant, quod saltum illum mortalem, qui vere dicebatur, cum majore aut minore facilitate, festinantius aut cunctantius fecerunt. Erant sine dubio, qui non sine multo labore et animi cruciatu novam personam a curia sibi impositam susciperent. Alios tam celeriter idem praestitisse constat, ut nihil injucundum ac molestum facere viderentur, nisi forte ipsa festinatione mordentis conscientiae vocem suffocandam putabant.

Inter cunctabundos longe praeclarissimus etiam apud exteros Sumalocennensis sive Rottenburgensis episcopus erat. Hic accuratissima historiae notitia nixus, quam per multos annos nactus erat, adversariorum fabulas ac mendacia, pro novo dogmate conficta, Suevica liberalitate et hilaritate tam fortiter in Concilio repulit, ut de sententia cedere vix unquam posse videretur.[2] Epistolâ illinc datâ haec

1) Lord Acton l. c. p. 6.

2) Cf. Friedrich, Tagebuch während des Vaticanischen Concils p. 110 s.

verba scripsit: ,Ipse Papa obloquentes auctoritatis suae pondere opprimere studet, cujus rei fructus percepturus est. Utinam sibi tantum curiaeque hos fructus perciperet; sed terris suis spoliato etiam ecclesiam vastare placet.' Et Rottenburgum reversus scriptis ad viros doctos quosdam Rhenanos litteris affirmavit, ,se novum dogma in dioecesi sua non proclamaturum esse; quid propterea sibi instet se non ignorare, sed malle se episcopatum quam conscientiae quietem abdicare; meminisse se et sentire eorum dolorem, quibus per totam Germaniam patiendum esset, ut liberi sui in scholis infallibilitatem papalem velut primarium dogma docerentur.' Manebant per aliquod tempus vestigia morientis libertatis.[1] Querebatur universum episcopatum velut inter noctem mutasse sententiam et in castra infallibilistarum insectandi alios cupidissimorum transiisse. Deinde vero diverse distrahi et claudicare in utramque partem coepit, paulatim cautissima temperantia ad novam ecclesiae consuetudinem se accommodans. Denique sequente anno declaravit, sese, quum a schismate abhorreret, per plures menses secum luctatum, sinceram pacem cum Vaticanis decretis fecisse; quomodo id perfecisset, ut quod paulo ante pernigrum viderat nunc album vere videret, nunquam exposuit. Dixit quidem, quoniam Concilium nondum absolutum esset, sperari posse fore, ut ejus decreta additamentis mitigarentur; sed ipsum serio id credidisse vix credibile est. Novum dogma defendere et impugnare aliter sentientes detrectavit. Neque concessit, ut offerendum sacrificium, quod ajunt, scientiae et conscientiae theologis Tubingensibus, suis quondam collegis, imponeretur; quod si fieret, revera renuntiaturum se esse episcopatui declarasse dicebatur, licet ipse propter politiae ecclesiasticae rationes sacrificium illud in occulto aliquatenus obtulisset. De Honorio I., ut saltem aliquo modo satisfaceret curiae, jam honorificentius quam antea loqui posse sibi visus est. Nuperrime demum eo perductus est, ut in magno Romanocatholicorum conventu Constantiae habito, publice revocans quae quondam docuerat, confiteretur, errasse synodum Constantiensem, quum definitione sua Papam in perpetuum subordinasset Concilio universali. Quamquam etiam tum pro prudentia et versutia sua ita locutus est, ut nude non diceret se credere Papam infallibilem. Scilicet curia non minus versuta tanto viro aliqua simulacra libertatis reliquisse videtur.[2] Optime illa noverat, in Germania ex episcopis neminem novo dogmati utiliorem fuisse quam tacito obsequio

1) Cf. Taciti Annales I, 74.
2) Ibidem I, 77.

suo Hefelium. Neque parvi aestimabatur, quod tandem se errasse etiam palam licet caute declaravit. De ea re Francogallus quidam, qui Constantiensi conventui adfuerat, haec verba scripsit: ,Vehementer commiseratus sum hunc episcopum visu liberalem et mitem, sermone moderatum, qui universo habitu suo talem episcopatus typum ac formam exhibebat, qualem posteri non amplius videbunt. Qui dum retractationem suam balbutiebat et intellectus sui mutilationem perficiebat, beatus profecto et invidendus is mihi visus est, cujus vel nomen proferre oratione sua ille verebatur, Johannem Hussum, qui in eadem urbe comburi quam conscientiam ac fidem denegare maluit.'[1] Addimus, beatam et invidendam, si cum eodem doctissimo episcopo comparetur, etiam Amaliam de Lasaulx sororem illam Bonnensem nobis videri, quae, quum novum dogma repugnante conscientia confiteri nollet, jam graviter aegrotans ex domo caritatis, cui per tria decennia praeclare praefuerat, a fanaticis hominibus expulsa, inter eorum vexationes et ludibria ,bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit.'

Satis nota ac detrita sunt, quae ideo interponere Pontificii solent, ut episcopis Germanicis aliisque foedissimam istam inconstantiam et ignaviam laudi vertant et obsequii eorum gloriam concelebrent. Omnia nimirum pendent a falso et immodico unitatis studio, a morbo illo Latino, quem post Agenorem Gasparinum supra descripsimus. Ejusdem aegritudinis somnia, quasi veritas essent, jam Caesarum temporibus praetendebantur sordidissimae servituti et adulationi. Sic in senatu quondam nobilium aliquis ad Tiberium locutus est: ,Tibi summum rerum judicium Dii dedere; nobis obsequii gloria relicta est.' Et ad eundem alius: ,Unum est reipublicae corpus et ab unius animo regendum.'[2] Similiter nunc Jesuitae prae ceteris de ecclesia ejusque membris ad Papam religionis specie Caesarum imitatorem loquuntur, deridentes Christi et Pauli apostoli verba, quibus hominum servi fieri vetamur. Et huic servili animo cedentes episcopi de quibus diximus frustra ad Fenelonii exemplum provocabant, qui suae debilitatis, qua errare potuerat, memor Pontifici et multitudini, a Bossueti parte stanti, se subjecisset. At ii etiam, qui hoc nimium in Fenelonio obsequii fuisse censent, illum longe facilius quam istos studiosos ejus laudatores, ceterum valde ejus dissimiles, excusabunt. Tunc enim de subtilibus quibusdam quaestionibus theologicis agebatur, de quibus errare

1) Revue Chrétienne 1880, p. 647.

2) Taciti Annales VI, 8; I, 12.

se potuisse jure quodam ille meminerat, nunc de novo dogmate, cujus absurditatem et fatuitatem, si illud ex ipsis historicis catholicae ecclesiae rationibus judicatur, Hefelius talibus argumentis demonstravit, quales posthac neque ipse neque alius quisquam refellere valuit. Quare dubitare vix possum quin vir doctissimus de dogmate illo, quod apud veteres christianos frustra per triginta annos se indagasse et anquisivisse confessus quondam est, etiam nunc apud se ipsum dicat: ‚nihilominus absurdum est,' similiter atque Galileus, postquam violentiae cedens veram sententiam suam revocavit, dixisse de sole fertur: ‚Et tamen movetur.' Ita vero sentientes episcopi Germanici multitudini fortiter et constanter obstare debebant eorum exemplo, qui olim, quando universus orbis Arianus esse dicebatur, puriorem veritatem christianam vindicaverunt. Etiam episcopo Romano, ut Paulus Petro, ‚quod non recte ambularet ad veritatem evangelii,' ‚in faciem resistere' debebant.[1] Sic muneris sui officio satisfacientes antiquum ejus honorem tueri et restituere poterant. Nunc non tantum suum sed etiam muneris sui honorem prorsus exstingui ignave ac serviliter patiebantur.

Eousque nimirum episcopatus catholicus veteris dignitatis et libertatis aliquid semper servaverat. Quamquam Pontifices jam per multa secula dominatum et imperium in universam ecclesiam haud incassum affectaverant, tamen, quod ad dignitatem episcopalem pertinet, adhuc legitime docebatur, Romanum episcopum nil esse nisi primum inter pares, qui omnes aeque atque ille episcopatum ab ipso Christo accepissent. Mentio fiebat Gregorii Magni, qui Papis nomen universalis episcopi detrectandum fuisse dixisset, ne ‚si sibi gloriam singularitatis arriperent, hanc omnibus fratribus denegasse viderentur.'[2] Ex ea ipsa omnium paritate probissimi doctores concludebant, non Papam esse falli nescium, sed Concilium universale universam ecclesiam legitime repraesentans. Hanc doctrinam liberaliter et spiritualiter acceptam etiam Erasmus et Leibnitius neque sincerae fidei repugnare putaverant, neque rationi humanae, quippe inde derivandam, quod Christus discipulis promisisset se suo nomine congregatis praesentem fore eosque spiritu suo in omnem veritatem ductum iri. Quae verba, etiamsi non de synodis lege ecclesiastica institutis agunt, tamen ad synodos, quo verius Christi nomine congregantur et consiliantur, eo justius transferri, etiam Evangelici salva examinandi decreta earum potestate conce-

1) Gal. 2, 11—14.
2) Gregorii I. epp. 5, 18 (cf. 5, 43).

dere possunt. Neque negamus priorum seculorum Concilia, licet mundani affectus jam sese iis admiscuerint, non sine divina providentia ita gubernata esse, ut magnis quibusdam illorum temporum erroribus praecisis futuri aevi saluti prospicerent. Et ab illis quidem Conciliis consensus ecclesiae sine ullo imperio papali constitutus est. Nunc vero Pius IX. concilii Vaticani ope definiendum curavit, Papam jam solum sine Concilio falli nescium esse et de quavis quaestione consensum ecclesiae efficere posse. Itaque sibi supra omnes homines singularitatis gloriam arripuit, ceteros vero episcopos ex parum fratrum loco dejecit, ut deinceps, sicuti pontifices Christi, ita episcopi pontificum vicarii et servi essent. Quae quum feliciter perageret, tantam in ecclesia Romana omnium rerum mutationem sive (ut verbo neoterico utar) revolutionem perfecit, quantam neque Gregorii VII. neque concilii Tridentini tempora viderunt. Iam vere nunc ea imperii ecclesiastici condicio legibus stabilita est, ut non aliter ratio constaret, quam si uni redderetur.[1]

Hujus mutationis immanitatem permulti etiam Protestantium non satis perspexerunt. Quod de praeclaro quoque historiae ecclesiasticae scriptore, Carolo Hase, dicendum mihi esse videtur.[2] Concedit repugnare novo dogmati ecclesiastica seculorum monumenta et acta. Sed quasi tacite inclinasse ad illud jam pridem Romanam ecclesiam; nunc nihil eam fecisse, nisi ut infallibilitatem, quam inde a mille annis sibi arrogaverit, a multorum capitum synodis, inter se discordibus, in unum caput transtulerit; etiam post alia nova dogmata procreata eam in sua indole perstitisse; hoc novissimo dogmate superbiam illam, qua sub humilitatis involucro semper se extulerit, ad summum fastigium venisse; quod ut in ejus exitium per papam indoctum et vanum factum sit, tamen nunc quoque ecclesiam Romanam sibi similem permanere. Quae quum ita sint, eos qui novissimum illud dogma improbent, si palaeocatholicorum nomen usurpent, suo jure uti, sin vero ejusdem patronos neocatholicos nominent, in justam reprehensionem incurrere.

His omnibus sibi constaret vir egregius, si ipsam Romanocatholicae ecclesiae indolem in Antichristianismo sitam esse contenderet. Certe enim antichristianum id est, quod ut novissimo dogmate consummatum describit, nimirum superbia sub externa christianae humilitatis specie incendens, intus Titanum animum spirans. Haec enim Titanum superbia ejus simillima est, quam Paulus apostolus in ,homine pec-

1) Taciti annal. I, 6.

2) Cf. ejusdem libellus: Des Culturkampfes Ende, 3. Aufl. p. 58 s.

cati,‘ in ‚filio perditionis‘ ponit, ‚qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.‘[1] Quare si haec superbia revera (id quod disertis verbis scriptor ille dicit), verissimam ecclesiae Romanae indolem‘ inde a mille annis constituisset, sine ullo dubio indoles ejus purus putus (ut ita dicam) Antichristianismus fuisset. Atqui in opusculi sui praefatione iterum ille pro miti suo animo idem profitetur, quod etiam antea professus est, esse aliquid vere christiani in Romana ecclesia, quod ipse et semper agnoverit et nunc agnoscat. Non potest vero arbor mala bonos fructus facere. Sequitur ergo, ut Antichristianismus ille non sit ipsa Romanae ecclesiae indoles sed quasi malus ejus genius, meliori resistens, sive adhaerens illi morbus. Sequitur porro ut boni fructus non proficiscantur ab hoc morbo, sed a sanis quibusdam viribus quae adhuc supersunt. Quod si ipse morbus ille novissimo dogmate ad novum culmen pervenit, idque fortasse, ut ait noster, in propinquum exitium, non ii profecto, qui exitiale ejusmodi dogma confirmare, sed qui evertere illud student, veri ecclesiae catholicae filii habendi sunt. Neque male hi eam ecclesiam, in qua pro tempore dogma illud dominatur, ad significandam factae mutationis novitatem vocant neocatholicam. Quod notare haud piguit. Quamquam enim de nominibus disputare operae pretium non esse dicunt, tamen justus aut injustus verborum usus haud levis interdum momenti est. Dira illa lues, quae Vaticano concilio erupit et per universum ecclesiae Romanae corpus pervasit, jam diu sane intus latuit et praeviis malis praenuntiata est. Sed qui propterea ipsius exortae pestilentiae novitatem infitiantur, eos adjuvant, qui sanos se et antea fuisse et nunc esse falso credunt, eosque impediunt, qui sanis, quae supererant, viribus et antea imminentem pestem praecavere, et posthac exortam tollere studebant. Melius profecto ii ecclesiae illi consulunt, qui christianae caritatis et veritatis officium pro virili parte implentes factam illic mutationem, quanta fuit, tantam describere non desinunt. Quod et nos tentabimus, quamquam sine multorum offensione id fieri non posse scimus. Sed cum Dante tenemus, veritatis verba, licet multis molesta, conscientiae vel propria vel aliena culpa maculatae acerba, scabiem scabentia, tamen frustra dictum non iri.[2]

---

1) 2 Thessal. 2, 4.

2) Dante, Paradiso XVIII 1, 24 ss.: Coscienza fusca
O della propria o dell' altrui vergogna;
Pur sentirà la tua parola brusca —
— e lascia pur grattar, dov' è la rogna.

Mutationem illam perniciosissimam fuisse et cum exorta pestilentia vere comparandam, jam ex eo intellegitur, quod ubique simul cum novo dogmate constituto nova abjectissimae illius, quam supra tetigimus, servitutis quasi eruptio facta est. In Romanae ecclesiae historia singula quidem similia permulta nobis occurrunt, tam universalis ad novum jugum impositum facta acclamatio nusquam. Cui foedissimo spectaculo in totius humani generis annalibus vix similius quidquam inveniri dixeris, quam res, quas et ipsas supra innuimus, Romae post Augusti mortem gestas et a Cornelio Tacito conscriptas. Non hujus est loci commemorare, quomodo dissimillimae partim causae tunc similem servilis animi eruptionem effecerint. Neque opus est longius describere quam prorsus diversi fuerint Tiberius Caesar et Pius IX. Papa.. Ille natura robustus, virilis, militaris, circumspectus, ad omnia negotia aptus, sed ab initio ad suspicionem et simulationem inclinans, suspensi et obscuri sermonis amantissimus, secretis libidinibus maculatus, saevus, ad quodvis scelus utilitatis causa perpetrandum promptus; Pium IX. indole benignum, suavem, amabilem supra adumbravimus; a suspensis et ambiguis verbis tantopere remotus erat ut etiam iram et superbiam, quibus solis interdum, at sine saevitia, accedere ad Tiberium videbatur, satis aperte prae se ferret. Sed in utroque viro eadem regendi imperio orbis cura viguit et utrique inserviit eadem anxia subjectorum cura in retinendo unitatis vinculo posita. Quare quo manifestiore et ingeniorum et morum diversitate alter ab altero distat, eo memorabilior turpissimae condicionis, quam sub utriusque imperio vere Romano hominum multitudo subiit, similitudo est. Etenim ubicunque illud obtinebat, ruere in servitium nobiles et plebes, quo quis illustrior eo festinantior, ne obsequii gloria ceteris inferior esset; pauci tantum initio cunctabundi propter pudorem; quo tandem deposito plerique eo impudentius alios dolo, minis, vi post se trahere, vel ipsi delatorum munere fungentes, vel infimorum hominum servitio ad obtrectandam nobilissimorum virorum et feminarum virtutem utentes. Iam disserere libertatis bona suspiciosum existimabatur; ii vero acceptissimi praepotentibus, quicunque praesentem tyrannidem talem, qualis erat, summi boni loco ponendam esse demonstrarent, quasi non aliud discordantis mortalium societatis remedium esset, quam ut ab uno regeretur, penes quem solum essent ‚arcana imperii' et summum rerum judicium divinitus ei datum. Haec omnia utriusque aetatis propria sunt. Ne id quidem deest in novissimarum rerum Pontificiarum annalibus, quod Tacitus ut summum servilis istius furoris fastigium describit, ut ipsis impudentissimis servitutis, assentationis, adulationis in-

ceptis libertatis amor praetendatur. Sic Berolini in populi Germanici Comitiis Centri sodales, quamquam furoris servilis per ecclesiam Romanam grassantis acerrimi in patria nostra validissimique patroni et adjutores erant, tamen callidissimo viro Windthorstio Meppensi duce ut ejusdem libertatis, quam Papa toties exsecratus erat et conculcaverat, nobilissimos propugnatores se gerere iterum iterumque non dubitabant. Quae inaudita audacia vix unquam illic ea, qua par erat, perspicacitate, gravitate, severitate detecta et castigata est. Multo id praestantius nuper in Comitiis Francogallicis factum, ubi curiae asseclis liberalitate similiter gloriantibus, ipsa Papae verba tam accurate et fortiter objecta sunt, ut compluries acriter oblocuti subito prorsus obmutescerent.[1]

Sanguinariam quidem pristinorum seculorum tyrannidem, Bartholomaei noctibus gaudentem, renovare nostris diebus nullus Papa poterat, licet Tiberii vel Alexandri VI. vel etiam Pii V., viri in ‚pie saeviendo' prae ceteris horribilis, ipse simillimus fuisset. Habuit tamen etiam benignus indole Pontifex, Pius IX., satellites suos, vere Tiberianum quoddam ingenium spirantes, qui etiam veterum legum cruentarum, nunquam hucusque derogatarum, orbem Romanum commonefacerent, Jesuitas dico, quos Ludovicus I. Bavariae rex Papae praetorianos quondam nominaverat, magis magisque domini sui dominos factos, praecipuos ingentis quam diximus mutationis in Romana ecclesia perfectae artifices. Quare paulo fusius de iis hoc loco nobis loquendum est.

In horum societate multi quidem viri non ita mali plerumque fuerunt, haud pauci etiam probi, honesti, candidi, partim vel solida eruditione atque docta sagacitate insignes, vel propter heroicam animi fortitudinem, quam praesertim praedicando paganis evangelio exhibuerunt, jure celebrandi. Qui fere omnes magnas unius ecclesiae et regni divini oecumenici ideas intimo animo amplectentes, tenebricosa vitia, quibus illae a gubernatrice ordinis vi obscuratae erant, aut plane non videbant, aut si quid eorum odorati erant, non satis perspiciebant, sed quasi parvas nubeculas mox transituras conspexisse sibi videbantur. Alii longe his plures, quum ipsi indole mixta et inter bona malaque media essent, quasi per varios gradus ad societatis suae vitia primum cognoscenda, deinde vel excusanda vel probanda accedebant. Omnibus tam diversis sodalibus ii, qui in ordine ‚arcana imperii' tenebant, ad illud promovendum et corroborandum ita utebantur,

1) D. 21. m. Iun. a. 1879. Legitur haec scena ut ita dicam vere dramatica, a tachygraphis excepta, in: Paul Bert, la morale des Jesuites p. 572.

ut nescias fortitudinem et constantiam, an prudentiam et circumspectionem magis admireris. Sed ejusmodi virtutes, quo manifestius colorem vere Jesuiticum duxerunt, eo justius splendida vitia eas nominaveris.

Is enim animus, quo imperii Jesuitici arcana ab initio gerebantur, ipse malus ille, quem diximus, Romanae ecclesiae genius erat. Qui ‚transfigurans se in angelum lucis' meliores illos ordinis sodales et ipsos decepit et ad alios decipiendos adhibuit. Etenim specie ostentabatur Christi regnum, revera Christi loco ordinis rectores ponebantur. Hi Pontifici per ipsos, ipsis per Pontificem dominandum censuerunt; in illius sibi ipsis obedientis obsequium omnibus Christianis jurandum esse; in solo hoc servitio catholicam pietatem et salutem ponendam. Quae omnia quo minus spiritu vere christiano effici potuerunt, eo largiora Jesuitae externa auxilia, exercitia, instituta praebuerunt, quibus fieret, ut etiam interioris hominis motus externis artificiis excitarentur et dirigerentur. Etenim enthusiasmo quodam, saepius ecstatico, nitebantur, imaginationis et phantasiae ope pro certis quibusdam regulis excitando atque alendo, ad amplexandas traditas quaslibet superstitiones paratissimo. His artibus Moehlerus ait jampridem illos ecclesiam Romanam in magnum quoddam machinamentum mutaturos fuisse, nisi Jansenistae, licet et ipsi in aliam partem peccantes, fortiter obviam iis ivissent.[1] Magnum vero illud machinamentum, ut regni divini, pro indole sua liberrimi, jura usurparet, fraude ac violentia carere nunquam potuit. In his rebus principalia Jesuiticae societatis vitia sita sunt, inde fluxerunt cetera omnia. Quae vitia jam in ipso Ignatio Lojola multo pleniora quam hucusque credebatur emicuisse ex epistolis ejus nuperrime editis clarissime patet.[2] Etenim enthusiasmo ecstatico et superstitioso suis praecedens ad subjiciendum ordini mundum non modo animi robur vere admirabile attulit, sed etiam vafritiem quandam diplomaticam, de sinceritate ac probitate non admodum sollicitam. Docuit sodales Principum nobiliumque feminarum benevolentiam blanditiis anquirere, caventes ne emendandae conscientiae cura molesti illis essent. Iurisjurandi oblitus clam contra sedem Romanam cum Hispaniae et Lusitaniae regibus facere non dubitavit. Itaque Clemens XIV. in bulla, quae incipit ‚Dominus ac Redemptor noster,' suo jure significavit eadem damna, propter quae

---

1) Cf. Leu, Beitrag zur Würdigung des Jesuiten-Ordens, Luzern 1840, p. 23—25. Quae illic p. 1—29 leguntur ex Moehleri lectionibus sumpta sunt.

2) Id exemplis allatis probavit Druffel: Ignatius Loyola an der römischen Curie, München 1879. Cf. inprimis p. 26 ss. p. 34.

ordinem Jesuitarum exstinguendum judicasset, jam in ejus quasi incunabulis detegi posse.

Hic Papa, animo et ingenio nobilis, in theologia et in optimis quibusque litteris egregie versatus, Principibus ordinis Jesuitarum exstinctionem postulantibus obsecuturus non erat, nisi et ipse illius damna alte perspexisset et de reformatione ejus jam jamque desperasset.[1] Celeberimum ejus edictum, quod postquam apparuit, per universam Europam avide legebatur, post longam religiosamque meditationem et accuratam, quatenus apud curiam licuit, rerum historicarum investigationem ab illo compositum est, dignum quod etiam nunc iterum ab aequalibus consideretur et ponderetur. Ipsum quidem Lojolam, scilicet a curia sanctum declaratum, nisi laudabiliter non memorat. Sed ‚in aeternam rei memoriam‘ demonstrat, illius societatem inde ab initiis suis christianae reipublicae pacem ac tranquillitatem vehementer perturbasse; etiam in ordinis institutis fuisse nonulla quae in justam reprehensionem inciderint, inprimis vituperandam Praepositorum Generalium aliorumque Superiorum nimiam atque absolutam potestatem; hos implicuisse se in ‚res seculares, politicas, ad status gubernationem pertinentes;‘ praeterea multos sodales sententias et interpretationes scandalosas optimaeque morum disciplinae manifeste noxias protulisse; alios in sacris Missionibus ad ethnicorum rituum praxim prave se accommodasse, denique ‚dissidia gravissima et jurgia in Europa, Asia et America non sine ingenti animarum ruina ac populorum admiratione a societate acriter excitata esse.‘ Narrat Clemens ibidem quinam Pontifices ordinem adjuvarint et liberalitate munificentiaque sua ornarint, quinam reprehenderint eum et restrinxerint. Sic utrosque diversis sententiis in discidia ecclesiastica a Jesuitis accensa se immiscuisse indicat. Hujus magni certaminis indolem ac rationes ipse ut Papa aperte exponere veritus est. Innuit tamen, Jesuitarum adjutores, quum ‚immoderata privilegia‘ illis dederint, incaute egisse. Neque dissimulat se cum iis facere, qui illorum noxias doctrinas proscripserint et superbiam coërcuerint, pravam condicionem reformare frustra studuerint. Impense laudat Innocentium XI, irenici negotii fautorem, qui necessitate compulsus eo devenerit, ut societati interdixerit novitios admittere; similiter Innocentium XIII. et Benedictum XIII. adversus illam se gessisse: quod vero ‚ejusdem institutum immediatus praedecessor suus magnopere commendaverit et rursus approbaverit, id factum esse (ut Gregorii X. verbis quibusdam

1) Cf. de ea re Ranke, Gesch. der Päbste II.

utatur) novissimis apostolicis litteris extortis potius quam impetratis.' His verbis impotentem Jesuitarum etiam adversus Pontifices animum oblique significavit. Quem illorum animum et ipse tum jam expertus erat, tum largius mox experturus.

Optime quidem noverat tunc temporis variis in terris injuste illos ac dure tractari eorumque adversarios passim satis pravis consiliis duci. Si et id publice declarasset, et Jesuitarum flagitia vel apertius castigasset, nobilius eum atque christianae religioni congruentius facturum fuisse existimaveris. Sed tam ingenue et simpliciter loqui etiam optimi Papae politicis rationibus saepe prohibentur. Id certo ille perspexit, licet Jesuitarum singuli multi integri essent et summam injuriam passim paterentur, tamen universam societatem sua culpa, quam ex monumentis in Vaticano conservatis diligenter ipse examinaverat, omnium ubique etiam probissimorum Christianorum odium contraxisse. Quam culpam historia ipso Papa vel severius judicabit.

Etenim Jesuitismus ubicunque Romanae ecclesiae nomine imperium exercebat, quidquid in illa perversum ac corruptum erat, ad summum culmen provexit. Itaque gesta tyrannide sua vere Romana, dum insidiosam fraudulentiam ad robur quoddam ingenii et eximiam in variis negotiis sollertiam adjungit, habet aliquid quod mirum in modum veterum Caesarum, imprimis Tiberianae tyrannidos, nos commonefaciat. Satis nota sunt Jesuitarum artificia, non tantum ad jugum hominibus imponendum verum etiam ad eorum mentes in servilem habitum inducendas et educandas adhibita, idem suspicax animus ad innitendum delatoribus promtus in iisque quovis pretio callide subornandis summam gubernandi sapientiam conspiciens, insita simulandi consuetudo singulari suspensorum et ancipitum sermonum arte quadam sibi placens; intrepidus subdolae pervicaciae vigor, saevitia pressa interdum, mox iterum erumpens, a quovis vel turpissimae perfidiae vel sanguinariae crudelitatis facinore, ubi assequendi consilii causa necesse existimabatur, vix unquam abhorrens. Secretas libidines nemo justus judex universo ordini crimini dabit, cujus conditor ejusmodi maxime peccata institutis suis praevertere summo opere studuit. Neque tamen silentio praetermittendum, singulorum Jesuitarum vere infandas secretas libidines variis temporibus in lucem protractas aliorum similium, quae fama ferebantur, fidem tanto facilius apud multos fecisse, quanto leviores ac turpiores doctrinas celeberrimi illorum scriptores de ejusmodi rebus saepissime sparserant.[1] Una in re Caesares quidam Romani Jesu

1) Wolf, Geschichte der Jesuiten I 236 ss; 290; II 53; III 225 ss. Huber, der Jesuiten-Orden p. 96 s; p. 317 s. Paul Bert l. c. p. 131 ss.

sodalibus, qui se vocabant, meliores et nobiliores se gesserant. Hi enim (de universis dico, non de singulis pietate sinceris) nuncupatum paupertatis votum satis astute semper eluserunt, frequentissimae in eos (ut ait Clemens XIV) ,factae sunt de nimia potissimum terrenorum bonorum cupiditate accusationes;' Tiberius, id quod pluribus locis collaudat Tacitus, firmus adversus pecuniam, a captandarum haereditatum vel specie abhorrebat. Ceterum ejusdem tyrannis parva et modica fuisse videri potest, si cum Jesuitarum tyrannide comparatur. Haec enim non per tres et viginti annos, sed per secula manebat; terrore suo non unam urbem, sed magnam humani generis partem attonitam saepius tenuit; caedibus non singulorum sed universarum gentium delectabatur, alias adversus alias plus semel instigans; inprimis Germaniam rebellantem (id quod nuper monuit Doellingerus) excitato diro triginta annorum bello tam graviter percussit, ut res publicae ejus per longum inde aevum miserrimae et turpissimae jacerent. Neque societas Jesuitarum perpetravit tantum flagitia, verum etiam sophisticis et scandalosis, quas probissimus Papa dixit, doctrinis defendere omnia, immo pessima quaeque, caedes, fraudes, perjuria, reddere bona conabatur, idque partim tam callide, ut ordinis gubernatores horrenda ejusmodi sophismata pro lubitu vel in usum suum vertere, vel ut male intellecta et a calumniatoribus perversa rejicere possent. Sic etiam post immortales Pascalii litteras fucum facere simplicibus animis eorumque haud paucos in ordinis servitio retinere non desierunt, studio propagandi regni divini se moveri aliis, fortasse sibi ipsis persuaserunt, denique Christum et Belial tam prorsus singulariter commiscere perrexerunt, ut religiosi historiarum perscrutatores, quidnam in singulis illorum coelestem, quidnam infernalem spiritum redoleret, accurate distinguere vix ausi sint.

His igitur omnibus aliquatenus perspectis Clemens XIV. solos eos Pontifices, qui tantis damnis obluctati essent, ex vero christianae religionis et ecclesiae ingenio egisse vidit eorumque incepta consummare sibi proposuit. Itaque sollemniter declaravit, ,fieri aut vix aut nullo modo posse, ut illa societate incolume manente vera pax ac diuturna ecclesiae restitueretur.' Addidit ut ex cathedra haec verba: ,Maturo consilio, ex certa scientia et plenitudine potestatis apostolicae, saepe dictam societatem exstinguimus et supprimimus.' Quod decretum ingentem Jesuitarum eorumque asseclarum furorem conflavit, per universum fere orbem et per plura lustra pertinentem. Tunc eorum permulti, fortasse plurimi, jusjurandum suum ridentes, rebelles adversus sedem Romanam surrexerunt. Id quod Lojola clam

opinatus fuerat, fas esse interdum Papae jussa transgredi, publice subito docuerunt; ,illius potestatem non tantam esse, quantam ei plures tam in regem quam in episcopos vindicassent; si judices ecclesiastici sua potestate abuterentur, vim passis integrum esse auxilium regis implorare.'[1] Hoc animo jam antequam decretum illud papale exiret, Jesuitarum Generalis Riccius legatum ad Fridericum Magnum miserat, qui peteret ab eo, ut societatis protectorem publice se declararet;[2] postea in Borussia spreto Papa Jesuitarum societas per aliquod tempus permansit. Simul Exjesuitae, mendacii apostoli, quos Augustinus Theinerus vocat, foedissimas calumnias in Clementem per Europam et sermonibus et innumeris libellis spargebant; Romae duas vesanas feminas instigaverunt, quae ineptissima somnia sua tanquam vaticinia ab ipsa Maria virgine contra Papam revelata in publicum ederent; alii mortem veneno vel pugione illi inferendam minitabantur;[3] postquam vita defunctus est, impudentissimum mendacium circumferebant, quasi propter commissum in sanctum Ignatium scelus mente alienatus ille fuisset.[4] Quibus omnibus patuit, quam juste ordo, qui tot tantaque monstra pepererat, suppressus esset.

Nihilominus fanatici ejusdem farinae homines Clemente mortuo paulatim in curia praevaluerunt. Jam iterum illi absoluti Pontificum imperii propugnatores exstiterunt. Hoc imperium revolutioni Francogallicae, hoc Napoleonis tyrannidi opponendum esse docebant. Itaque Pio VII. Pontifici, qui pia malorum tolerantia magis quam sana ,spirituum discretione' Christianum se praebuit, isti homines et veterem fabulam de Clemente in vecordia mortuo persuaserunt,[5] et novum additum mendacium, quasi jam ,unanimi fere totius orbis consensu' societatis Jesu restitutio instanter efflagitaretur. Quod mendacium in bulla, qua hanc societatem restituit, veri instar pronuntiatum, mox quam impudenter confictum esset videre potuit, quum undique omnes fere gentes catholicae et inter eas piissimi atque eruditissimi viri restitutioni illi reclamarent. Sed verum videre Pius VII. noluit. Itaque non mirum, quod pro credulitate sua versutis illis sodalibus toties

1) Cf. theses in Germania a. 1774 publicatae, quas A. Theiner ex Vaticana bibliotheca edidit: Clementis opp. etc. p. 365 s.

2) A. Theiner, Clemens XIV. tom. II. p. 265.

3) Ibidem p. 510.

4) Hoc mendacium indubiis testimoniis refellitur ibidem 474 ss. 509. 512.

5) Id credens Jesuitis in captivitate Gallica timuit, ne et ipse mente captus moreretur. Quod narrat Pacca in: memorie storiche, Roma 1830 p. 238. Cf. Huber, der Jesuiten-Orden p. 541.

mendacii convictis confidens in eadem bulla declarat, ,se in Petri navicula adsiduis turbinibus agitata et concussa collocatum respuere non posse expertos et validos qui se offerant remiges ad frangendos fluctus pelagi, naufragium sibi et exitium quovis momento minitantis.' Haec scripsit scilicet eodem anno, quo uno animo omnes monarchi christiani, etiam Protestantes, urbem, terram, honores ei reddiderant. His igitur omnibus invitis (si regem Hispaniae et regulos quosdam Italiae excipias), societatem illam restituit et quibuscum pacem habere propter tot tantasque causas debebat, iis hostilem se praebuit. Memoriam nobilissimi decessoris, Clementis XIV., pedibus conculcavit. Hic cum Jesuitis nullam veram et diuturnam pacem in ecclesia esse posse declaraverat. Pius VII. non tantum remigium sed etiam gubernaculum ecclesiae coram orbe iisdem tradidit. Utrum Clemens an Pius de istis naviculae Petri gubernatoribus rectius judicaverit, futura tempora clarius, quam multis fortasse gratum erit, manifestabunt. Id jam nunc apparet, inde ab anno illo restitutionis Jesuitas, quum modo in varias terras tam pervicaciter quam callide irreperent, modo turpiter inde repellerentur, tempestates quales Clemens XIV. dixerat semper vehementiores excitasse. Romae vero ab arrepto naviculae Petri gubernaculo ceteros omnes magis magisque detruserunt, sua dogmata fraude ac vi ecclesiae Pontificiae imposuerunt, ipsum Pontificatum ad letale bellum universo aevo nostro ejusque vel praestantissimis institutis ac moribus indicendum pellexerunt.

Hos igitur diximus, quum abjectissimum servitutis animum in ecclesia sua disseminarent, sub Pio nono, qui ipse indole benignus erat, etiam aliquid Tiberianae saevitiae ob hominum oculos posuisse. Quod nemo infitiabitur, qui praesentia eorum facinora cum praeteritis, quae supra indicavimus, incorrupte contulerit. Fusorum quondam sanguinis fluminum se poenituisse nunquam confessi sunt. Quin immo satis clare produnt quod cogitant: si eadem facere nunc possent, eadem se facturos esse. Scilicet ab initio Dominicanorum regulam probaverunt, saeviendum esse in haereticos quousque liceret sine periculo: si fieri posset, quam crudelissimis poenis eos afficiendos esse semper docuerunt. Hoc animo jam a teneris imbui homines voluerunt; quare quum apud eos constitutum esset, ut pueri ,neque ad publica spectacula ac ludos, neque ad supplicia reorum' visenda ducerentur, exceperunt supplicia haereticorum, quippe quae contemplari etiam pueris utilissimum esset.[1] Et nostris temporibus barbara ista ,Civili-

1) Ratio studiorum, Romae 1591 p. 217.

tas Catholica' veterem Inquisitionem ut ,sublime perfectionis socialis spectaculum' celebrat; quod quicunque spernant et ecclesiam excommunicationi suae corporis verberibus et capitali poena adhibitis vim addere vetent, sive philosophi sive theologi sunt, sive Protestantes sive Catholici, cunctos adversus Deum rebelles esse declarat.[1] Inde intellegitur quid sibi voluerit Pius IX., quum Jesuitarum ingenio inspiratus syllabo suo condemnaret hanc thesin: ,Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem, directam et indirectam.' Scilicet pro virili parte vim inferre haereticis ipse volebat. Ingenio illo inspiratus, si potuisset, licet indole benignissimus, cremasset haereticos cum sancto suo Pio V., quem nunquam ,a limitibus suae potestatis recessisse' diserte affirmavit. Illud enim fieri hodie non posse dolebant ubique Jesuitarum coryphaei, qui cum veneno suo etiam per Austriam et Germaniam serpebant, rabiosam sententiam modo callide celantes, modo audacter jactantes. Sic Viennae Schraderus Jesuita praedicavit, non tantum animas, sed etiam corpora subjecta esse ecclesiae.[2] Sic apud Borussos Rhenanos Schneemannus deploravit ,malitiam hominum,' qua fieret, ut ,vis physicae poenarumque temporalium, quarum jus penes ecclesiam esset, vix parvae reliquiae adhiberi possent;' commendavit tamen fustes et similia. Hauriebat sapientia consilia sua ex aulica Papae ephemeride, magna illa veneni fabrica, ubi fortissime ecclesiae jus vindicatum erat ,operandi in eos qui subjectionem spiritus recusarent, scilicet multandi eos bonis, macerandi privationibus et jejuniis, affligendi carcere et fustibus.'[3] Scriptor addere non dubitaverat, ,sine ejusmodi externis auxiliis ecclesiam (scilicet suam) non durare posse usque ad consummationem seculi;' quibus verbis se omni veritatis christianae fide vacuum esse confessus est. Itaque Pontificii, ut suam ecclesiam sustentarent, ubicunque adhuc poterant, diris illis auxiliis utebantur. Id etiam in Germania intra monasteriorum quorundam et aedium clericalium muros clam factum esse dicitur. In Hispania et Italia prioribus Pii temporibus adversus eos, qui evangelicam doctrinam amplexi erant, foedissimo carcere et crudelissimis vexationibus publice animadversum est. Ad finem

1) Civiltà catt. 1853 I. p. 555; 1854 VIII. p. 282.

2) Schrader, der Pabst und die modernen Ideen p. 64.

3) ,Moltandoli nelle sostanze, macerandoli con privationi e digiuni, affligendoli con carcere e battiture.' Civ. Catt. 1854 VII. p. 603 ss. Schneemann in: Stimmen aus Maria Laach VII. 1867 p. 18 ss. Cf. Janus p. 10 ss. Huber, der Jesuiten-Orden p. 275.

vergente Papae regno mundano, simul emersit ubique conscientiarum libertas. Quod ille graviter ferens ex Jesuitarum concilio Petrum Arbues novum coelestem naviculae Petri patronum constituit. Sic veterum temporum, quibus haeretici cremabantur, gloriam celebrandam esse censuit. Quod qui infitiari audent, utrum magis animi candor an sensus communis se deficiat ipsi videant. Namque ephemeris Papalis, dira illa ‚civilitas catholica,' factae canonizationis consilium illud audacter et prodidit et defendit, nil nisi vanum haereticorum et malorum Catholicorum lusum esse declarans, quod adversus sanctissimum Inquisitionis tribunal, Pontificum zelo custodiendae fidei causa constitutum, tumultuarentur.

Quaesierit quispiam, quomodo fieri potuerit, ut Pius, postquam tantum initio horrorem Jesuitis injecit et Theinero ad defendendum contra eorum mendacia Clementem XIV. secretas Vaticani tabulas aperuit, postea et se ipsum et ecclesiam illis traderet. Atqui foedus factum est communi dominandi libidine. Quae quo vehementior in Pio erat, eo libentius audiebat blandimenta, quibus illi arrogantiae et superbiae ejus connivebant. Ceterum his vitiis vix alius mortalium facilius quam Papa etiam invitus imbuitur. Etenim honor ei praebitus perpetua adulatio est. Quasi fastidio hominum et quodam aequalitatis metu usum pedum amisisse videtur; humeris cervicibusque servorum super ora vulgi vehitur.[1] Postulat hucusque cum Gregorio VII. (licet jamdudum non amplius a regibus) pedum osculum sive podolatriam, ex oriente invectam, quam non Caesares ad Tiberim imperantes, non Patriarchae Constantinopolitani sibi dari voluerunt, nunc in Europa similiter atque ille unus quasi collega Muhammedis Chalifa accipit. Sanctus pater vocatur, quo nomine Christus in sacerdotalibus precibus Deum allocutus est, quod si ille, ut et alia Domini verba, probe recordaretur, ipse horreret animo ejusmodi titulum.[2] Talium morum multorumque similium, qui consuetudine tolerantur, illecebris probissimi et fortissimi viri vix restiterunt, nedum Pius, cujus nativae virtutes cum muliebri quadam animi mollitie et pertinacia conjunctae erant. Itaque promissam sibi a Jesuitis ‚honoris singularitatem,' novum nimirum infallibilitatis dogma, ut personale beneficium desideravit et expetivit, ab iis vero, qui propter scientiam et conscientiam dogmati

1) Cf. Plinii Panegyricus c. 24, ubi eadem de Caesaribus quibusdam dicta sunt.

2) Joh. 17, 11; Matth. 23, 9.

illi se subjicere abnuebant, privata injuria affici sibi videbatur.[1] Nihilosecius libenter sibi persuaderi passus est, se non suum, sed Christi, cujus vices gereret, honorem quaerere. Sic adulatores Papam et partim se ipsos decipiebant. Haec omnia perspiciens Montalembertus, qui per tot annos catholicam fidem contra Voltarianos defenderat, horrore percussus exclamavit: Idolum erigitur in Vaticano. Quod quanto jure dixerit, allatis paulo largioribus et blasphemae servorum adulationis et blasphemae domini arrogantiae exemplis illustrandum putavi, quoniam permulti aequalium, dum singula ejusmodi vel leviter considerant, vel mox partim obliviscuntur, ingenium praesentis imperii Romani teterrimis illis exemplis manifestatum parum cognoscunt.[2]

‚De devotione ad Papam' Faber Anglus paucis annis ante Concilium Vaticanum libellum famosissimum scripsit, qui a Reichingio Germanice versus ab episcopis quibusdam et a multis sacerdotibus etiam inter nostrates longe lateque sparsus est. Docetur illic Papam umbram esse, quam visibilem invisibile ecclesiae caput, in sacramento occultum, projiciat; immo post incarnationem Verbi et post eucharistiam dari in Papa tertiam Jesu Christi inter fideles praesentiam. Martinus Paderbornensis, libenter aliena arripiens, sicuti eucharistia sanctissimum Jesu cor esset, ita Papam (incredibile dictu) sanctissimum Jesu caput terrestre esse praedicavit. Ecclesiae caput terrestre Papa saepe nominatus erat, ipsius Christi, veri ecclesiae capitis, caput terrestre nunc demum a Martino inventum est. De hoc capite scripsit ephemeris catholica: ‚Si Papa cogitat, Deus in eo cogitat.' Similiter Neo-Hegeliani, pantheismi asseclae, quondam dixerunt, si cogitaret philosophus, Deum cogitare in ipso. Cum illis certavit audacia Ludovicus Veuillot affirmans, ‚sicuti Deus Pater generaret Filium et a Patre filioque procederet Spiritus Sanctus, ita Papam generare episcopos et a Papa episcopisque procedere Sanctum Spiritum, manifestatum lege infallibili, qua grex institueretur et gubernaretur.' Idem nefanda blasphemia verba, quae in Novo Testamento de Christo dicta sunt, ad Papam transtulit: ‚Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et exclesior coelis factus.' Inter ipsum Concilium haec verba scripsisse sibi quempiam tradidit: ‚Habemus Romae triplicem devotionis materiam, sanctissimum altaris sacra-

1) Quirinus, Römische Briefe p. 606.

2) Cf. Friedrich, Vatik. Konzil p. 493—506. J. Reinkens, Die Einheit der katholischen Kirche p. 32—43; apud quos scriptores plura exempla similia, allatis fontibus, producuntur.

mentum sanctam Dei matrem et Papam.' Paulo post concilium in Gallia Segurius episcopus Papam ,vivum sacramentum' nominavit. Ibidem monachi quidam ac sacerdotes affirmaverunt Papae licere dicere: ,Ego sum spiritus sanctus'; alius clarissimo oratoriano Gratry epistolam scripsit, qua hanc thesin defendit: ,Papa est eucharistia.' Quumque nova aedes sacra Lurdensis initiaretur, Mermillod episcopus verba illa sollemnia, quibus universa ecclesia Deum celebrat, ad Papam transtulit: ,Tu solus Altissimus, tu solus Dominus.'

Haec ex ingenti ejusdem generis copia attulisse sat est. Talia verba ex praeteritis seculis singula tantum singulorum hominum accepimus. Et si quae ejusdem ingenii vestigia passim emicuerunt, summi omnium temporum doctores, tam Sanctus Cyprianus quam Sanctus Bernardus, antichristianismi nota ea designaverunt. Nunc talia, Vaticanis decretis ut sententiae vere Romanocatholicae confirmata, quotidiana et vulgaria sunt. Rident de verborum illorum ineptiis Voltariani; rideremus et nos, nisi ipsa res tam gravis ac tristis esset. Jam enim ab iis, qui Christiani esse volunt, omnia sanctissima Christianae fidei mysteria profanantur, ut Papa novis blanditiis cumuletur. Quae blanditiae, quoniam verissimae et religiosissimae asseverationis colorem prae se ferunt, tam immanes et nefariae sunt, ut si cum illis comparaveris, quaecunque in Caesarum honorem servilis futilitas excogitavit, haec innocua ludicra esse videantur. Etenim paganis etiam in sacris aliquatenus ludere, ut in comoedia, permissum erat neque omnia devoti obsequii vocabula pro seriis accipiebantur. Et tamen nobiliores Caesares fastidiebant assentatorum servum pecus; etiam Tiberius, quamquam libertatem oderat, nihilominus pro virili quo erat animo (nam ne in tam saevo quidem tyranno meliora tacenda) nimiam multorum adulationem saepius exsecratus est et velut canum blandimenta iracunde respuit; dicentem quendam ,sacras ejus occupationes,' pro sacris laboriosas dicere coëgit. De Pio Nono nihil ejusmodi narrari potest; hic enim magis magisque libertatis vel umbra perterritus, nunquam satiabatur turpissimis quibusque blanditiis; quas si quis in servilibus animis ut nimias castigare ausus erat, id tanquam crimen laesae majestatis graviter tulit neque unquam oblitus est. Sic quum ingeniosissimus episcopus Aurelianensis, Felix Dupanloup, de rebus Romanocatholicis optime in Gallia meritus, Ludovicum Veuillot propter blasphemas istas adulationes publice reprehendisset et male sani Romanismi accusasset, Papa inde ab eo tempore modestum censorem deprimere, insolentem adulatorem efferre non desiit. Idoli instar etiam ab adeuntibus se adorari summam voluptatem habebat. Pari gaudio legit

epistolas vilissima adulatione refertas, quas, nisi a sincero Christianismo longe aberrasset, cum horrore rejecturus erat. Nec deerant unquam qui talia scriberent. Sic episcopus Burdigalensis in epistola gratulatoria haec illi scripsit: ‚Ubicunque eris, sive in deserto, sive in catacombis, semper tua sanctitas fidei erit organum, divinae gubernationis quasi centrum, viva auctoritatis Christi incarnatio.‘ Et Gallicus quidam sacerdos militaris litteris ad illum datis, cum Mermillodio certans, verba hymni veteris, quo ecclesia Spiritum Sanctum celebrat, ad ‚Pontificem Regem‘ trahit: ‚Pater pauperum, dator munerum, lumen cordium, emitte coelitus lucis tuae radium.‘ Non mirum igitur, quod qui talia dulcissimi poti instar sugebat, et ipse similia de se ipso praedicare didicit. Ex pluribus ejus rei exemplis, quae satis nota sunt, unum hic ponere sufficit, ea nimirum verba, quae quondam ille ‚cum admirabili majestate‘ (quam certe ephemerides quaedam Gallicae certatim laudaverunt). ad multos extraneos in conclavi suo congregatos locutus est. Tunc enim postquam oppugnavit ‚eos catholicos sive laicos sive ecclesiasticos, qui jus consilium dandi papatui sibi arrogarent,‘ se ipsum tanta dignitate indignum praefatus, ‚Ego,‘ inquit, ‚sum via, veritas et vita; qui mecum non sunt, extra ecclesiam, extra viam, veritatem et vitam sunt. Id sciri oportet, ne quis decipiatur ab iis, qui catholicos sese dicentes prorsus aliud quid ipsi, atque caput ecclesiae, volunt et dicunt.‘

Quae verba et similia si Gregorius Magnus, qui non Petrum sed solum Christum ecclesiae caput esse et nominari voluit,[1] praescivisset ab uno successorum suorum prolatum quondam iri, dubitaturum eum fuisse puto, utrum hunc hominem vesanum potius an blasphemum duceret, de praefatore humilitatis vero pro more suo dicturus erat: ‚Dejectum se exhibet, introrsus intumescit; humilis appetit videri, non esse.‘[2] Neque nuper aliter inter Romanocatholicos ii omnes de his rebus apud se senserunt, qui eas sincero animo christiano et aliquo sanae mentis judicio aestimare et potuerunt et voluerunt. Sed plurimi falsa erga ecclesiam et Pontificem pietate ducti aut oculos clauserunt, ne totum verum viderent, aut os, ne quod viderant voce proferrent. Permultos enim, dummodo silendo res praetermittere licuisset, admodum contentos futuros fuisse certum est. Meminerunt nonnulli aetatis a propheta descriptae, qua populi Dei duces et ipsi ‚non sciebant rectum facere sed thesaurizabant iniquitatem in aedibus suis,‘ et alios ‚abominaban-

1) Gregorii epistolae V, 18.

2) Ejusdem Moralia XXIV, 22; XXVII, 78.

tur, qui se foris corriperent et perfecte loquerentur;' quapropter scriptum est: ,prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.'[1] Sed ea nostro tempore ecclesiae Romanae infelicitas est, ut piissimis praestantissimisque ejus sodalibus, etiam lectissimis ut vidimus feminis, ne tacere quidem licuerit, sed ut quae credere non poterant quasi credita eos confiteri postulatum sit. Si in magna ea ecclesia, cui toto animo dediti erant, permanere voluerunt, accepto contra conscientiam novo dogmate idolum in Vaticano erectum jam et ipsis adorandum erat. Caesarum quorundam seculi infelicitatem unus aequalium eam fuisse innuit, ut neque sentire quae velis neque dicere quae sentias licuerit. Quod multo etiam justius, quam de veteris imperii, de ecclesiae Romanae tyrannide pronuntiandum est. Hic enim intimae humanae mentis cogitationes tanta arte, quanta alias nullibi, quasi sub jugum missae sunt. Sanctissimum confessionis peccatorum sacramentum politiae ecclesiasticae auxilium factum est. Quod sacramentum si quis evitabat, domestici ejus, inprimis feminae, adhibebantur et sollicitabantur, ut quasi impetum in illum facerent. Itaque delatores, quorum magna copia ubique praesto erat, arcana non modo domorum sed etiam cordium explorabant.[2] Haud raro religiosissimis quibusque a nequissimis Jesuiticae disciplinae artificiis timendum erat. Praeterea ut in aedium penetralibus, ita foris et in publico grassabatur tyrannis. Flectebantur vel solidae mentes terrore vulgi, cujus fanatici clamores vox ecclesiae dicebantur. Excitabant illud tribuni, ephemeridum plerique scriptores, impudentia fortes, Papae sive gratia sive conniventia freti, episcopatum, ubi dicto obediens non erat, contemnentes. Inter quos longe potentissimus Ludovicus Veuillot erat, ecclesiae Robespierrius haud inepte vocatus. Cum hoc si similes curiae administri Borussici vel Bavarici comparantur, admodum pusilli et miselli esse videntur. Nihilominus omnes, qualescunque sunt, ad stabiliendam incredibilem tot gentium christianarum servitutem spiritualem haud parum contribuerunt. Falsam speciem pietatis novissimae adulationi et superstitioni, falsam speciem libertatis malignitati induentes permultos deceperunt, in aliis, quos fallere non valuerant, caecum omnis religionis odium et contemtum adauxerunt.

Sic igitur factum est, ut etiam in Germania nostra tot praestantissimorum virorum, Saileri, Wessenbergii, Diepenbrockii, aliorum

1) Amos 3, 10; 5, 10. 13.

2) Cf. Friedrich, Geschichte des Vaticanischen Concils I. in indice s. v. ,Denunciationswesen,' ubi triginta fere loci huc pertinentes afferuntur.

[illegible]

Scilicet [illegible] doctrina quam [illegible] dogma proclamaretur, credendum esse non [illegible] regeret. Cui candidus quidam [illegible] illa doctrina dogma [illegible] credunt eam.[1] Magna ejusmodi hominum [illegible] nova fide quam ad vere stabiliendam [illegible] ad pristinam sententiam a [illegible] fortiores ejus defensores neque [illegible] tiunt, quod ex Centri sodalibus qui [illegible] parvi interesse sibi quidem videri, ad [illegible] aliquid ejusmodi adjungi, neque eos, qui [illegible] dum proponunt indoctae plebis exemplum, [illegible]

1) Deutscher Mercur 1880 Nr. 8.

Pontifici ac sacerdotibus obsequium libentissime praestiterit, idque etiam in iis dioecesibus, quarum libellis catecheticis, ut apud Monasterienses, directe dictum erat, Papam non esse falli nescium. Ab his omnibus eos distinguimus, qui memores sunt, fidem non esse rem caeci obsequii, sed ,cognoscendam nobis esse eorum, quibus eruditi sumus, certam veritatem,' et ,paratos nos semper esse debere ad satisfaciendum omni poscenti nos rationem.'[1] Quare subito saevire adversus Doellingerum aliosque veteris sententiae tenaces recusant eorumque argumenta, contra novum dogma allata, velut stultorum deliria contemnere nolunt. Quin immo his fortiora argumenta aut jam inventa esse aut inventum iri putant. Id inter viros doctiores ii fere soli sentiunt, qui quum in solam scholasticam theologiam incubuerint, rerum vero historicarum et criticarum ignari sint, argumentorum inde sumptorum gravitatem ignorant. Sed Germaniae episcopi longe plurimi, etiam indoctiores, optime sciebant, novum dogma a viris historiae gnaris accipi non posse sine intellectus sacrificio, quod meliores non sine animi repugnantia se obtulisse confessi sunt. Omnes consentiunt cum dogmatis adversariis agi idoneis argumentis nullo modo posse. Quare ne horum commentationes legerentur statim post concilium ab illis vetitum est; omnem seriam disputationem evitare constituerunt, ea ex parte patrum suorum valde dissimiles. Hi enim Lutheri tempore, argumentis suis confisi, ad colloquia cum Lutheranis paratissimi semper erant; nunc illi ne cum iis quidem, qui Erasmi fere sententias amplectuntur, colloqui audent. Sic Scherrius, episcopus Monacensis, quum Doellingerus paucis mensibus post concilium ad disputandum cum electo eruditorum virorum collegio se obtulisset, publico timiditatis exemplo ceteris praeivit. Doellingero digne ac juste responderi posse desperavit, clarissimum virum quam citissime excommunicare ejusque argumenta silentio praetermittere longe tutius erat.

Optime scilicet noverat episcopus, apostatarum a sua ac veteris ecclesiae sententia quasi antesignanus, nullam dari novi dogmatis interpretationem, qua accommodari illud ad veterem ecclesiae doctrinam vel aliquatenus posset. Ipse cum Kettelero, Darboy, aliis, a minore Concilii parte delegatus, petierat a Pio IX., ut concederet ea tantum Papae decreta irreformabilia declaranda esse, quae ille innixus testimonio ecclesiarum dedisset; tunc Kettelerus, qui ipso Papa papalior quondam dictus erat, Pium stratus ad ejus pedes imploravit, ut aliqua con-

1) Cf. Luc. 1, 4 (ἀσφάλειαν); 1 Petr. 3, 15.

cessione ecclesiae et episcopatui pacem redderet. Papa filiis suis, quos vocabat, promisit se facturum quod facere posset, sed miram ignorantiam suam et levitatem animi patefaciens addidit, se nondum legisse schema de quo ageretur, nec scire quid contineret. Tribus diebus post Jesuitica pars, cujus servus Pontifex erat, famosum illud decretum a concilio probandum curavit, ‚Romani Pontificis definitiones esse ex sese, non autem ex consensu ecclesiae, irreformabiles.‘ Haec omnia accurate sciri a Doellingero Scherrius non ignoravit; ipse nimirum die post reditum ex concilio Doellingero aliisque professoribus Monacensibus accurate omnia narraverat, additis satis incautis atque insipidis verbis, quibus illi, quum Roma locuta esset, ad obsequii gloriam provocarentur.[1] Fortiter tunc cum Doellingero etiam doctissimus Haneberg restiterat, postea demum non sine conscientiae cruciatu cum Hefelio gloriam illam consecuturus. Quae quum ita essent, quomodo episcopus Monacensis Doellingeri disputationi de novo dogmate adesse poterat? Vel tristiores in ea re partes ejus fuissent, quam Rottenburgensis episcopi, quum Constantiae revocationem suam balbutiret. Hi viri omnes, qui decretis sollemniter antea reprobatis postea serviliter se subjecerant, miserrime animo fracti et dejecti erant. Id quod nonnulli fortasse laudabile animi christiani se ipsum spernentis sacrificium ducebant, revera crudelissimae, quam unquam orbis viderat, spiritualis tyrannidis fructus erat. Jesuiticae partis duces perfecte cognitum habebant, episcopos illos non sua sponte se subjecisse (quamquam id persuadere sibi studebant), sed conjunctis multorum viribus circumventos, fatali cuidam necessitati cessisse.

Quam dira illa necessitas nobilioribus et altioribus quibusdam ingeniis fuerit, quum constrictos se esse inviti sibi ipsis faterentur, tam egregie descripsit Levinus Schücking, ut ex libro ejus nonnulla hic afferre officii ducam. Fabulam sane narrat. Sed id quod Aristoteles dicit, poësin magis philosophicam esse quam historiam, id praesertim etiam ad describendos animorum motus, praesentis temporis proprios, referendum esse judicaverim. Egregius ille Westphaliae poëta ecclesiae Romanocatholicae haud ingratus filius est. In qua quidquid pulchri et magni superesse videt libenter celebrat; ingentis mutationis in pejus factae, qua illic pravissima quaeque increscebant et paulatim praevalebant, tristis per longum tempus spectator et observator fuit. Hic igitur in narratione Romanensi, quam paulo post bellum Franco-

1) Friedrich, Tagebuch etc. p. 389 ss. Cf. Quirinus l. c. p. 624 ss.

gallicum edidit,[1] Hieronymum quendam episcopum depingit, non malo hypochondriaco (ut ipsi videbatur), sed novo dogmate aegrotantem. Frustra Romae, Ketteleri simillimus, quominus illud decerneretur, sermonibus et scriptis, obtestatione et precibus prohibere studuerat. Nihil eorum, quae a concilio speraverat, ab hac curia unquam concessum iri videbat, neque seriam abusuum reformationem, neque interni et spiritualis Christianismi promotionem, neque desideratam ecclesiae cum sanioribus hujus temporis doctrinis reconciliationem. Domum reversus miras res circumcirca animadvertit; in ipsa dioecesi sua clandestinos adversarios, plures quam unquam cogitaverat, palam factos; ephemeridas, quas sua auctoritate firmaverat, jam sibi ipsi non parcentes; excitatum multorum clamorem, probro sibi vertentium, quod Romae degens pietatem erga sanctissimum patrem laesisset, ecclesiae hostibus placuisset; aliorum contumelias, epistolam pastoralem illam ridentium, qua cum fratribus episcopis Germanicis ante concilium sollemniter declaraverat, fieri non posse ut novum dogma Christianis imponeretur; denique eos, quos in omnibus gravissimis quaestionibus secum sentire noverat, perterritos, mutos, pedem referentes. Neque his animum addere licuit; timendum erat ne palaeocatholicis accessisse videretur. Qui quamquam praeclarissime quaedam scripserant, episcopo tamen displicuerunt; scilicet dedecuit laicos, presbyteros, professores altam in ecclesia vocem tollere. Ipse adjungere iis poterat episcopalem auctoritatem; sed sic incursurus erat in ambitionis suspicionem, quasi papatum quendam Germanicae ecclesiae appeteret. Praeterea consummaretur schisma, ipse fortasse haeresiarchae infamiam contraheret. Lacrimas interdum fundebat, cogitans fieri posse, ut rebellis adversus ecclesiam matrem surgeret. Neminem habebat cui totum cor suum manifestaret. Scripserat episcopis quibusdam, qui Romae secum fecerant: quorum nonnullos nondum se subjecisse laetabatur. Sed mox evanuit spes fore ut curia sibi et illis parceret. Institerunt in eum coram delegati curiae alius post alium, postulantes, ut novum dogma tandem proclamaret, serviliter se subjiceret. Id se non posse putabat. His igitur rebus mente occupatus et paene obrutus, licet alias patriae Germanicae amantissimus, praesentia ejus pericula et victorias tamquam semisomnus ignorabat: nihil attinere ad eum videbantur. Tunc ecclesia crudelis et degenerata mater ei esse visa est, utpote quae novi Diocletiani instar posceret, ut idolo sacrificaret.

1) Die Heiligen und die Ritter, 1873.

Si et ipse cum tot aliis sacrificium intellectus et conscientiae offerret, iis similis fieri sibi videbatur, quos veteres Christiani propter oblatum idem sacrificium ‚sacrificatos' nominabant. Vir antehac robustus, moderatus, sibimet ipsi semper temperans, jam perdidisse sui imperium videbatur, quasi male sanus Romanae aestatis aër nervos ejus funditus corrupisset. Per totas horas ante mensam sedens quasi incubabat morosis cogitatis; interdum manum in pugnum compressit vel confusas voces jactavit; interdum singulas litteras chartis illevit vel verba quaedam; modo scripsit, ‚laudabiliter se subjecit,' modo ‚eppur si muove;' subito metuit ne mente abalienaretur. Denique confugit in Helvetiam ad Benedictinorum ordinis abbatem quendam; qui inde a studiorum tempore sibi notum amicissime eum recepit. Pulcherrimae vallis, excelsorum montium aspectu, saluberrimi aëris spiritu delectabatur et recreabatur; sed etiam illuc curae eum sequebantur. Sacerdotem juvenem, ut sibi esset ab epistolis, secum duxerat; jam intellexit, hominem miserrimum, ad omne servitium pronum, Jesuiticae parti exploratorem se praebuisse. Abbas ille, vir probus et doctus, se subjecerat; verum hoc se non sua sponte fecisse, sed cedentem necessitati quondam innuit, ironice provocans ad vetus proverbium monasticum: ‚sinere mundum ire quomodo vadit.' Quae verba novum in episcopi mente aculeum reliquerunt. Iterum iterumque die noctuque investigavit, num ecclesia Romana, quae tam servile obsequium ab hominibus postularet, tanto sacrificio digna esset. Ex historiis innumera illius flagitia, quae antea recordari nunquam voluerat, vel si recordatus erat leviter excusserat, accuratius introspicere coepit. In mentem ei veniunt tot falsa et mendacia, quibus illa inquinata est, ementita Constantini donatio et tot tantaque ejusmodi alia, in mentem veniunt syllabus et Petrus Arbues canonizatus, tot foedissima vincula, tot sanguinis crudelissime fusi flumina, tot rogi quibus innumeri homines vivi ex parte cremabantur, tot innocentium hominum clamores ac flebiles ululatus, qui nunquam consopiri possunt. Ejusmodi dirae imagines dum eum nocturnis quoque somniis persequuntur et angunt, singulari modo duae quasi diversae voces extrinsecus ad eum perveniunt. Altera vox haec erat: Revertere et in vetere atque augusto templo tuo cathedrali ut legitimus tui gregis Pastor publice ac viriliter surge adversus novissima Romae facinora: clamor tuus Germaniae silvas personabit, adjuvante Deo salvabis ecclesiam. Altera vox: Si ad hoc audendum vires te deficiunt, fac ut ceteri, servum age, de rebus quae te cruciant ne amplius cogita. Fluctuantem animo inter haec duo consilia novi nuntii domo allati percutiunt. Ab iis, quibus quon-

dam confisus erat, tam callide jamdudum irretitum se esse comperit, ut facere quod velit non amplius possit, sed quodammodo totus in eorum manu sit. Haec omnia episcopum de quovis felici exitu desperantem tam vehementer prosternunt et abjiciunt, ut mentis errore afficiatur.

Haec in arctum collecta poëtae fabula est. In qua plus inesse veritatis crediderim, quam in multis historicis, quae vocantur, rerum gestarum narrationibus. Nullus sane episcoporum Germanicorum propter personam turpiter mutatam ad insaniam adactus est. Partim optima valetudine fruuntur. Omnes ne uno quidem excepto robustioribus, quam Hieronymus ille, nervis uti videntur. Nihilominus si de iis judicare quis quam mitissime velit, benigne ponendum est, eos vehementissimis affectibus similiter atque Hieronymum illum quassatos non clare scivisse quid facerent. Cum eadem Jesuitica parte, cujus nefandas artes ac facinora Romae toties perspexerant et exsecrati erant, quasi veneficio contacti jam ipsi inauditae, quam descripsimus, servitutis jugum christianae plebi certatim imponere coeperunt. Dejecto agendi contra conscientiam pudore alios ut idem facerent cogere non dubitaverunt. Corrumpere et corrumpi non seculum, ut sub Caesaribus,[1] sed pietas vocabatur. Pium esse dicebatur, in honorem Papae, ut scilicet infallibilis ab omnibus agnosceretur, aegrotas et moribundas feminas misere vexare, familiarissima loquendi audiendique commercia explorare, mulieres contra maritos excitare, honestissimos quosque viros, qui jam praesentia sua veritatis desertoribus probro sunt, calumniis obruere, sapientiae professores excommunicare et a cathedra excludere, scripta eorum, clarissimorum ingeniorum monumenta, non refutare (id quod periculosum erat), sed pro virili parte supprimere. Nonnulli si possent, Petrum Arbues suum secuti, non modo libros sed vivos quoque homines, sincere christianos, urendos curarent, id quod ex Caesaribus solus Nero fecisse traditur. Adde quod permulti ita loquuntur, quasi et ipsos pretiosissimos antiquitatis thesauros, in Vaticano hucusque conditos, comburi velint. Bonas artes in exilium agi cupiunt. Sentiunt scilicet, cum sana classicae vetustatis mente fabulas suas et ementitas historias, quibus solis novum dogma nititur, stare nullo modo posse. Propterea in magno quodam Romanocatholicorum Germanicorum conventu Aquisgranensi orator apud illos gratissimus gymnasia et universitates nostras instituta Diaboli vocavit.[2]

---

1) Tac. Germ. 19.

2) F. A. v. Schulte, Macht der Päbste 2. Aufl., p. 12.

Tantae igitur hominum perversitatis episcopi illi Germanici, a meliore indole sua desciscentes, fautores et patroni facti sunt. Qui si subito et se ipsos et cuncta, quae ipsorum ope perpetrantur, probe perspicerent, haud sine animi confusione, ut opinor, eadem fere confiterentur, quae apud Jesaiam sacerdotes et falsi prophetae insolenter effutiunt: ‚Posuimus mendacium spem nostram et mendacio protecti sumus.‘ Quam ‚spem et protectionem‘ mox transituram propheta praedicit. Sic si nova quoque Jesuitarum in Romana ecclesia tyrannis transierit, ii qui ejus jugum subierunt idem fere sentient, quod Tacitus de Romana sui aevi tyrannide multorum nomine dixit: ‚Non in ipsos modo scriptores, sed in libros quoque eorum saevitum, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem et libertatem et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum: et, sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitionem et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.‘

Haec hactenus. Satis copiose id demonstrasse mihi videor, quod priore capite breviter indicaveram, non fortuito factum esse, ut proclamatis Vaticani concilii decretis omnes fere civitates christianae adversus curiam surgerent. Hanc ipsam, quum spreto sapientissimorum episcoporum consilio temere in ecclesia mutaret et misceret omnia, tot tantarumque tempestatum, quibus orbis terrarum excitatus est, causam fuisse constat. Cujus mutationis immensam gravitatem ex rerum publicarum rectoribus, si principem de Hohenlohe excipias, nemo fere initio totam perspiciebat; mox, quanta esset, omnibus magis magisque sentiendum erat. Fugere eos non potuit, quantum periculi esset, ne curiae asseclae pro magna vi, quam in scholis et in cura animorum civitates iis concesserant, rationes Jesuiticas in Vaticano victrices per universum populum propagarent. Jam propter populi salutem christiana de moribus doctrina adversus Jesuiticam, sana mens adversus insanias Lurdenses, Marpingenses, alias defendenda erat. Cavendum, ne Petrus Arbues, in ecclesia canonizatus et adoratus, per fanatici vulgi suffragia et manus etiam rerum publicarum potiretur, neve episcopi, qui, postquam Roma locuta est, omnes fere non minus tyrannos quam serviles se gerebant, libertatem civilem a Roma toties condemnatam paulatim subruerent. Denique apparuit, variis istis

studiis, quae modo innuimus, Pontificios eum in finem uti, ut duorum gladiorum, quod medio aevo dictum est, imperium, syllabo proclamatum, Concilio confirmatum, Pontifici re vera vindicarent.

Ejusmodi vero conatum, vanum quidem denique futurum, sed multorum discidiorum antea feracem, prudentes magistratus nequaquam securi negligere potuerunt. Quippe ad hunc sustentandum episcopi, caeci caecorum duces, plurimum valent, praesertim etiam ii, qui post concilium, abjecta priore scientia et conscientia, turpiter se subjecerunt. Qui omnipotentiam papalem vel muto exemplo suo, vel fanaticis, quales amant proselyti, sermonibus illustrant. Sequitur eos innumerus ubique sacerdotum et monachorum exercitus, jurisjurandi, quod in infallibilis Papae Regis verba dederunt, religione omnes obstricti, caecam obedientiam quasi militarem superioribus praestare a teneris edocti. Praeterea quodammodo sub solo ipso Papa illi, quos diximus, tribuni plebis militant, superbissimi haud raro episcoporum contemtores, quorundam pristinam seditionem libenter commemorantes, praesens obsequium ironice extollentes. Improbissimus et audacissimus inter hos, etiam quod ad vindicandum Papis imperium mundi pertinet, Ludovicus Veuillot est, Aurelianensis episcopi domitor. ‚Papa,' inquit, ‚per Jesum Christum absolutus conscientiarum et sceptrorum dominator est; Jesus Christus, omnium rerum dominus, in Papa residet, non tantum ut pontifex, sed etiam ut rex regum. Papa est os Jesu Christi decernens spiritualia et temporalia, omniaque Papae, Pontificis Regis, decreta divina, immutabilia, aeterna sunt.'[1] Talia dicta Pio IX., tunc adhuc regi, sed jam de terris suis timenti, immodice placuerunt. Quare horum simillima in ‚Civilitate catholica,' qua quasi praecone suo utebatur, a Jesuitis proferebantur. Quumque ille terris suis jam spoliatus esset, octo mensibus post decretum infallibilitatis dogma in eadem ephemeride haec scripta erant: ‚Papa supremus civilium legum judex est. In ipso utraque potestas, spiritualis et mundana, ut in culmine suo conveniunt. Namque Christi vices agit, qui non modo aeternus pontifex, verum etiam rex regum et dominus dominantium est.'[2] Quae verba duraturae memoriae sunt. Eodem enim mense Doellingerus adjecit ea celeberrimis litteris, ad Scherrium episcopum novissimum caeci obsequii apostolum datis, ad quae hic non argumentis sed sola excommunicationis nescio tragoedia an comoedia

1) Veuillot, illusion libérale p. 36 ss. Cf. Friedrich, Geschichte des Vaticanischen Concils p. 500.

2) Cività cattolica d. 18. m. Mart. a. 1871 p. 664.

respondere voluit. Illis litteris Doellingerus, postquam christianis et theologicis rationibus nova dogmata refutavit, tum ex historia in memoriam revocat episcopo, quantis sanguinis fluminibus curia, isto modo imperium mundi affectans, Europam impleverit, tum modeste quidem sed satis perspicue sanctissimi erga rempublicam et patriam officii illum commonefacit, quoniam ista doctrina, perpetuum ecclesiae et civitatis, cleri et laicorum discidium pariens, si ab universa catholica populi nostri parte accepta fuerit, novum Germaniae imperium eodem insanabili morbo infectura sit, quo priscum ejus imperium absumptum quondam esse constet.

Revera curia, licet omnium recentium civitatum hostis, tamen ex eorum mente, qui ‚arcana imperii' tenent, nullam aliam si posset rempublicam quam novam Germanicam vincere et perdere mallet. Cujus odii exempla tam manifesta sunt, ut mireris, quomodo praefracta fronte negare illud in comitiis Germanicis quidam Romanae partis oratores ausi fuerint. Optime viderunt Pontificii, regnum Borussicum aliquid ingenii sui cum universa nova Germania communicasse; illud vero, evangelicae fidei in continente Europaea propugnaculum, curia semper oderat; regiam Zolleranorum dignitatem octavo decimo seculo, similiter atque pristinis seculis paces de religione inter Germanos conclusas, agnoscere pertinaciter recusaverat. Haud male tunc scilicet Francogallus quidam, Borussiam sub magno rege potentia vigentem respiciens, dici posse censuit, Lutherum hujus regni fundamenta jecisse.[1] Cujus rei reges et imperatores nostri, si Deo dante sui similes erunt, nunquam obliviscentur. Etenim ab emendatis sacris indefessa illa excolendarum omnium bonarum artium omniumque ingenii virium studia profecta sunt, quae magnam partem recentioribus demum temporibus ad Catholicos Germanicos transiisse videmus. Haec, scholis et universitatibus exculta, omnium quidem Protestantium propria erant, sed primum ab Zolleranis principibus, conjuncta cum vetere Germanorum virtute militari, in magnae cujusdam reipublicae usum versa sunt. Itaque ad restituendam Germaniae unitatem Borussia haud parum universali illa quae dicitur ingenii cultura adjuta est, cujus victricem et invictam vim nostro demum tempore Europae innotuisse Parisiensis

1) Millot, histoire générale, 2ième partie. hist. moderne Paris 1773. tome III. p. 176. Finem facit epochae nonae, qua de Columbo et Luthero agit, his verbis: ‚Quelle origine d'un état, que nous voyons si puissant sous un grand roi! On peut dire que Luther en a jeté les fondemens.' Simile aliquid altiore animo Raphael Mariano dicit l.l.

quaedam ephemeris litteraria nuper monuit.[1] Cum hac ipsa vero strictiore et severiore ingenii cultura, evangelicam originem redolente, Borussia iis tantum Catholicis placere potuit, qui, aeque atque Erasmus quondam, in Luthero juxta errores, quos putant, veri et sincere christiani aliquid agnoscunt ideoque propriam novi aevi indolem non prorsus cum Pio nono rejiciunt atque condemnant. Qui cum hoc Papa faciunt neque unquam (ut cum Romano poëta loquamur) ‚culturae patientem aurem commodant,' ii omnes fere, licet callide interdum, ut Jesuitae sub Friderico Magno, alium animum simulent, corde suo tam atroces ac feri Borussiae osores sunt, ut nunquam se cum ea in amicitia fore ad aram jurasse videantur. Quare vir prudens vix de singulis cum eodem poëta dixerit:

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit.

Neque miraberis istud odium, quo fortior Jesuitica pars in Romana ecclesia facta est, eo largius auctum, denique Vaticano concilio ad summum culmen pervenisse.

Id nos praesentes ex parte, quum ad Rhenum versaremur, vidimus. Id permulti vel propiores rerum observatores, praestantissimi nimirum Christiani catholici iidemque patriae amantissimi, uno animo testati sunt. Id ex his ingeniosissimus quoque narrator ille Westphalicus, opere quod diximus domesticarum rerum condicionem poëtice depingens, verissime ostendit. Quum enim Borussia ad longius progrediendum ea via, quam duodeviginti annis ante Francofurtensia comitia demonstraverant, necessitate quadam duceretur, bello exorto apud Rhenanos et Westphalos tantum non omnes ii, qui a Jesuitica parte stabant, Austriacorum armorum victoriam cupidissime appetebant. Hi cuncti post proelium Sadovense haud exiguis angoribus ecclesiasticis premebantur. Postea vero longe plurimi eorum, quum Napoleon bellum nobis intulisset, felicissimam illam, quam supra memoravimus, mutationem subierunt, fortiter pugnaverunt, vulneratis militibus adfuerunt, resuscitatum imperium Germanicum laetissimis votis salutaverunt. Itaque sperandum esse videbatur fore, ut restituta externa unitate, quam frustra tamdiu populus noster desideraverat, etiam discordia de rebus ad religionem pertinentibus magis magisque mitigaretur, id vero quod

---

1) Cf. Revue critique 1879 Nr. 29. p. 69. Il n'est pas douteux que c'est grâce à ses universités, que l'Allemagne est devenue le plus grand laboratoire scientifique du monde, qu'elle a pu acquérir, malgré son morcellement politique, le sentiment de l'unité nationale et cette culture générale, cette Allgemeine Bildung, dont l'Europe n'a que trop ressenti la force irrésistible.

omnibus Christianis commune inter belli pericula eluxerat, pacis quoque tempore patriae salutare se praeberet. Sed mox cavendum erat, ne quid simile priscae Teutonicae fabulae fieret, qua narrabatur, inter ipsos Deos unum illum Loki fuisse, qui, quum omnes pace et felicitate fruerentur, et ipsis et universo mundo interitum ex parva re profecturum dolose praepararet. Hujus Dei quasi partes Jesuiticae factionis coryphaei quidam susceperunt, servato vetere odio virus illud spargentes, quod fugiendum Doellingerus Scherrio frustra monstraverat.

Initio quidem utilitatis causa, similiter atque Riccius Jesuitarum Princeps erga Fridericum Magnum, amicitiam erga Imperatorem evangelicum simulabant. Scilicet ipse Papa tunc sperabat fore, ut illo adjuvante amissam urbem et terras recuperaret atque tot Itali, restitutam denique communem patriam incredibili gaudio vix amplexi, regimini pontificio, inter Christianos omnium deterrimo, iterum subjicerentur. Itaque hanc Papae causam et ad excitandum iterum vulgus, caece colere illum consuetum, praetendebant, et in primis novi imperii Germanici comitiis agitaverunt. Quod ut caute quidem sed satis aperte nec sine idoneo tumultu facerent, unus callidissimus vir Windthorstius Meppensis omnia felicissime praeparaverat. Quippe Guelforum qui vocabantur et Pontificiorum copias conflaverat; aptissimum ducem, solum tantae moli parem, illorum conjurationi se praebuerat; homines et fanaticos et moderatos, haud paucos etiam, qui de Germanorum victoriis et restituto imperio sincere gavisi erant, vel politicis rationibus vel praetexto religionis periculo secum rapuerat. Propter oblatum intellectus sacrificium Vaticani concilii asseclis gratissimus erat, quamquam nonnulli de fidei ejus firmitate dubitabant. Etenim religiosae in christiana veritate amplectenda diligentiae vix ulla vestigia in ejus sermonibus inveniebantur, permulta levitatis cujusdam et mobilitatis, innumeris abundantis facetiis, partim satis festivis, partim frivolis ac scurrilibus, haud raro subdolam malitiam innocenti vultu et suavissima voce tectam spirantibus. Tantus nugator valde dubius novae fidei, de qua proxime ipse dubitaverat, defensor esse videbatur. Etiam de Jesuitis haud multo ante satis contemptim locutus erat, expulsionem eorum minime prohibiturum se esse jactans; postea hanc sententiam usitata levitate subridens revocavit, sentiens fortasse, illorum agendi rationem tam tenacem propositi quam in eligendis consiliis versipellem mire cum sua congruere. Inter reipublicae Atheniensium rectores Theramenes quondam propter versatile ingenium et mutandi partes facilitatem Cothurnus appellatus est, quod genus erat calceamenti utrilibet pedi et mulieribus pariter ac viris conveniens. Meppensis longe illo

versatilior pluribus rationibus quasi duplex persona exstitit, nimirum Guelfus et Borussus, Romae miles et bonus Germanus, dubitando audax et ad sacrificium intellectus paratus, hilaris joculator et ecclesiae vulnera flebiliter lamentans, liberalis et obsequii gloriam prae se ferens, spreto Papa libertatem conscientiae praedicans et cum iis, qui canonizatum Petrum Arbues invocabant, foede conspirans. Is igitur in primis novi imperii comitiis illud quod diximus quasi Eridos malum projecit. Contra hunc virum ejusque socios longe plurimum illic eorum sententia valuit, qui cum Imperatore ejusque Ministris nefandum facinus fore censuerunt, si Germania ad restituendas papatui terras suas Italicis rebus se immisceret. Hanc sententiam altera pars non modo injustam, sed etiam sibi hostilem esse declaravit; inde apparere dixit Meppensis in novo imperio eorum rationem non haberi, quae cives Romanocatholici necessaria sibi et summi momenti esse ducerent. Scilicet Paparum patrimonium terrestre, quod Medio Aevo divinus Dantes ut pessimae corruptionis causam abominatus erat, hodie vir Germanus, rerum diplomaticarum quam divinarum peritior, Germanis catholicis carissimum esse debere publice contendit, sodalium aliis serio, dum ipsi phantasmata captant, aliis specie, dum vulgus phantasmatis excitandum putant, summa voce acclamantibus. Sic quasi in magno spectaculo publico papatus, medii aevi somnia tenentis, et novi imperii, ejusmodi somnia fugantis, discordia implacabilis omnium oculis manifestata est.

Jam antea vero, praecipue in Bavaria et Borussia, prohibendi fuerant Pontificii, quominus viros pietate, candore, eruditione ipsis longe superiores, quia novo dogmati contra conscientiam se subjicere noluerant, turpissime vexarent et laederent. Statim enim post concilium, nondum confecto, ut vidimus, bello Gallico, tam vehementer in eos excommunicatione saeviebant, ut jus civile, in ea re semper servatum, compluries violarent. Deinde contra eos, quos excommunicaverant, brachii secularis auxilium postulaverunt, ut probi quidam parochi e locis suis ejicerentur, ut insignes scholarum et universitatum praeceptores eo munere, quod a civitate iis mandatum erat, a civitate destituerentur. Putabant scilicet, quoniam de internis ecclesiae rebus ageretur, jus fasque esse civitatem sibi obedire. At invitam hanc coëgerunt, ut internis ecclesiae rebus se immisceret. Jam enim in ipso foro civili dijudicandum erat, num ii, quos ejici e locis suis episcopi volebant, jure adhuc Catholicos se nominarent. Quippe civitas, ecclesiae patronam se gerens, multa munera professoria idoneis viris ut Catholicis dederat. Qui si ad aliam fidem transiissent, loco

movendi erant. Fidem catholicam immutabilem esse episcopi saepe gloriantes declaraverant. At Palaeocatholici fidem non mutaverant, quin immo jubentibus episcopis, propter animi inconstantiam male famosis, contra conscientiam mutare fidem recusaverant. Detrectabant opinionem, quam prorsus alienam a vetere ecclesia fuisse doctissimi quique Germaniae episcopi paulo ante iterum iterumque necessarie demonstraverant, quam non esse catholicam omnes Hiberniae episcopi per longum tempus, nullo contradicente vel intercedente Pontifice, jurejurando confirmaverant. Nunc episcopi, qui novo dogmati se subjecerant, disputare de eo cum Doellingero aliisque praefracte, ut vidimus, abnuebant, ecclesiae doctrinam, licet mutatam, tamen revera non esse mutatam, sed immutabilem permansisse ostendere conabantur, sed tam ridiculis et sophisticis argumentis, ut fortasse indocto vulgo, vix sibi ipsis, certe non sanis magistratuum mentibus satisfacerent. Itaque illi de argumentis suis ipsi desperantes ad jus formale, quod dicunt, provocaverunt: scilicet magistratibus de controversiis dogmaticis non judicandum esse, sed quaerendum tantummodo, num quid ecclesia de iis ex suis legibus rite decidisset; quod quin de novo dogmate factum esset, dubitari non posse. At ne hoc quidem jure contenderunt. Is enim, quem Erasmum redivivum vocaverunt, aliique viri universae Germaniae spectatissimi Vaticanum concilium secundum ipsas leges ecclesiasticas rite actum non esse demonstraverunt, idque argumentis, quae refelli non posse communi magistratuum sensui videbantur. Accedit, quod etiam Tridentinum concilium, id quod Leibnitius monuit, a pluribus regnis catholicis agnitum non est. In Bavaria Vaticana decreta sine Placito regio proclamari, nedum ut leges usurpari, non licebat. Quae quum ita essent, num Doellingerum ejusque amicos Scherrii ejusque similium arbitrio projicere fas erat? Tale aliquid summi magistratus vel Bavaricae Borussicaeve civitatis vel imperii Germanici perpetrare nullo modo poterant. Si fecissent, et ipsis sacrificium scientiae et conscientiae antea offerendum erat. Itaque in omnibus rebus, de quibus ipsis judicandum erat, prospiciebant, ut viri illi cum immutata sententia sua etiam immutatum jus in ecclesia catholica retinerent.

Id vero Pontificii tam aegre tulerunt, quam comitiorum Germanicorum contra restituendas terras papales lata suffragia. Utraque igitur re ad exagitandam plebem utebantur, imprimis anxii, ne magistratus in tuendis probissimis quibusque praeceptoribus et presbyteris catholicis, qui novam infallibilis Papae fidem confiteri noluerant, populi favore adjuvarentur; quapropter delatores nequissimi viros illos de instituenda

juventute et plebe optime meritos, ut perniciosissimos haereticos, immo universae religionis desertores, additis haud raro aliis horrendis mendaciis, depingere et criminari studebant. Quae mendacia, licet saepius coram judice detecta,[1] quanto facilius cum apud imperitam multitudinem, tum apud feminas confessione auriculari gubernatas invaluerunt, eo magis civitatis rectoribus videndum erat, ne respublica detrimentum caperet, praesertim quum alii praeceptores, saevum fanatismi impetum vel sincere vel specie sequentes et in Papae, ut regis regum et domini dominorum, caecum servitium ruentes, Jesuiticae doctrinae moralis veneno juventutem adolescentem inficerent, legum civilium auctoritatem subruerent, imperii theocratici exercitibus quasi viam munirent. Immo quoniam semper adhuc verum esse constat, quod Graecus ille dixit, civitatem sine religione sicut urbem in arena conditam stare nullo modo posse, magistratus, quantum quidem in ipsorum potestate erat, cavere debebant, ne animorum motus, tunc apud permultos inter magnos temporum eventus ad sinceram pietatem christianam vergens, corrupta inter Catholicos a Jesuitis ipsa conscientia, corrumperetur et proinde apud multos in omnis religionis despectum verteretur. Quod ne fieret, civitas, ubi singulae causae ad ejus tribunalia ferebantur, justa dijudicatione succurrere sanis ecclesiae viribus, resistere insanis poterat. Sed ut tota res secundum veritatem dirimeretur et ad faustum exitum perduceretur, certamine non mere forensi sed spirituali, neque doctrinis dumtaxat humanis, sed etiam ipsa religione opus erat. Quare evocandae erant, ut illi certamini interessent, tum doctrinae inter Protestantes excultae, historicae, criticae, philosophicae, theologicae, tum ipsa ecclesia evangelica. Hanc enim fugere non debuit, Jesuiticam partem in Vaticano victricem, vetere adversus se odio infernali agitatam, si posset, iterum dolo, vi, caedibus interitum sibi molituram esse; cum sola altera parte catholica, pro tempore repressa, pacem fraternam dari et spem plenioris quondam futurae concordiae. Sine hac vero confessionum quae apud nos dicitur pace novum imperium Germanicum interna sanitate et securitate carere, immo stare diu illud vix posse, sagacissimi quique magistratus nostri optime cognoverunt. Quae omnia respiciens in commentatione mea supra dicta tribus mensibus post definitam Papae infallibilitatem haec verba scripsi, quae infra repetere supervacaneum non duco:

1) Cf. recens exemplum in: Deutscher Mercur 1881 p. 21.

‚Christianam quidem religionem, ut universae communis vitae nostrae, ita rerum publicarum sanctissimum fundamentum esse, id similiter atque post eversum primum Francogallorum imperium multi nunc homines, quum quasi coelestem illam manum in miris humanarum rerum mutationibus conspexerint, altius quam antea sentiunt. Sed unitis viribus nitendum, ne tantus ille tamque praeclarus animorum motus, id quod communi et principum et gentium culpa superiore tempore factum est, iterum quasi de recta via deflectatur et (ut apostoli verbis utamur) postquam spiritu initium cepit, carne consummetur. Etenim ut cum universae Europae tum Romanarum gentium ex ea, in qua nunc jacent, confusione ad condicionem vere meliorem et saniorem provehantur, mortua sive publici juris, sive religionis littera non sufficit, sed vivificante spiritu opus est.[1] Is vero quamvis a divina misericordia neque ab humanis consiliis ac viribus exspectandus sit, ibi vigere tamen non potest, ubi corruptam ipsam conscientiam universae religionis corruptio secuta est. Quapropter ii, quos hac tanta calamitate res christianas affecisse vidimus, tamdiu impugnandi sunt, donec perculsos atque abjectos se esse sentiant. Hoc sanctissimum bellum spiritualibus armis gerendum nostro praesertim populo, nostrae evangelicae ecclesiae impositum est. Quos isti tanta impudentia opprimere nunc in sua ecclesia student, eorum causa nostra causa est. Hi enim soli id etiamnunc defendunt, quod magnum et praeclarum, quod vere christianum illic per tot secula exstitisse nunquam negavimus. Hi spem nobis renovant futurae unionis, qualem majores quondam nostri in quavis pace, quam de rebus ad religionem pertinentibus sub imperii Germanici auctoritate composuerunt, a futuro tempore se exspectare professi sunt. Hi denique haud longe fortasse absunt ab eo concedendo, quod Leibnitius ad auspicandam veram illam unionem necesse fore vidit, ut concilii Tridentini decreta, praesentis discidii fundamenta, suspenderentur et reformarentur.‘[2]

Hos igitur viros, de quibus eadem etiam nunc decem annis post nobis dicenda sunt, magistratus nostri adversus furiosos adversarios non tueri non poterant. Id potissimum in Germania universi belli papalis initium fuisse constat. Jam simul quidem Pontificii querelis illis de spoliato Papa ad irritandos imperiti vulgi animos utebantur. Sed propter solos Palaeocatholicos jam tunc rebelles adversus civitatem facti sunt, longe gravissimis seditionibus primum in Bavaria pertina-

1) 2 Cor. 3, 6. Jo. 6, 63.

2) De Romanarum et Germanicarum gentium consortio p. 22. 23.

citer tumultuantes. Illic nimirum Scherrius aliique, qui paulo ante novum dogma impugnaverant, ad publice invadendum in Doellingerum ejusque amicos a curia minaciter instigati, abjecto reliquo pudore, quo per aliquod tempus cohibiti erant, ut desperati homines ad quodvis audendum parati erant. Rite excommunicare illos non licuit, nisi antecesserat decretorum Vaticanorum publicatio; ad hanc efficiendam recusatum est Placitum regium. Jussu curiae episcopi Bavarici, spretis legibus, quibus jusjurandum dederant, decreta illa proclamaverunt; immo Ratisbonensis publice declaravit, quodvis etiam ministrorum regiorum jusjurandum reservato ecclesiae jure datum esse.[1] Memorabant multi Jesuiticam de mentali reservatione doctrinam, alii Papas quosdam, qui sanctissimis juribusjurandis illusissent, inprimis Innocentium X., quippe qui famosissima bulla ‚zelus domus dei' non tantum decrevisset ‚omnia, quaecunque pacis Westphalicae instrumento continerentur, ipso jure nulla, irrita, invalida, injusta, damnata, reprobata, inania viribusque et effectu vana omnino fuisse, esse et in perpetuo fore,' sed etiam expressis verbis addidisset, ‚neminem ad illorum observantiam, etiamsi juramento vallata sint, teneri.' Jam eadem incredibili insolentia episcopi Bavarici, erga Papam serviles, sed in magistratus sese ut Satrapas, immo ut parvos Papas gerentes, omnia civilia jura contemnebant. Sic Bambergensis excommunicavit omnes, quicunque Lutzii Ministri regii orationem aliquam, in comitiis Bavaricis habitam, sibi valde displicentem, lecturi essent; alius episcopus dixit, se primum regnantium thronos eversurum esse, si illi ex Dei gratia reges esse noluissent. Passaviensis, quum civitas Papae se subjicere detrectaret, sex vexilla nigra in palatii tecto erigi jussit; Lutzio coram declaravit, ecclesiae capessendum esse imperium in civitatem; quod, quoniam absolutismi et constitutionalismi auxilio obtineri amplius non posset, democratiae et multitudinis ope affectandum esse.[2] Nec vanas minas jactabat, sed ejusmodi auxilia jam parabantur, faventibus admodum politicis rationibus. Etenim illic quoque ultramontanorum, qui nominabantur, permulti quidem periclitante universa patria Germanica, nobiliore animorum motu inflammati, reportatas victorias et restitutum imperium magno gaudio acceperant; inde factum, ut Bavari in comitiis Monaci habitis, regem suum sequentes, ad novum imperii foedus longe plurimis suffragiis accederent. Fuerunt tamen, qui pertinaciter repugnarent; neque postea mitigati sunt, sed patrio-

1) D. 23. m. Maji a. 1871.
2) Cf. de his omnibus Bulle l. c. I, 215.

tarum nomen falso usurpantes Bavariae interitum, quem putabant, tanto dolore deploraverunt, ut ad restaurandam illam extraneos appellare saepius viderentur. His acerrimi quique novi dogmatis asseclae eo facilius se adjunxerunt, quo meliore fide Palaeocatholici Bavarici omnes, licet fide erga regem suum nequaquam illis cedentes, desideratam jam diu Germaniae unitatem amplexati erant. Dabantur igitur variae excitandorum animorum occasiones, quibus avide captatis tribuni illi plebis, de quibus diximus, auctoritatem suam haud parum augebant. Accommodatis ad vulgi captum sermonibus et ephemeridum suarum chartis impigre utebantur; ingenii defectum squalida quadam et seditiosa supplebant eloquentia; insanum Borussiae et novi imperii Germanici odium, quod Centri sodales quidam callide tegebant, rustica intemperantia et obscoenis dicteriis audacter manifestabant. Quibus omnibus rebus unus eorum, quasi alter Thersites, eminebat prae ceteris. Certabant cum his innumeri sacerdotes, ‚capellani instigatorii' qui vocabantur, servili animo episcoporum furori inservientes pariterque ad alios opprimendos prompti, sacris concionibus ad insectandos praestantissimos quosque viros, etiam summos magistratus, insolenter abutentes, publicam pacem excitato caeco vulgi furore passim turbantes. Hi vero omnes, et tribuni plebis, et sacerdotes, praecipue contra regis Bavariae Ministros quasi conjuraverant, dupliciter iis exosos, quippe qui et novi imperii foedus bona fide servarent, et Palaeocatholicorum fidem et jura tuerentur. Praeter ea nihil erat, quod isti quererentur, in civitate, cujus traditae rationes semper adhuc religioni catholicae favebant. Quae quum ita essent, Lutzius, ad coërcendos sacerdotes illos imperii auxilio utendum esse ratus, in comitiis Germanicis legem de sacri suggestus abusu rogavit, qua aliquantulo graviorem, quam hucusque, poenam in illos statuere liceret. Quod quum opus sibi esse allatis exemplis et argumentis declarasset, egregio viro denegari non posse visum est, itaque post aliquam disceptationem lex illa, prima omnium, quas bellum papale peperit, sancita et mense Decembri anni unius et septuagesimi proclamata est.

Interea similes atque in Bavaria turbae, licet eousque non ita graves, in Borussia concitabantur. Sequente demum anno etiam hic Pontificiis agitationibus nova quadam lege data, eaque ad scholas pertinente, obviam itum est. Omnium scholarum inspiciendarum jus Borussicae civitati jamdudum competiit gravissimique momenti esse omnibus illius magistratibus videbatur. Sed ex vetere consuetudine scholarum popularium inspectione clerici fungebantur, civitatis mandato ac nomine agentes; inprimis localis singularum scholarum inspectio, quae dicitur,

penes parochos, et evangelicos et catholicos, erat. Neque id prorsus mutare gubernatores rei publicae in mente habebant, sed in singulorum tantum inspectorum clericalium locum alios seculares substituendi jus Ministro regio rebus ecclesiasticis et scholasticis praefecto (tunc Falkio) concedi voluerunt. Id igitur a comitiis Borussicis petitum est, aperte adjecta causa, quod clerici quidam Romanocatholici cum magno Borussiae detrimento sanctissimi muneris auctoritate abuterentur. Id allatis exemplis demonstravit imperii Cancellarius; addidit in sola fere Germania clerum Romanocatholicum patriae amore carere, quum Romanae ecclesiae utilitatem saluti imperii praeponeret. Cujus rei documenta poscentes Centri socios ille attonitos reddidit exclamans: At vos dumtaxat vestra pectora perscrutamini![1] Concessum est nihil ejusmodi probro verti posse ecclesiae evangelicae ministris; immo agnitum hos optime semper de scholis meruisse; neque oblitus Falkius se filium pastoris esse, qui per novem lustra inspiciendis scholis operam dedisset. Ex solo confessionum ecclesiasticarum paritatis, quod dicitur, principio legem de omnibus Borussiae scholis popularibus rogare placuit. Quod male ferentes conservativarum partium socii testabantur, fas non esse ob singulorum quorundam sacerdotum Romanocatholicorum peccata evangelicae ecclesiae, cui tantum Borussia deberet, priscum honorem infringere et tot innocentes viros optimeque meritos Ministri Regii arbitrio permittere; si quid esset periculi (quod hujus partis plerique justo minoris faciebant), aequiora remedia quaerenda esse. Proposita ab his mitior legis formula Ministerio Regio non displicuit, a liberalibus partibus rejecta est. Iis, qui legem ipsi christianae scholarum indoli inimicam esse contenderant, et Falkius et Princeps Cancellarius imperii fortiter restiterunt. Hic cum ingenuitate illa, in qua nemo sobrius quidquam simulationis suspicabitur, se vivam fidem christianam atque evangelicam domi ac publice semper et confessum esse et confiteri ait; sed ut hujus ipsius fidei officiis in munere divinitus dato satisfaceret, sese eadem industria, qua quondam tumultuantes ac rebellantes in urbis plateis impugnasset, jam iis restiturum esse, qui ad firmanda reipublicae fundamenta vocati temere ea subruerent. Similiter multi alii animati erant. Non mirum tamen si in tanto conventu nonnulli fuerunt, qui partim odio christianae religionis vel falsis de ea opinionibus ducti utriusque ecclesiae imminutionem a rogata lege exspectarent, partim pro ignoratione sua tantarum rerum, vel ecclesiasticarum vel scholasticarum, ad recte judicandum de legis

1) Greifen Sie doch nur in den eignen Busen.

rogatae indole et effectu parum idonei essent. Sed patebat omnibus ejus fautoribus aliquid saltem illius periculi, quod ab ingenio Jesuitico, Romanae ecclesiae victore atque tyranno, nostris scholis doctrinisque imminens supra descripsimus. Et si quis dubius fuerat, num quid ad evitandum periculum lex valeret, manifestus adversariorum terror removit dubitationem. Declaravit Meppensis, si lex retraheretur, paratum se fore ad relinquendam Centri sodalitatem (hanc enim ut hostilem civitati exercitum Cancellarius signaverat), sed eo magnificentius a sodalibus ‚margaritae Meppensis' nomine celebratus est. Itaque mense Martis anni secundi et septuagesimi etiam haec lex valuit. Cujus initio perquam modestus usus, postea gravius exardescente bello crebrior factus est.

Longe enim vehementiores tumultus paulo post tertia lex concitavit, non a Borussia sed ab universa Germania, neque a rei publicae rectoribus sed a populi delegatis profecta. Agebatur de Jesuitarum societate. Hi a plurimis Germaniae civitatibus eousque legitime interclusi erant, etiam sub catholicis principibus, ex quibus Ludovicus I. Bavariae rex, ecclesiae deditissimus, semper illos, licet a curia per nuntium impense sibi commendatos, ut periculosissimos homines removerat. Tamen irrepserant pedetentim, quum praesertim post annum hujus seculi undequinquagesimum in Borussia palam florere et in ecclesia sua dominari coepissent, in rem suam conversis certis quibusdam ‚Borussicae Constitutionis' articulis, ad ecclesiarum libertatem pertinentibus, quorum formulam sub sola excludendi Jesuitas condicione Francofurti propositam a Doellingero fuisse supra memoravimus. Eosdem articulos in primis illis novi imperii comitiis hujus legibus inserere Romani Centri sodales sive Centrici (ut breviore nomine utar) enixissime, licet frustra, studuerunt,[1] idque sine dubio praeter alias causas etiam fovendorum per universam Germaniam Jesuitarum gratia. Hos increscentium subinde turbarum praecipuos incitatores esse facile patuit. Unde factum est, ut ad eadem comitia, quum anno post iterum convenissent, permulti libelli innumeris fere nominibus subscriptis undique afferrentur, alii ut Jesuitae ab universa Germania intercluderentur, alii ut ubique admitterentur postulantes. Post multam disceptationem comitia legem decreverunt, qua Jesuitarum societas ab universa Germania intercluderetur et ubicunque exstitisset dissolveretur. Quae lex a supremo foederatarum civitatum collegio (si unum parvulum principatum Reussensem excipias) omnibus senten-

1) M. Aprili a. 1871.

tiis probata et ab Imperatore mense Julio anni septuagesimi secundi proclamata est.

Tunc iterum apparuit, quanta omnium rerum mutatio, jamdiu praeparata, Vaticanis decretis ad finem perducta esset. Quippe paucis ante lustris in Germanicis comitiis Francofurti congregatis praeclarissimi episcopi aliique rerum Romanocatholicarum duces censuerant, ut ecclesia vera libertate et pace frui posset, Jesuitas a Germania removendos esse. Doctissimi quique theologi, etiam ii, qui quam optime de meliorum quorundam Jesuitarum meritis judicabant, plurium vitia et flagitia recordabantur; quae Romae sub ipsius Papae auctoritate detegere et enarrare Theinero licuit. Quicunque aliquod fraternitatis vinculum cum Germaniae Evangelicis retineri serio volebant, memores erant, hos a Lojolae grege pro ,genere Deo et hominibus exosissimo' [1] habitos atque toties infernali dolo et sanguinaria violentia impugnatos esse. Nunc si quis Romanocatholicus eadem libertate de ordine illo judicare pergebat, Romae exsecrabilis erat, domi apud imperitum vulgus ut impius homo diffamabatur. Illos caeco assensu laudare primarium novi obsequii officium subito factum est; eorum societatem ex universa Germania tollere, sicuti ex Bavaria eousque legitime tollenda erat, Centrici summam in ecclesiam Romanam injuriam declaraverunt, aliter sentientes Catholicos suo nomine indignos esse proterve jactitabant.

Hoc animo in comitiis illis Germanicis Berolini actis etiam Meppensis, callidus factionis antesignanus, qui duobus annis ante acerrimus Jesuitarum vituperator fuerat, nunc subito jubente papa (nam altioribus historiae studiis interim non incubuerat) obsequiosum illorum laudatorem egit. Qui quum legem adversus eos nihilominus latum iri videret, usitata animi levitate ac petulantia, quasi post alia aliquo modo tolerabilia jam immane aliquid contra ecclesiam Romanam intentaretur, minitabundus exclamavit: ,Si tam praefracte bellum nobis indicitis, bellum habetote.' Idque revera eum non tantum suo vel Centri sed ipsius curiae nomine dicere potuisse mox patefactum est. Etenim statim post latam legem illam Civilitas catholica scripsit: ,Deus flagellis suis utitur, deinde ea frangit; novum imperium Germanicum nihil aliud est nisi irae divinae flagellum.' Idem vero clamor bellicus per universam Germaniam ab omnibus curiae asseclis sublatus est. Tunc temporis eadem ephemeris Bavarica, quam resipuisse nuper

1) Imago hujus seculi, prolegomena p. 18. Cf. Huber, der Jesuitenorden, p. 425.

et adversus ,Civilitatem catholicam' exsurrexisse memoravimus, lege illa lata pacem in rebus ad religionem pertinentibus labefactatam esse exclamavit atque bellum inchoatum adversus potentiam Zolleranis Norimbergiae quondam Burggraviis antiquiorem. Simul Thersites ille Monacensis in ,Patria' sua (id enim ephemeridis nomen) haec scripsit: ,Jesuitae supererunt imperio Germanico, liberis caementariis et Judaeis destinato;[1] nos istud imperium vestrum Germanicum neque diligimus, neque unquam curavimus; nobis illud non exstat nisi velut transiens nubes.' Horum similia cognata quaedam illius ,Patriae' ephemeris Dresdensis Jesuitis amicissima protulit. Illic in urbe et civitate, tota fere evangelica, mense post legem illam latam sacerdos quidam aulicus, Potthof nomine, missam sollemnem ,in honorem Ignatii Lojolae ordinis Jesuitici conditoris' publice indixit. Sic verba dabantur indocto vulgo Romanocatholico, quippe ignaro malorum omnium, quae Jesuitae per plura secula Germaniae intulerant. Nec multo doctiores erant clericorum plurimi, in seminariis episcopalibus educati, scholasticis et Jesuiticis doctrinis imbuti, ab amore patriae, cujus historiam et litteras altius non didicerant, magis magisque abalienati. Ipse Papa jam mense Junio implacabile novi imperii odium publice professus erat, quippe ad Germanos quosdam sui observantissimos mutuatus prophetae personam haec verba dixerat: ,Animosi et concordes estote, nam lapis cadet de monte et comminuet pedes colossi.' Etiam postea ejusdem impotentiae verba serere non desiit. Quae quantum apud rusticos illos, quos diximus, tribunos plebis similesque homines valuerint, facile ad intelligendum est. Et ephemeridum chartis, et magnis ac parvis conventibus Romanocatholicis oleum camino addebatur.

Habebamus igitur bellum Pontificiorum, qui Jesuitarum rem suam rem declaraverant, in aperto adversus novam Germaniam ubique inchoatum; occulte jam antea flagraverat. Episcopi vero, Fuldae congregati, contractum his annis dedecus augere non dubitaverunt. Quippe litteras et ad summos omnium civitatum Germanicarum magistratus miserunt, et typis exprimendas curaverunt, quibus sollemniter omnes asseverare ausi sunt, plane inexspectatas sibi praesentes turbas venisse, quasi subito scilicet ecclesia, sine ulla sua culpa, injuria a magistratibus civilibus afficeretur. Idque eos scribere non pudebat, quorum plures, Romae praesentes, factam ingentem ecclesiae mutationem, civitati nequaquam indifferentem, clarissime perspexerant, immo

1) „Das deutsche Reich für Freimaurer und Juden." Cf. Karl Hase l. c. p. 30.

antequam illa fieret, praeviderant atque praedixerant, ejus fructus tales turbas futuras esse quales ortas nunc circumcirca conspiciebant. Sic Pium IX. vastaturum esse ecclesiam Hefelius propria manu scripserat. Eodem tempore haud pauci Europae et Americae septentrionalis episcopi ‚Petitione' typis expressa monuerant concilii praesides, ne constituta nova infallibilitatis Pontificiae fide omnes Catholici, quicunque novae fidei obsecuturi essent, quasi nati suae quique civitatis hostes redderentur.[1] His simillima denique Pontifici civitates catholicae eique amicissimae significaverant. Inprimis Austria periculum, si non institutionibus suis, at paci ac civitatis cum ecclesia concordiae novo dogmate intentatum indicaverat.[2] Ad talia Antonelli Cardinalis iterum iterumque non minus impudenter quam astute rescripserat, rationibus curiam inflexibilem esse, usu et praxi vim et potentiam Gregorii VII. vel Innocentii III. non affectaturam.[3] Harum omnium rerum memores episcopi Fuldae congregati tamen inexspectatis turbis praesentibus obstupefactos sese simulabant. Inaudita eousque apud Germanos in tanto collegio tanta pervertendi publice veri audacia fuerat. Etiam Hefelius, jam per annum animo fractus aeterni dedecoris monumento nomen subscribens ne erubuisse quidem videtur.

Consultatum est de remediis in summo regni Borussici collegio. Episcopi isti, tantae turpitudinis macula notati, cum Papa suo volebant, ut societas Jesuitarum restitueretur, ut respublica famulam se Pontifici praeberet ad dejiciendos Palaeocatholicos excommunicatos ex muneribus suis, ut clerus potestatem haberet imbuendi in scholis juventutem suo animo erga Romam servili, adversus civitatem hostili ac rebelli, a summis ingenii Germanici bonis abalienato. Sperandum erat fore, ut ipsi Romanocatholici, quicunque Jesuitico veneno toti nondum infecti erant, intellegerent fieri non debere illa omnia, sed sanctissimum civitatis officium atque munus esse, curiae ejusque pedisequis talia postulantibus fortiter resistere. Quaerebatur de modo resistendi. Constabat quidem agi de rebus ad universam Germaniam pertinentibus, verumtamen jam propterea, quod Germanicae civita-

---

1) Quirinus l. c. p. 378. Invenitur petitio, a Rauschero Cardinali verbis concepta, apud Friedrich: Documenta ad illustr. Conc. Vat. II. p. 388. Subscripserant etiam omnes fere episcopi Germanici, inprimis Monacensis, Bambergensis, Rottenburgensis, Moguntinus. Cf. Schulte, die Macht der röm. Päbste 2. Aufl. p. 5.

2) Quirinus l. c. p. 368.

3) Ibidem p. 385.

tes admodum diversis ex parte legibus scholasticis et ecclesiasticis utebantur, proficiscendum non a communi imperio sed a Borussica civitate esse visum est. Hujus enim leges, quod ad res Romanocatholicas attinet, post annum hujus seculi undequinquagesimum perquam incaute (ut supra monuimus) variatae et novatae erant. Accesserat illis diebus, seditionum civilium feracibus, quod Pseudolutherani quidam curiae asseclis, quasi secum firmissima reipublicae et regiae dignitatis adminicula illi essent, mire favebant et succurrebant. Praeterea ab horum quidem animo admodum remotus generosissimus rex Fridericus Guilelmus IV. initio regni sui talium virorum, quales Radowitz, Sedlnitzky, Diepenbrock esse videbat, vim atque potestatem in ecclesia Romana majorem quam erat existamaverat, postea demum, praesertim constituto novo Mariano dogmate, quanta jam tunc illic antichristiani ingenii potentia esset, non sine horrore perspexerat.[1] Haec omnia recordantes consideratis praesentibus ecclesiasticarum seditionum temporibus Guilelmi Regis Ministri ad pristinam circumspectionem et severitatem, quam aliarum civitatum instituta hucusque retinuerant, jam redeundum esse censebant. Itaque placuit leges quasdam, huic fini pro temporum condicione inservientes, comitiis quae instabant Borussicis proponere. Quae leges, quum illic apud utramque conventus illius curiam in disceptationem venissent et post variatas quasdam res decretae essent, insequentis anni mense Majo a Rege probatae et proclamatae sunt. Posthac quum a maxima cleri et populi Romanocatholici parte assidue rejicerentur, ad tuendam civitatis auctoritatem aliae leges additae sunt. Quae omnes cum primariis illis uno nomine comprehensae leges Majae vocari solent.

Has igitur leges nunc in certamine hucusque flagrante plerique sicut cardinem rerum diversissimo animo intuentur. Has mitigari in singulis sed nunquam tolli posse civitatis propugnatores confirmant. Has non mitigandas sed funditus tollendas esse, ut pax ecclesiastica restitueretur, Centrici impigre clamitant. Sed horum callidissimi duces non ignorant, etiam si illae omnes tollerentur, pacem ne minime quidem futuram esse. Quippe jam ante latas illas leges acerrimi quique milites Pontificii cum ipso domino suo, et in comitiis nostris illorum signifer Meppensis, Germaniae et Borussiae atrocissimum, ut vidimus, bellum indixerant eousque duraturum, donec novum imperium tyrannidi Papali, ex satellitum ejus confessionibus nobis notissimae, eo quem supra descripsimus modo laudabiliter, ut isti

---

1) Cf. libellus meus: David Strauss als Romantiker des Heidenthums p. 38.

ajunt, se subjiceret, Jesuitarum ordinem restitueret, juventutem educandam iis traderet atque relinqueret, episcopos, propter Papae servitium turpissimos post hominum memoriam omnis probitatis et sinceritatis contemptores, patriae amore magis magisque destitutos, summis honoribus efferret. Hoc bellum ut adversus clandestinam conspirationem, per tot ecclesias, scholas, monasteria, domus in Borussicis terris serpentem, fortiter geri posset, leges Majae datae sunt. Quae si tollerentur, civitati idem bellum contra atrocissimos et dolosissimos adversarios, projectis quasi aptissimis ex parte armis, continuandum esset. Eo scilicet ut illa perducatur, acerrimi quique Jesuitarum patroni, incautos et ignaros homines pacis imagine decipientes, cum Meppensi suo leges Majas ut vere Draconicas, innocentissimis sibi injuste impositas, ad delendam funditus ecclesiam excogitatas, iterum iterumque calumniantur. Atqui ineptissima fabula est, Borussiae gubernatores, propter eximiam sapientiam etiam a prudentiore Papa nuperrime publice celebratos, tanquam furiarum stimulo punctos, eandem ecclesiam delendam subito sibi proposuisse, quam tot eousque beneficiis cumulaverant. Talis scilicet fabulae excogitatae horrore persuaderi imperito vulgo posse putant, sub clementissimo Rege Draconicas quasdam leges latas esse. At illae vere lenissimae sunt, si cum iis comparantur, quas Pius IX. cum Jesuitis omnibusque sinceris asseclis suis, quantum poterat, orbi christiano imponere studuit. Quae quales fuerint et quam foedam tyrannidem, Tiberiana saeviorem, secum portaturae, allatis certissimis testimoniis supra demonstravimus. In ipsa Borussia a Jesuitis Lacensibus, ut vidimus, juvenes clerici edocti sunt, Palaeocatholicos aliosque haereticos, quoniam ‚poenae spirituales non dolerent,‘ quantum fieri posset, fustibus aliisque poenis secularibus esse coërcendos. Tale igitur quidquam ne unquam in Borussicis terris fieri posset, civitas ad istos doctores civilium legum obedientiam docendos legitima sua potestate usa est. Intentavit rebellibus easdem poenas, quas ab ecclesia (quoniam propter malitiam temporum supplicium de haereticis sumere non liceret) rebellibus ecclesiasticis etiam hodie infligendas esse publice praedicabatur. Fustes tantum civitas ad coërcendos rebelles ‚Civilitati Catholicae‘ reliquit. Sic ipsam severitatem suam prodesse voluit humanitati et libertati, licet id nisi paulatim fieri non posse videret. Dicebatur quidem, obtrudi nemini posse libertatis beneficium; esse tempora, quae cum voluptate quadam ruerent in servitium; id sub Tiberio, id alio modo sub Pio nono factum. Sunt tamen quaedam humanitatis beneficia, quae civitas suo jure obtrudere etiam invitis debeat. Sic invitos quosdam parentes,

ut erudiendos liberos scholis permitterent, jamdudum apud nos jure coactos esse, frustra hucusque Pontificii falsa libertatis specie infitiati sunt; nunc enim universa fere Europa illud agnovit. Simile aliquid civitatem etiam in verum ecclesiae catholicae commodum facere posse, Levinus Schücking alicubi innuit in poëmate, quod memoravimus, ante proclamatas leges Majas composito. Inducit nimirum personam aliquam, post objectos errores Vaticanos ad pristinos socios ita loquentem: ‚Coget vos civitas in ecclesiae salutem, ut doctioribus sacerdotibus utamini.'

Revera ii Romanocatholici, qui praesentibus turbis et furiosis partium studiis libere decernendi potestatem sibi eripi non passi sunt, quo accuratius res ipsi perspicere et dijudicare studuerint, eo plenius intellegent, leges Majas nequaquam hostili in ecclesiam catholicam animo latas esse, sed ad obsistendum certis quibusdam damnis Vaticano concilio ad culmen provectis, quae eousque a probissimis quibusque viris catholicis publice et impune saepius castigata erant, nunc vero tanta evaserant, ut iis vigentibus civitati pax cum ecclesia esse nulla posset. Eo consilio legibus illis sancitum est, ut futuri sacerdotes primum a gymnasio aliquo testimonium quod dicitur maturitatis nanciscerentur, deinde in universitate aliqua Germanica per tres annos studiis theologicis incumberent, denique a civili quodam collegio (cujus socii etiam clerici eruditi esse possunt) de universali cultura, quae apud nos dicitur, tentarentur, num probare nimirum possent, se litteras Germanicas, rerum gestarum praesertim Germanicarum scientiam, studia philosophica, inprimis philosophiae et veteris et recentioris historiam, non prorsus neglexisse; namque ne nimium quidquam examinatores postularent, diserte cautum est. Praeterea postulatum, ut ab episcópis civilis quaedam seminariorum inspectio admitteretur, non ad immiscendum se rebus theologicis, sed ad videndum, num officiis erga patriam atque erga domesticam ingenii culturam satisfieret. Poenae ecclesiasticae, quas propter malitiam temporum non justa severitate infligi posse Pontificii deplorabant, civilibus legibus circumscriptae sunt; constitutum est de mulctarum finibus, de carceris locis, utque nemo ultra tres menses propter laesam disciplinam ecclesiasticam includeretur; vetiti sunt superiores ad coërcendos ecclesiasticos fustes adhibere; quos quum Jesuitae Borussici eorumque amici tanti facerent, hanc legem prae ceteris Draconicam iis visam esse putaverim. Interdictum episcopis ne pro inveterato fere abusu permultis sacerdotibus sacrum munus nisi ad tempus non deferrent, unde factum, ut toti ab illorum arbitrio penderent. Praeterea illi jussi

sunt post sacerdotium alicui mandatum statim ejus rei apud summum provinciae magistratum civilem indicium facere, id quod in aliis terris Germanicis et in Austria usu receptum erat; nunc idem in Borussia statuere necesse visum est, ut magistratus servandis legibus ad ecclesiam pertinentibus prospicerent. Denique tribunal ecclesiasticum constitutum est cum potestate demovendi a munere clericos, qui civitatis leges pertinaciter spernerent. Quae cuncta anno septuagesimo tertio a comitiis Borussicis decreta et mense Majo proclamata sunt. Institutionum postea additarum gravissima matrimonium civile quod dicitur obligatorium erat.

Has igitur leges omnes urgente necessitate quadam consilio plane laudabili et nobili datas esse, suo jure nemo infitiabitur, nisi qui universam illam, quam supra enarravimus, Jesuitici ingenii in ecclesia Romana victoriam et fructus ejus, blasphemam, cujus documenta exhibuimus, Papatus apotheosin ac servile obsequium Christianis impositum sincere comprobaverit. Quod non ita diximus, quasi omnes leges illas ne una quidem excepta necessarias et sapientissime propositas atque omnia vel in singulis earum formulis vel in exsequendi eas rationibus laude digna esse contenderemus. Id inter mortales etiam a summis ingeniis et probissimis consiliis exspectari non poterat, praesertim post ingens bellum, in imperio vix condito novisque legibus et institutionibus muniendo, diversissimis negotiis ac periculis irruentibus undique et gubernantium animos distrahentibus. Post gravissimi proelii certamina fortiter in universum et gloriose armis decertata ii, qui domi tranquillo animo omnes exercituum motus in chartis descriptos examinant, facile nonnulla, quae jure fortasse reprehendant, invenient, neque propterea se ipsos, si eodem periculo circumventi pugnassent, rem melius, arbitror, gesturos fuisse gloriabuntur. Eodem animo de iis judicare nunc decet, quae irruente bello ecclesiastico a praestantissimis Germaniae et Borussiae rectoribus, prout dies postulare videbatur, facta sunt. Infallibilitatis gloriam civitas sibi non vindicat. In legibus Majis, si summa earum a Romanocatholicis accipiatur, corrigi et mitigari singula posse saepius concessum est. Nonnulla mitigata jam sunt. Itaque quoniam judicari de iis necesse est, post tot alios etiam nos sententiam accurate et diligenter proferemus.

Et primum quidem ad eorum sententiam accedere non dubitamus, qui legum vim majorem futuram fuisse existimant, si Borussia in exprimendis quibusdam earum formulis parem atque Austria cautionem et circumspectionem adhibuisset; sic enim hanc, quamquam duriora ex parte quod ad rem attinet imperaverit, tamen graviores tempestates

hucusque evitasse dicunt; quod ut aliquatenus astuto curiae consilio tribuatur, quae ad tempus cum sola Germania luctari sat habuerit: verumtamen aliquid etiam subtiliori gubernatorum Austriacorum prospicientiae dandum esse. Huc id maxime referimus, quod etiam illi jus munere demovendi clericos rebelles fortissime civitati reservant, sed ita, ut ne specie quidem veteres leges hierarchiae catholicae infringantur.[1] Ut enim in civitate, cujus patrocinio ecclesia fruitur, quilibet episcopus munere suo rite fungatur, opus est civitatis approbatione, sine qua jam initio dioecesi suae praefici non potuit. Cujus approbationis, si episcopus munere contra leges civiles abutitur, revocandae jus civitas sine dubio habet eoque nixa ab ecclesia postulare potest, ut et ipsa episcopum rite summoveat ejusque loco alium eligat; quod quamdiu factum non erit, civitas eum ut rite fungentem non agnoscet. Has rationes Austria, quum post Vaticana decreta novae quaedam leges necessariae viderentur, in exprimenda earum forma servavit. Easdem rationes etiam Borussia jam inde a Magni Electoris temporibus[2] secuta erat. Mirum quod earum pondus omnes Ministerii Borussici consultores fugisse nuper videtur. Etenim nova lege postulatum est, ut, si tribunal illud civile, ad dirimendas causas ecclesiasticopoliticas constitutum, episcopum loco summovisset, canonicorum collegium, quasi tribunalis illius decreta jam per se vim ecclesiasticam haberent, statim novum episcopum eligeret. Non videbant legislatores, id etiam eorum Catholicorum conscientiam offensurum esse, qui a Jesuitico et Vaticano ingenio longe remoti essent. Hoc solum in legibus Majis ejusmodi erat, ut civitas propter usurpatum quoddam jus mere ecclesiasticum jure vituperari posset. Sed ne unum quidem illud admittendum erat.

Dum vero hoc modo reipublicae propugnatores sine ullo fructu nec sine damno internis quibusdam ecclesiae rebus se immiscent, iidem rursus saepius in disceptationibus suis, ubi apertius atque altius internas quasdam ecclesiae quaestiones tractare ipsi reipublicae salutare atque fructuosum fuisset, fugere eas atque evitare anxii studebant, quamquam ne tum quidem semper constare sibi poterant. Quod unde factum sit, prudentiorem neminem latebit. Quum enim comitia et imperii Germanici et regni Borussici synodorum similia fieri dicerentur, idque haud immerito propter agitatas illic tot tantasque religionis quaestiones, non mirum, quod ab his magnus imperii Cancellarius eo

1) Karl Hase l. c. p. 41.

2) Cf. Publicationen aus den K. Preussischen Staatsarchiven I. p. 303 nr. 200.

vehementius abhorrebat. Pro sua persona fidem christianam et evangelicam confitebatur; ut publicarum rerum rector recentiorum doctrinam secutus est, qui quantum fieri possit civitatem ab omni singulari religionis confessione abstinere jubent. Aliter agere in praesentiis maxime inconsultum videbatur, praesertim in Borussia, ubi Romanocatholici moleste laturi erant, si de suis sententiis ac dogmatis evangelici Regis Minister evangelicus publice judicaret. Itaque Cancellarius in comitiis illis affirmavit, moveri nunc potentiae, non religionis quaestionem; nequaquam agi de Romanocatholicorum dogmate, quod ipse ne minime quidem curaret, sed prorsus aliis relinqueret. Verum talia verba, quae a Centricis, inprimis a Meppensi, utiliter acceptata et callide saepius repetita sunt, nos non satis caute atque accurate dicta esse censemus. Etenim agitur quidem de externa potentia, quam curia cum Bonifacio VIII. in omnes civitates sibi arrogat, civitates ei concedere recusant. Sed hanc potestatem illa spiritualibus armis affectat, dogmatis eam confirmans et proclamata dogmata suorum animis imponens. Quare suo jure Palaeocatholicorum sagacissimi quidam mirabantur, Principem Cancellarium sibi non constare, quum ipsos Jesuitas expelleret, Jesuitarum vero dogmata fundamentalia universae ecclesiae catholicae imponi sineret, immo ipse ad addendam iis publicam auctoritatem paratus esse videretur, dummodo episcopi et centri factio in quibusdam rebus externis civitati se subjicerent. Atqui ad repellendum novum illum impetum curiae prorsus Jesuiticae redditae civitas praeter externam potentiam, qua legitime utitur, spiritualium armorum auxilio et ipsa eget; idcirco leges illae de scholis et sacerdotum educatione datae sunt. Etiam quum lex de tribunali ecclesiastico rogaretur, Falkius ad severitatis necessitatem, quam civitati syllabus papalis imposuisset, provocavit; at syllabus multis annis ante pervulgatus erat, re vera agebatur de decretis Vaticanis, quae subito ingentem vim atque auctoritatem syllabo addiderant. His omnibus apparet, civitatum rectores novissimum dogma, quamquam negligere illud jucundius ac commodius videatur, non curare non posse. Quomodo juste ac recte ei occurrerent, difficillima sane quaestio erat.

Dixerit quispiam, etiam post finitum Vaticanum concilium fieri potuisse, ut tantae turbae clarissime a multis praedictae averterentur. Bavariae rectores, Placito Regio usi, novum dogma proclamari vetuerunt, rebelles episcopos, quum spreta lege illud proclamassent, compescere non valuerunt. Plus fortasse valuissent, si populi Germanici auxilium non ad obtinendam legem illam contra abusum

suggestus sacri petiissent (quam parum iis profuisse constat), sed potius ad omnem auctoritatem civilem in cunctis terris Germanicis novo dogmati fortiter et constanter derogandam. Quod non ita arduum erat, quamquam Borussia paucis ante lustris praepostera generositate Placitum Regium renuntiaverat. Quippe nihil obstabat, quin publicae salutis causa Vaticana decreta rejiccret, quae intimam Romanae ecclesiae condicionem tantopere novaverat, ut Austria propterea concordatum servari non posse declararet. Fridericus Magnus totius societatis Jesuiticae tutelam petente Riccio Generali suscipere noluit, in Silesia Jesuitas, scholis potissimum habendis incumbentes, tutandos sibi existimabat, quoniam sollemniter, ut ipse dicebat, promiserat, se statum religionis in ea provincia immutatum relicturum esse. Nostro aevo Borussia pronuntiare poterat, se tot insignia bona catholicae ecclesiae ea lege et dedisse et servaturam promisisse, ut curia intimam ejus condicionem immutatam relinqueret. Si eo animo cum Bavaria constitutum fecisset, ut decreta Vaticana non agnoscerent, sperare haud temerarium erat fore, ut ceterae civitates Germaniae, quin etiam imperium Germanicum, ad idem consilium accederent. Sane simile aliquid singulatim et Bavaria et Borussia et magnus ducatus Badensis publice constituerunt, sed parum fortiter, sed dumtaxat Palaeocatholicos tutandi causa, eos nimirum, quos sine summo dedecore deserere non poterant; ceterum civitates novum dogma, sibi infestissimum et exardescentis seditionis causam, per dolum ac vim spargi sinebant, quasi et ipsae vetus illud proverbium monasticum sequerentur: ‚sinere mundum ire quomodo vadit.‘ Vix credibile videbitur posteris, in Rhenania Borussica anno millesimo octingentesimo uno et septuagesimo fieri potuisse, ut moribundo Palaeocatholico, egregio historiarum scriptori, Friderico Guilelmo Kampschulte, a parocho ipso novum dogma non credente metu episcopi sacramenta denegarentur; ut sanctissima femina, Amalia de Lasaulx, aegrota e nosocomio suo ab ordinis superiore, fanatica femina peregrina, quae e Francogallia advolaverat, crudelissime expelleretur. Resistendum erat principiis, declarandum, opinionem de infallibilitate papali ut antea nil nisi opinionem privatam esse, neque licere ad eam accipiendam quemquam adigi vel aspernantem excommunicari; postulandum erat ab ipso papa, ut, quemadmodum de Tridentinis decretis taceri quondam in quibusdam terris permissum fuerat, ita nunc taceri de Vaticanis decretis in Germania concederetur, id quod primis post concilium temporibus cum Hefelio multi alii desiderabant. Hoc si Pius pro usitata pertinacia detrectasset, civitas ex suo jure et aeternae veritatis ac justitiae legibus imponere suo clero

Romano poterat. Longe praeferendum erat, si propter spreta pertinaciter talia jussa et postulata episcopi in custodiam inclusi essent, quam quod propter iterata minuta delicta civilia, contra leges Majas commissa, quum ingentes mulctas legitime irrogatas solvere non possent, eadem poena afficiebantur. Quod qua necessitate et quo jure fieret, imperita multitudo non facile intellegebat neque curiae et cleri pertinaciam, qua populum pastoribus orbari quam Caesari quod Caesaris erat dari voluerant, ullo modo perspiciebat. Eo libentius iis credebat, qui, quum revera pro imperio mundi papali novissimis decretis constituto pugnarent, propter defensa tantum prisca sacerdotii et episcopatus jura persecutionem se pati testabantur, pauca illa praetexentes, quae in legibus Majis minus caute constituta esse diximus, eandemque ceterarum omnium indolem esse falso jactitantes. Itaque vulgo persuasum passim est, et se ipsum et sacerdotes suos externarum et minutissimarum quarundam rerum nomine mira severitate et iniquitate a magistratibus tractari. Simul principales illae, de quibus agebatur, quaestiones quodammodo obscuratae et ex oculis remotae sunt. Quae si audacter in medio positae essent, tot nefanda flagitia iis similia, quae in Amaliam de Lasaulx commissa erant, loquebantur quasi ad conscientiam, novi dogmatis stultitia ac perversitas iterum iterumque agitata clarius permultis innotescebat, proterva syllabi commenta, dogmate confirmata, a reipublicae magistratibus jure repudiari, facilius apparebat.

Sic ea quoque evitari potuissent, quae, ut inique adversus evangelicam ecclesiam acta, justo acrius interdum sed non sine causa accusata sunt. Nempe quod in inspiciendarum scholarum negotio supra notavimus, idem postea in aliis legibus saepius factum videmus. Concessum est, ecclesiam evangelicam novandarum legum materiam nullam dedisse; nihilominus leges et ipsi molestas atque ex parte noxias subire coacta est. Paritatis confessionum ratio, quae dicitur, ita explicari videbatur, ut si altera ecclesia justas querimoniae ac suspicionis causam dedisset, altera simul eodem mutatae condicionis dedecore afficeretur. Quod omnis religionis hostibus incredibiliter placuit. Falkius quidem, ecclesiae evangelicae deditissimus, si quid juris ei propter civiles rationes ablatum erat, hoc suppleri censebat libera ejus constitutione synodali, quam diu desideratam ac praeparatam denique quoad tempora patiebantur ad finem perduxit, insigni propterea laude dignus, quam futura aetas largiorem, ut puto, quam aequales diversissimis sententiis disjuncti ei adjudicabit. Sed ita ille damnis inflictis mederi repente nequivit; quae si vel ipse vel ii, quos consuluit, satis perspexissent, quasdam fortasse res cautius tractassent. Excusa-

tioni tamen Borussiae gubernatoribus erat, quod urgentibus rebus cunctari non licuit, sed agi aliquid oportuit neque quemquam habebant, qui universae ecclesiae evangelicae nomine et auctoritate aliam viam sibi monstraret. Tam perplexarum rerum futuros omnes, qui darentur, varios exitus discernere vix aliquis poterat. In comitiis Borussicis Protestantium nonnulli, partim nimio vetera omnia conservandi studio ducti, partim Guelfi, partim Pseudolutherani, Centri sodalibus favebant; omnes fere alii, quicunque ad illos impugnandos Ministris regiis aderant, cum his ipsis arbitrabantur, leges in illum finem necessarias, ut ad confirmandas eas comprobantium suffragia sufficerent, utrique ecclesiae imponendas esse, solo formali, quod dicunt, jure omnia esse tractanda, omnem vero dogmatis mentionem quam longissime ut a legibus ita a disceptationibus removendam. Quod quam parum successerit satis constat. Curiae sectatores juri formali dogma omnipotentiae papalis ut infallibile opposuerunt, datis legibus ipsum dogma catholicum non aperte quidem sed subdole deleri, iterum iterumque querebantur. Protestantium multi, etiam qui novam curiae Romanae culpam perspiciebant, quum de praesenti impugnandi eam ratione, qua civitas utebatur, justo iniquius judicarent, quasi a longinquo morose certamen spectabant. Quod ipsi pugnanti civitati plus, quam plerumque creditur, detrimenti intulit. Nam in certamine ad religionem pertinente egebat fidei evangelicae auxilio. Id inter Italos commonefacit nostros Raphael Mariano, vir Germanicarum rerum ut pauci gnarus, in utroque populo proprias virtutes, quibus prodesse sibi invicem possint, agnoscens. Qui civitati nostrae probro vertit, quod ad certandum cum Papatu coacta originis suae oblita sit neque satis fiduciae in Protestantismo posuerit, sed male adhibito paritatis religionum principio seducta, ad pugnandum de mere externis rebus delapsa, ‚altius jus historicum et ideale‘ sibi ipsi derogaverit; quo si usa esset, futurum fuisse, ut vim salutarem in mundum catholicum, praecipue in Italiam exerceret. Haec Italus ille. Cujus verba considerans recordor Guilelmi Imperatoris litteras ad Papae epistolam rescriptas, evangelico spiritu non minus forti quam tranquillo et placido plenas, a longinquis quoque gentibus magna cum reverentia et assensu receptas. Si eodem animo evangelico universum bellum pro cultura, quod vocatur, geri potuisset, plus fortasse virium iis addebatur, qui post Vaticanum concilium ecclesiae reformationem Erasmianae similem

1) Mariano l. c. p. 433. ‚Questo stato a obliato, ch' esso è pura emanazione del pensiero protestante.‘ In ejusdem operis versione Germanica p. 301.

desiderabant. Qui vero nunc (ut ita dicam) ab Erasmi quique a Lutheri parte stant, quamquam plane conjungi nondum possunt, tamen eorum tam hostile discidium, quam ante haec tria secula erupit, hodie timendum non esse puto.

Dixi, quae in magno illo certamine hucusque flagrante a Borussiae parte non satis providenter et circumspecte acta mihi quoque videantur. Redeo ad id, quod antea professus sum, ejusmodi peccatis, propter magnas rerum difficultates excusandis, non tolli illius partis jus primarium. Pugnat illa pro civitatis ‚potestate a Deo ordinata,' quae ‚non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit,'[1] etiam Summo Pontifici ejusque vicariis ac servis. Pugnat eadem et pro evangelio et pro vera cultura ingenii contra apostolos quos Theinerus dixit mendacii, quocum neque evangelium neque vera cultura constare potest. Pugnat denique adversus eam potestatem, quae in miscendo Christum et Belial plus hodie, quam unquam fortasse antea, praestitisse vidimus.

Quae apud Romae asseclas christianae religionis reliquiae etiam in praesenti pugna passim emicant, eas nequaquam ignoramus. Sunt in plebe homines simplici ac proba pietate, qui, nihil mali de sancta ecclesia suspicati, bona fide sacerdotibus uti Deo ipsi obsequantur, ad praestandum quidquid valent parati. Sunt sacerdotes, qui, simili simplicitate animi episcopis obedientes, civitatis jussa quaedam sine fanatismo negligant. Hi poenas et paupertatem (quum non obedientibus salarium lege civili dectractum sit) patienter ac tacite ferunt, tranquilli et diligentes officia sua perficiunt, acriores affectus, ubi obrepunt eis, reprimunt. Novo dogmati se subjecerunt, alii similiter atque Hefelius non sine magno animi cruciatu, alii praesertim juniores facilius. Ceterum in curam gregis sui incumbentes aliena quam minime curant. Plerique inter diurna negotia eorum, quae in Romana tyrannide jure vituperantur, pessima vel non viderunt vel facile obliviscuntur. Quamquam prudentiores in iis, quae Palaeocatholici mitiora et cautiora scripserunt, veri aliquid inesse agnoscunt. Sunt inter eos (id quod coram audivi), qui plane probent Reuschii libellum contra episcopos in foedissimis superstitionibus conniventes compositum. Neque dubito, quin permulti animo id quoque non laudent, quod episcopi cunctas leges Majas rejecerunt neque officii christiani esse intellexerunt, pauca ea, quae salva conscientia impleri non poterant, significare, ceteris ea,

1) Rom. 13, 1 ss.

quam Paulus apostolus praecepit, observantia se subjicere. Revera haud pauci aperte id proloqui ausi sunt. Unus eorum, Martens nomine, in dioecesi Culmensi seminarii rector, abdicare se munere maluit quam cum episcopo suo civitati in talibus rebus resistere, quae alibi illi salva conscientia a catholicis concederentur. Hos omnes fanatici episcoporum satellites turpi cognomine ut catholicos civitati obnoxios increpitabant.[1] Verum etiam alii, ab ejusmodi furore alieni, circa illas quoque res episcopis, solis propterea coram Deo responsuris, obsequium se debere putabant. Nonnulli excusabant praesulum suorum contumaciam, ad Pseudolutheranorum quorundam sententiam provocantes, qui illos falsae civitatum omnipotentiae animose resistere praedicarent; unitatem ecclesiae obsequio, quod ipsi illis praestarent, eo fortius tuendam esse, quo magis apud protestantes libertatem ex plurimorum sententia in eo positam esse appareat, ut de suggestu sacro ipsius evangelii et ecclesiae evangelicae doctrinam perstringere impune cuique liceat et in scholis ingenii cultura ad quandam paganitatem paulatim redire possit. Hae sincerae multorum sacerdotum opiniones sunt, neque negamus aliquam veritatis speciem iis haud raro praeberi ab ipsis quibusdam praeposteris protestantismi, civitatis, culturae declamatoribus. Inprimis quod ad culturam pertinet, supra quidem diximus et infra accuratius suo loco demonstrabimus, ingenium illud, quod Vaticano concilio ecclesiam Romanam prorsus sibi subjecit, necessario ad barbariem quandam paulatim vergere. Sed est felix quaedam inconstantia, qua fit, ut in universis coetibus pariter atque in singulis hominibus juxta principium corrumpens restet aliquid incorruptae sanitatis. Itaque in multis eorum, qui, licet variis sinceritatis gradibus, Vaticanorum decretorum jugum acceperunt, interdum plus verae culturae inesse potest, quam passim in talibus, qui culturae nomine Vaticanam tyrannidem vehementissime oppugnant, sed ipsi alius generis praejudicatis opinionibus subacti sunt. Sana quidem omnis historiarum scientia Vaticanis decretis excluditur; quicunque ejus ante magnum intellectus sacrificium compotes facti erant, post illud miserrime vim afferre historiarum veritati cum Hefelio coacti sunt. Sed variis doctrinis physicis inter alios praeclarissimus Pater Angelus Secchi Jesuita ita excelluit, ut adjuncta haud contemnenda philosophiae scientia multos Germaniae physicos superaret. Iisdem studiis, item linguisticis, quae nunc dicuntur, Jesuitae Bonnenses se dabant. Ego in Lacensi quondam eorum conventu juvenem quendam mihi notum, quem visi-

1) „Staatskatholiken“ eos nominab[illegible].

tabam, occupatum inveni in Aristotele Graece legendo, ad quem bene intellegendum non tantum Thomae Aquinatis, sed etiam Trendelenburgii, Brandesii, Zelleri egregii libri praesto erant. Addo quod de corruptis moribus, quorum haud temere saepius Jesuitas accusatos esse memoravi, illic nihil compertum est. Etiam ab immanibus illis Schneemanni vocibus Lacensibus multi illic juvenes fortasse admodum alieni erant.

Sed haec omnia, quo laudabiliora sunt quoque magis animum vere christianum spirant, eo clarius patet eos, in quibus talia cum aliqua vera praesentium rerum notitia conjuncta sunt, si nihilominus sociorum suorum in gerendo adversus civitatem bello perversitatem horribilem ac vere antichristianam tacite ferunt, turpissima inconstantia et intima animi discordia laborare. Etenim isti homines, ut inauditum jugum illud vere ferreum quam plurimis Christianis imponerent, ad scelestum bellum gerendum non minus scelestis praesidiis utebantur. Ad inflammandos exercitus sui animos et ad caecum ac mutum ejus obsequium idolo Vaticano conciliandum pro astutia sua cum omnes superstitiones adhibebant, quas ab episcopis toleratas, immo sustentatas memoravimus, tum ementita illa miracula, jam passim in Germania ut antea in Francogallia emicantia, magicis regni Pontificii infallibilis viribus fidem facientia. Quae miracula apud Marpingenses quibusnam artificiis fabricata essent, Borussici judices inflexibili probitate insignes ostenderunt et stupentibus multis piis Catholicis magnam illam mendacii scholam in Romana ecclesia constitutam detexerunt, qua infantes et senes, viri ac mulieres corrumpebantur. Neque tamen vel postea episcopi pro ingenti, qua fruebantur, potestate ejusmodi figmentis fortiter occurrendum putabant. Tum praestantissimi viri, qui antea acerrimi sedis Romanae defensores fuerant, ad eam sententiam accedere coeperunt, quam nuperrime eximius philosophus apud Badenses prolatam, quum propterea ab episcopatu Friburgensi accusatus esset, ad tribunal victricibus argumentis confirmavit, videlicet Romanam ecclesiam jam nisi mendacio inter nostrates stare amplius non posse. Inserviit vero mendacium infernali odio, quo fanatici ac perversi homines in veritatis testes impetum faciebant. Quare quum viri optime de ecclesia meriti etiam moribundi vexarentur et sugillarentur, Amalia de Lasaulx paucis ante decessum mensibus exclamavit: Num persecutorum temporibus vivimus? Praesens talium rerum spectator poëta Westphalicus, quem diximus, episcopum illum depingit, cui ipsa ecclesia propter contemptum conscientiae vere paganum Diocletiani instar persecutrix facta esse videtur. In Borussia orientali insignis ille philosophus,

Fridericus Michelis, aliique scholarum praeceptores ita excommunicati sunt, ut Romanocatholici cum iis vel colloqui vetarentur. Postea impudentissimi persecutores civitatem, quum justo lentius ac lenius, ut vidimus, talia perpetrare eos prohiberet, ipsam Diocletiano persecutori similem esse garriebant. Furiosissimi Borussiae ac Germaniae osores, rusticis dicteriis locupletissimi, florentes in Bavaria tribuni isti plebis fuerunt, ipsorum magistratibus terribiles, Papae acceptissimi, ad addendum omnibus extraneis patriae adversariis animum aptissimi. Hi socios suos in comitiis Berolinensibus militantes velut homines molles ac dubios contemnebant; plus semel universam illorum factionem, quasi Borussicis praestigiis corruptos et emptos, incredibilibus fere contumeliis obruerunt. Qui Centrici sive Centrones, si cum rusticis illis magni exercitus quasi calonibus et balatronibus conferuntur, verbis perquam civilibus uti solent; infallibilitatem tam caute interdum circumscripserunt, ut a Palaeocatholicis haud ita multum differre viderentur; erant qui aliquid amoris patriae Germanicae retinerent; etiam sociis quibusdam sincere Borussis parcere studebant. Tam callide agentes ipsi magni illius in Germania exercitus Papalis robur et universae materiae (ut ea similitudine uti liceat) quasi centrum erant; solos calones istos pugnam non diu sustentaturos fuisse sciebant, tolerabant eos ut sibi quidem interdum molestos sed suo negotio egregie inservientes.

Ceterum ad accendendam multorum ex plebe rabiem fanaticam haud minus ipsi Centrici quam isti eorum socii conferebant; quin etiam plus valebant, quum praeter ecclesiae studium auctoritatis, doctrinae, circumspicientiae politicae gloriam prae se ferrent. Qui si propter expulsos Jesuitas letale bellum imperio Germanico indixerant, si leges Majas ad delendam ecclesiam excogitatas esse, comitiorum impudenti securitate utentes mentiti erant, horum nomina horumque verba instigatorii, quos vocabant, capellani in societatibus illis Romanocatholicis in ore habebant; quorum rabie imbutus Kullmann sicarius, post veteres quosdam percussores satis notos eodem fanatismi Jesuitici veneno infectus, impetum in Principem Cancellarium Kissingiae versantem fecit. Cui comprehensus statim confessus est, se propter solas leges Majas et propter injurias Centri factioni, ‚quae et sua esset,‘ allatas eum interficere voluisse: poenitentiae expers multos alios ad idem tentandum paratos esse praedicavit. Haud frustra coetibus illis eum adfuisse constabat, sicut in societate quadam Soltwedelensi parochum loquentem audierat, praesentes Christianorum persecutiones inauditas esse neque ulli rei comparabiles; praesens certamen pugnam esse adversus infernum et diabolum; jam impetum etiam huic societati in adversarios

faciendum esse.'[1] Instigatores illos ipsos ad sicas impellere alios voluisse nemo contendit, sed ingenium, quo idem genus sicariorum contra Guilelmum Arausionensem, Henricum IV. Francogalliae regem, alios generatum quondam est, illi iterum excitaverunt et nutriverunt. Quod ingenium nunquam tantum inter nostrates valuisset sine Centri sodalium auxilio. Quare quum unus eorum, Joerg nomine, in comitiis Germanicis nulla data causa scelus Kissingiense memorans, iram de eo motam cavillatus esset, quasi magna pars nationis, vi cogitandi gloriantis, propter vesani fere cujusdam hominis facinus ad delirium prope accessisset, ipse Princeps Cancellarius ei respondens, re qualis fuerat exposita, Centricos his verbis prostravit: ,Utcunque virum istum repudiatis, tamen vestium vestrarum laciniis adhaerebit!'[2] Addimus eodem, quod isti fovebant, ingenio factum esse, ut acerrimi quique Romanocatholici fanaticis illis, qui rubrum vexillum prae se ferebant, sociis adversus imperii magistratus uti fas haberent. Cujus rei turpissimae indelebile monumentum verba illa sunt, quae Centri sodalis quidam, canonicus Moguntinus, Moufang nomine, idem protervus Clementis XIV. obtrectator, ephemeride vulgavit, ut sibi comitiorum Germanicorum candidato socialistarum suffragia conciliaret.[3]

Inter has turbas tristissimum iterum iterumque spectaculum episcopi Germanici praebebant. Quorum etiam meliores, diro jurejurando, quod Papae praestiterant, obstricti, magis magisque in bellum se conjicientes, civitatem coëgerunt, ut severioribus in dies rationibus eos propulsaret. Tunc jam bello gaudere coeperunt, quasi timentes, ne pace facta et animis tranquillioribus redditis ipsorum turpitudo populo manifesta fieret. Etiam pessimos, quales significavimus, pugnandi modos nunquam sicuti debebant publice castigabant. Catholicorum civitati fidelium consilia ad pacem spectantia non minus atrociter quam religiosam Palaeocatholicorum admonitionem respuebant. Curiae jussa etiam sibi turpissima vel muto obsequio vel verbis servorum mente dignis faciebant. Namque si quis episcopus vel leviter ad lenitatem inclinaverat, licet alias curiae gratissimus, continuo ab ea severe objurgatus est. Cujus rei exemplum memorabile Martinus Paderbor-

1) Wilh. Müller, politische Geschichte der Gegenwart VIII. p. 241.

2) Ibidem p. 258. d. 4. m. Dec. 1874: Verstossen Sie den Mann wie Sie wollen: er hängt sich doch an Ihre Rockschösse.

3) D. 4. m. Aug. a. 1878. Cf. Wilh. Müller l. c. XIII. p. 46. Preuss. Jahrbücher 1880 II. p. 434. Quae canonicus ille de Clemente XIV. admodum contemptim locutus est, leguntur in: Verhandlungen des deutschen Reichstags (stenogr. Berichte) 1872 I. p. 372.

nensis erat. Qui vir pusillo ingenio et animo, modica doctrina, scribendi non imperitus, moribus integer sed veritatis non admodum studiosus, infallibilitatem papalem jam ante concilium mutata priore sententia admiserat. Quare inter eos fulgebat, quibus novum dogma in suam formam redigendum commissum est. Cujus dignitatis sibi conscium Hefele Rottenburgensis descripsit eum per Concilii aulam ingredientem, ‚quasi omnes in sacco teneret.‘ Cardinalis de Luca vero exclamavit: Utinam omnes episcopi Germanici Paderbornensis similes essent. Nihilominus zelotarum acerrimis, immo ipsi Papae, justo mitior interdum visus est, quare, quum neutri parti se grata perficere animadvertèret, ‚Utinam Garibaldiani,‘ inquit, ‚venirent et concilium dispergerent.‘ Nihilominus concilii exitum non potuit non cum Papa probare; decretorum ardentissimum defensorem se praestitit; hic primus, quantum scio, civitatem Pontificiae conjurationi resistentem cum Diocletiano ecclesiam persequente comparavit. Sed supererat in eo aliquid amoris, quo patriam Borussicam a tenero complexus erat. Itaque in libello quodam scripsit, magistratus Romanocatholicos in Borussia non condemnandos esse, si pro muneris sui officiis leges Majas exsequerentur. Qui libellus statim ab Indicis Congregatione ‚donec corrigeretur‘ prohibitus est. Quapropter scriptor emendatam ejus editionem quam celerrime curavit, adjecta causa, quod rectius interim didicisset, quid de ea re sacra sedes sentiret; cujus auctoritati nunquam se contradicturum esse.

Praesentis belli Papalis origines descripsimus, quod, dum finem ejus apud nos multi frustra exspectant, apud exteros quoque simul passim erupit et increvit. Quasnam ob causas in Germania primum vehementius illud exarserit supra explicavimus. Interea Pius nonus veteris tyranni Romani partes sub specie christiana inscius agebat, ad eam rem figura, gestu, externis moribus valde idoneus et a curialibus ac Jesuitis, postquam ad exsequenda sua consilia illo potiti sunt, egregie instructus. His ad bellum quoque adversus Germaniam gerendum magistris et quasi tragicae fabulae doctoribus semper usus est. Quam prorsus eorum minister fuerit, jam mira illa ignorantia docet, qua paucis ante fatale concilii decretum diebus gravissimas res, quae agitabantur, eum neque scivisse neque perspexisse, Scherrium testem sequentes supra narravimus. Libertatem, cujus umbram initio regni sui captavit, nunquam vere intellexit. Quum in concilio Vaticano praestantissimi viri resistere ei et de imminentibus periculis eum praemonere auderent, illorum sententiam quasi peregrina lingua prolatam nunquam assecutus est. Accuratam neque praeteritorum neque prae-

sentium temporum cognitionem habebat. Quam parum judicii de rebus divinis et humanis in ipso fuerit, satis semper patebit ejus litteras legentibus, ad quas Guilelmus imperator praeclare respondit. Quippe tam stulte et insipide scriptae illae erant, ut Manning Cardinalis spurias eas esse contenderet, apud nos saltem in Germanicum sermonem male versas eas esse multi suspicarentur. Eandem doctrinae ac judicii inopiam frequentibus sermonibus ridicule ineptis manifestavit, praesertim iis, quibus evangelicum imperatorem cum veteribus barbarorum tyrannis comparavit. Nesciebat, illum summorum ingeniorum auxilium gratissimo animo ac sine ulla invidia accipere, sed ita ut accurate religioseque quaevis consilia examinaret et ad communem omnium salutem referret; se ipsum vero, sui honoris quam omnium salutis studiosiorem, callidissimorum hominum nequaquam excelso ingenio praestantium instrumentum esse ad erigendam tyrannidem, qua illi revera dominabantur, quae vero et ipsi tam mire placebat, ut mundum perire quam suorum jussorum quidquam reformari mallet. Sic multos coetus cultu divino orbavit, quia Borussicis magistratibus idem quod aliis concedi noluit, ut nimirum episcopi designatos sacerdotes illis indicarent. Tales res, id quod Benedictus XIV. de Jesuitarum facinoribus quibusdam dixerat, ‚non sine ingenti animarum ruina et populorum admiratione facta sunt.' Apparuit quam vere quondam Hefelius nondum sub jugum missus praedixisset, hunc papam universam ecclesiam vastaturum esse. Ceterum eadem intimi animi sententia haud raro apud eos quoque vigebat, qui ‚pacis et ecclesiasticae unitatis causa' novo dogmati se subjecerant. Horum unus, sacerdos senex, quum post multos alios et ipse piissimam feminam letaliter aegrotantem, Amaliam de Lasaulx ad eandem pacem faciendam convertere studeret, interrogavit eam, num magnae et pulcherrimae navi insidens, si illam flammae corripuissent, deserens eam cum misera tabula in mare se conjectura esset. Tum illa subridens, si pereundum sit, se aqua quam igni mori malle ait.[1] Non fugiebat eam in singulari, quam homo ceterum non improbus assumpserat, similitudine invita veri confessio. Flagrabat nimirum Petri navigium vel, si biblica similitudine uti mavis, urbs Sionitica. Magni belli incendium, impulsante curia ab ipso Pontifice excitatum, in dies augebatur; quicunque inter Germanos, aeque atque Catholici civitati fideles et ipse episcopus Paderbornensis, paci vel paululum consulturi erant, statim increpitabantur et confutabantur. Haec omnia quum consideramus, in mentem venit

1) Erinnerungen an Amalia von Lasaulx p. 353 s.

ingentis incendii, quo excitato Caesar ille condendae urbis novae et suo cognomine appellandae gloriam quaesivisse dicebatur. Qui culpam in Christianos transferre frustra tentavit, quoniam memoria tenebantur omnia, quaecunque flagrante urbe vel ipse fecerat atque dixerat, vel alii ejus nomine perpetraverant; ex animo non exciderant crebrae multorum minae restinguere prohibentium, aliorum palam faces jacientium verba, quibus esse sibi auctorem vociferati erant. Itaque, ut Tacitus ait, ‚non ope humano aut Deum placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur.'[1] His omnibus similia quodammodo in ea clade conspeximus, qua ab urbe Roma profecta magna pars ecclesiae vastata est. Interea Pontifex, susceptam personam serio agebat; atrocissimi incendii spectator, tragoedi instar declamitans, quasi ipse tot ruinarum insons esset, alios criminabatur; solos Christianos evangelicos ignium auctores esse jactabat; integerrimum Germaniae imperatorem ut ecclesiae vastatorem primum cum Nebucadnezare, deinde cum Attila aequiparavit; dum ipse quantum potest nefanda probissimorum hominum persecutione conscientias flectere et corrumpere studet, non solum de persecutione sibi et ecclesiae illata querebatur, verum etiam ab adulatoribus cum Christo innocenter patiente se comparari sinebat; quum in splendidissimo palatio omnibus vitae amoenitatibus et plenissima exeundi redeundique libertate frueretur, tamen captivum se esse imperito vulgo persuadere, immo inculcare conabatur. Hunc igitur virum, licet invitum, ecclesiae vastatorem factum esse, integra historia infitiari nunquam poterit; quae meliora in eo fuerunt supra innuimus, libenter accepturi, quidquid ejusmodi addi jure ab aliis poterit; etiam id satis dilucide significavimus, in fatali loco positum eum non insita malitia sed vanitate quadam et imbecillitate tyranni Romani partes obtinuisse. Qui vero jam vivo Magni cognomen addere ausi sunt (quo honore ipse dignum se apud posteros fore putabat) quique traditam superstitionem secuti mortuum eum beatificatione, quam dicunt, vel canonizatione dignum esse susurrant, sive Romae aliquid impetraverint, sive repulsam tulerint, semper aut propter adulationem despicatissimi aut propter amentiam ridiculi manebunt.

Pio nono alius Pontifex successit longe dispar indole multarumque rerum experientia sibi ipsi imperare doctus. Quem, priusquam futuram summam ejus in ecclesia dignitatem quis divinaverit, Bonghi quondam, nimii erga sacerdotes favoris nunquam suspectus, ut egregium

2) Taciti Annales XV, 38—44.

inter Cardinales et fortissimum virum collaudavit. In provinciis territorii Pontificii insolita justitia animique robore gubernatis et administratis, in legatione apud Leopoldum Belgarum regem cum eximio ejus favore confecta, in episcopatu Perusino, quo per longum et turbulentissimum tempus religiose functus est, moribus, ingenio, industria etiam iis, qui sententiis longe ab eo distabant, egregie se probavit. Ad sedem Romanam provectus eo maxime nomine multis acceptus et exoptatus venit, quod sincere ac gnaviter et christianae religionis et politioris doctrinae studio incumbens, veram pietatem cum vera ingenii cultura conjungere videretur. Id apud varias gentes ut novi aliquid in Papa celebratum est. Sic Parisiis magna illa ephemeris liberalis, cui a disceptationibus politicis nomen est, Voltarianismum pariter et Clericalismum respuens, novum Papam summis laudibus cumulavit, quod antea episcopus pastoralibus quibusdam epistolis liberaliorum artium humaniorisque doctrinae, qualia praesens tempus postulat, studiosissimum se praebuisset. In illis epistolis non tantum Plato, Cicero, Terentius, Juvenalis, verum etiam Kepler, Montesquieu, Franclin, Foscolo, alii inducuntur. Dantem divinum poëtam, severum et corrupti Papatus judicem et mundanae dominationis Papalis osorem, Leo XIII. summa admiratione amplectitur theologisque commendat. Immo in epistolis ejus insunt, quae magis fortasse Protestantibus, quam multis sacerdotibus Romanis arrideant. His enim ut hucusque neglecta ea injungit, quae inter Christianos vere evangelicos semper pro rebus maxime necessariis habita sunt. Quippe acerrime aeternae urbis parochos admonet, ut habendis orationibus sacris diligenter ac religiose studeant et Jesum Christum fidelibus praedicent. Etiam scholis popularibus, Romae hucusque foedissime jacentibus, Protestantes aemulatus succurrere coepit.

Hic igitur Papa per aliquod tempus similiter atque antea Pius nonus initiis suis, laetam multis sui exspectationem commovit. Sperabant fore, ut inter discordantes populorum partes venerandus senex, terrestribus curis et rationibus vere se abdicans, altioris veritatis et justitiae praeconem se gereret. Optabant multi, ut eadem prudentia, qua jam tantum vitae pelagus tempestatibus agitatum transierat, inter ecclesiam et civitatem si non perfectam pacem, at modum quendam vivendi, quem dicunt, restitueret. Erga praeclaros quosdam Catholicos liberaliores plane aliam quam Pius IX. mentem exhibuit. Montalemberti memoriam honoravit. Felici Dupanloup se veteris consuetudinis memorem esse probavit. Ludovicum Veuillot severe corripuit. Etiam Doellingerum benevole et honorifice ad se revocare

studuit. Trepidabant passim Pontificii metu, ne quid contra Jesuitarum consilium et mortui Papae irrevocabilia decreta fieret. Sed mox his respirandi, illis desperandi causa iterum data est. Tanto enim animi et ingenii robore ne Leo quidem praeditus erat, ut, ubi gravioribus de rebus ageretur, nova subito post Pium via incederet, nedum antiquiorem ecclesiae morbum perspiceret atque attrectaret. Quamquam nonnullas liberaliorum illorum Catholicorum sententias laudaverat, tamen probissimo cuique sagacissimoque nunquam concessit, praesentes turbas ecclesiasticas magnam partem curiae Romanae culpa ortas esse. Mira historicarum rerum ignorantia eorum fabulis credidit, qui socialismum aliaque errorum monstra a seculi sexti decimi reformatione derivabant. Inveterata suae ecclesiae damna non perspexit. Ac si quid rectius unquam viderat, meliore Pontificis animo fortior etiam nunc Romanae Curiae traditio erat. Ab antecessore suo falli nescio declarato non omnia bene gesta esse clare intellexit; sed imprudentem et blasphemam arrogantiam, qua ille tot mala christianae reipublicae attulerat, nunquam satis considerasse videtur; vita defunctum reprehendere impium existimabat, tacere de eo indecorum, quippe pro curiae stilo saepius mentio illius facienda erat; itaque immodicas Pii laudes, ab adulatoribus decantatas, auxit Leo. Sentiebat quidem pro pace cum magistratibus civilibus restituenda aliquid sibi faciendum esse, idque quam celerrime, quoniam propter bellum pridem inceptum desertae jacebant haud paucae ecclesiae, invitis ipsis illis magistratibus, quos Pius pro iracundia sua falso saepius accusaverat, quasi diruere ecclesiam Romanocatholicam in mente haberent. Quo celerius, quid illis haud injuria iratis probe concedi posset, propter salutem animarum palam dicere honestum fuisset. Sed pro Curiae usu negotia inchoata cunctando trahere decentius et sublimius putabatur. Nuperrime demum epistola ad Germanicorum episcoporum ineruditissimum data Leo confessus est, quod antea Paderbornensis ut certissimus Pii interpres praefracte negaverat, posse aliquid eorum, quae novis legibus civilibus praescripta essent, salva conscientia fieri. Quod si prius concessum esset, multa fortasse ecclesiarum damna averti potuissent. Sed ne nunc quidem illud serio ac sincere, sed periculi astute faciendi causa declaratum est. Iterum apparuit, Curiam res ad religionem pertinentes non spirituali prudentia sed mundana tractare. Unde jam pridem saepissime factum est, ut etiam melioris indolis Pontifices, quum indignis administris in tempore resistere non valuissent, in publicis negotiis turpiter mendaces ac fallaces deprehenderentur. Etiam Leo, quae in hunc modum ministri ejus praesertim in rebus Belgicis commiserant,

non satis perspexisse videtur. Idcirco ne denuo, ut toties per secula, Germania decipiatur, ipsi ferreo Imperii Cancellario summopere cavendum est. Quamvis enim Curia quaedam concederet et quarundam rerum jacturam faceret, tamen pacem ita per tempus restitutam pro magno lucro aestimaret, si in ecclesia Romanocatholica Vaticanorum dogmatum auctoritas etiam a parte magistratuum civilium confirmaretur, jus eorum vero, qui illa rejiciunt, debilitaretur vel tolleretur. Quod quam perniciosum futurum sit, neminem fugiet, qui in rerum civilium et sacrarum concordia sanam populorum condicionem positam esse existimet. Etenim concordiam illam cum tali ecclesiae Romanae statu, qualis post Vaticana decreta ingenti omnium rerum mutatione evasit, nullo modo cogitari posse demonstravimus. Hunc vero statum etiam Leo mordicus tenendum sibi esse arbitratur. Quare vix unquam indutias per aliquod tempus duraturas paciscetur, multo minus pacem, quam desiderat, conficiet, sed et ipse nova bella per orbem seminabit. Id laetantibus omnibus curiae asseclis jam tunc fecit, quum miserrimum illud regnum terrestre frustra reposcere coepit, quod quantopere coelesti veri episcopi muneri repugnaret jam Dante divinus poëta cecinit, quod ut a principibus aboleretur Laurentius Valla, detecto Constantini donationis mendacio, postulavit, quod et ecclesiae et Italiae ruinam esse Franciscus Guicciardini ostendit.

Itaque tragica quadam, ut ita dicam, necessitate Leo XIII. et ipse in detritam Curiae Romanae viam deflexus est, qua incedentes tot ejus antecessores, spectante mundo, magnum interdum sed in dies fere tristius christianorum oculis spectaculum praebuerunt. Quam viam si viri eruditi Romanae ecclesiae sincere dediti, immo ipse Papa, critico ingenio et christiano animo contemplari constituerent, mox agnoscerent, talem reformationem, qualem post alios non tantum Erasmus ejusque amici, sed etiam multi principes frustra postulaverunt, nunc tandem efficiendam esse, ut sedes Romana stare aliquatenus coram christiano judicio posset. Sed lux in hac maxime re exosa illis semper erat. Quod ad hanc maxime rem pertinet, vocem et conscientiam generis humani abolendam et si fieri posset cum voce etiam memoriam delendam arbitrabantur. Quare non mirum, quod inter Italos prima, quantum scimus, Papatus historia critica a censoribus pontificiis suppressa est. Scripserat eam summus vir, Franciscus Guicciardini, et historiarum libro quarto inseruerat. Sed praeclarum hoc opus publicari non potuit nisi remota illa parte. Quam latine versam sequenti demum seculo unus ex Guiccardini posteris extra Italiam typis excudendam curavit, praefatus se tabulas quasi ex naufragio,

aut potius ex rogo nefandis furum manibus extortas, omnibus reddere.[1] Denique ante hos centum fere annos totum Guicciardini opus, quod et aliis permultis locis a censoribus mutilatum fuerat, integrum Florentiae Italica lingua editum est, sed ne tunc quidem sine ementito officinae quasi Germanicae nomine.[2] Idem historicae veritatis metus apud curiae sectatores hucusque manet. In scholis, praecipue sacerdotum seminariis, veteres de historia Papatus fabulae sedulo, quantum fieri potest, recoquuntur. Postea a sacerdotibus ita institutis vel crassiora mendacia miserae plebi venditantur. Nihilominus veritas historica, per tria secula latius et altius explorata, etiam inter gentes Romanenses in republica litteraria pedetentim progreditur. Quae eo certius victrix erit, quo religiosius hujus propugnatores eorum, quae in primatus ecclesiastici ratione et effectu vere christiana et laudabilia fuerunt, memores esse student, neque dum haec praetermittunt, justa sed nimia ira abrepti ea sola fere, quae mala et antichristiana admixta sunt, coacervant. Quod et de Guicciardino ex parte dixerim, duorum sane Pontificum admodum profanorum hominum administro, et de Palaeocatholicorum pluribus novissima immanitate ex ecclesia Romana expulsis. Quorum animum refert liber ille, cui titulus est Janus, immensae eruditionis opusculum, duraturum ipsius ardentissimi certaminis monumentum. Equidem, quum hic brevissima tantum illius historiae epitome, ut Erasmianae reformationis ratio et jus appareat, commentationibus meis inserenda sit, quantum potero operam daturus sum, ut et sine partium studio lucem ac tenebras discernendas praebeam, et explicatis ordinibus temporum uno in conspectu omnia, quasi ad vitam revocata, videnda exhibeam.

III.

Apostolorum aetate sanctissimum omnium vere credentium unitatis vinculum in eorundem fide potius ac vita quam in certis ecclesiae gubernandae rationibus ac regulis intuendum praebebatur. Episcoporum et presbyterorum nullum initio discrimen fuisse cum Novo Testamento Hieronymus testis est. Paulus ad omnes Christianos Colossenses scribit, ut Archippum implendi quod a Domino acceperit muneris com-

1) Cf. Heideggeri historia Papatus Amstel. 1682 p. 581—598.

2) Friburgo appresso Michele Kluch 1775. 4°. Legitur illic historia regni Papalis tom. I. p. 385—395.

monefaciant. Petrus seniores, se ipsum conseniorem praedicans, admonet, ut gregem Dei pascant ,non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis.' Eundem tanquam Domini vicarium universae ecclesiae dominatum unquam obtinuisse, in apostolorum historiis et epistolis ne levissima quidem significatione adnuitur. Quare jam tertio seculo Sanctus Cyprianus martyr Stephano I. episcopo Romano, ut superbiam ejus parum Christianam confunderet, Petri exemplum objecit, ,quem primum Dominus elegisset et super quem aedificasset ecclesiam suam; hunc, ait, ,quum Paulus de circumcisione postmodum cum eo disceptaret, non vindicasse sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsisse, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere.' Neque Hierosolyma, licet omnibus Christianis carissima, illiusmodi imperii ecclesiastici sedes unquam fuerunt. Sed libero consensu ad illius urbis ecclesiam ceterae omnes tanquam ad originem suam respiciebant et si non corporum at gratorum animorum praesentia quasi conveniebant. Ibi primum de gravissimis rebus ad omnes Christianos spectantibus apostolorum et seniorum una cum tota ecclesia concilium habitum est. Illuc Paulus, quamvis humana evangelii sui confirmatione non egeret, fraterno amore ductus se contulit, ut data dextra iis, qui ,ecclesiae columnae esse videbantur,' communis fidei unitatem palam sollemniterque declararet. Illius ceterarumque in Judaea ecclesiarum imitatores in sustinendis propter evangelium laboribus Thessalonicenses esse voluit. Illuc ut pro acceptis spiritualibus donis terrestria a gentilibus ad Deum conversis referrentur (non augendi quidem splendoris sed sublevandae necessitatis causa), impense agebat. Quae omnia ecclesiae unitatis interioris non certa forma, legibus constituta, verum libera quaedam repraesentatio erant.

Sin vero quis serio contenderet, sedi Hierosolymitanae tunc temporis talem auctoritatem datam fuisse, qualem postea Romanae, monendus esset, non Petrum sed Jacobum Justum, fratrem Domini, illam occupasse. Quippe Clemens Alexandrinus apud Eusebium memorat, post Servatoris assumptionem Petrum et Jacobum et Joannem, quamquam ipse Dominus ceteris eos praetulerat, tamen non affectasse summum honorem (sive, ut Rufinus Graeca verba [1] vertit, non sibi vindicasse primatum), sed Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum episcopum elegisse.' Apud eundem Eusebium antiquior Clemente Hegesippus testatur, a Christo Jacobum, fratrem ejus, ecclesiam suscepisse

1) *Μὴ ἐπιδικάσασθαι δόξης* Euseb. hist. eccles. II, 1.

cum apostolis administrandum.[1] Quare etiam Jacobi martyrio defuncti successor iterum ex Domini cognatis secundum carnem aliquis, Symeon Cleopae filius, constitutus est.[2] Quae omnia ostendere videntur, hos Hierosolymitanae ecclesiae ductores ab antiquissimis Christianis singulari pietate, ut quodam modo Christi vice fungentes, suspectos esse. Congruunt cum his aliquatenus, quae in Scriptura Sacra narrantur. Paulus inter eos, qui columnae esse videbantur et ipsi dextras dederunt, Jacobum primo loco ponit, secundo Cepham, tertio Joannem. Et in concilio illo apostolico primus Jacobus id judicat, quod ceteri accipiunt.[3] Neque tamen hic is fuit, qui in scriptis Pseudoclementinis, Judaizantis haereseos monumentis, vocatur, ‚ecclesiae dominus et episcopus episcoporum.' Tanto plus abest, ut Petrus sibi hos titulos affectaverit, licet magnus et ob confessionem praedicatus a Domino ac pro virtute sua, ut ait Eusebius, saepius ceterorum omnium apostolorum nomine locutus.[4]

Dirutis Hierosolymis et apostolis vita defunctis nulla deinceps urbs erat, quae similem in tota ecclesia locum occuparet. Accedebant tamen ad talem honorem atque auctoritatem in singulis provinciis apostolicae quae vocabantur sedes. Inter quas in universa occidentali orbis parte una eminebat Romana ecclesia. Haec igitur illic ecclesiasticae unitatis, sicuti cor animalis vitae, quasi centrum atque praecipuum domicilium libero primum consensu habebatur, deinde gubernandi artibus atque auxiliis constituebatur. Illud primus sub finem secundi seculi Irenaeus testatur, qui ‚ad hanc,' ait, ‚ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam h. e. eos qui sunt undique fideles.' Haud ita multo post Cyprianus jam conjunctim nominat ‚Petri cathedram atque ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta sit.' Jam enim episcopi ponebantur sacerdotum Veteris Testamenti loco, presbyteri levitarum. Quare quum ad monarchiae formam ubique gubernandarum ecclesiarum ratio vergeret, non mirum, quod principalis illius ecclesiae episcopi universae ecclesiae Pontifices Maximos se esse putare coeperant. Quae hac

---

1) *Διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου Ἰάκωβος.* Euseb. l. c. II, 23 (25). Cf. Ritschl, die altkatholische Kirche p. 416. Friedrich, der Primat in der Kirche p. 20.

2) Hegesippus apud Euseb. l. c. IV, 22.

3) Gal. 2, 9. Acta ap. 15, 19 (*ἐγὼ κρίνω*). Cf. Friedrich l. c. p. 31 ss.

4) Euseb. l. c. II, 14: *τὸν ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον Πέτρον.*

opinione imbuti agere conabantur, majorem quondam futurum fastum quasi praenuntiabant. Ejusmodi superbia ab Irenaeo, Tertulliano, Cypriano viriliter repressa est, postea temporum ingenio atque condicione magis magisque fovebatur, ita ut Romani Pontifices etiam in orientali Graecorum ecclesia arreptis occasionibus principalem quandam dignitatem, idque passim feliciter, sibi vindicarent. Sed verum illic et continuum imperium non adepti sunt. Quare de solo orbi occidentali, qualis Romanarum Germanicarumque gentium potissimum consortio paulatim exstitit, hoc loco loqui sufficit. Cujus imperium papale eo, quem diximus, temporum favore ad majorem semper virium amplitudinem provectum, denique in insanabilem, quo jam diu laborat, morbum delapsum est. Quod quomodo factum sit ut probe illustretur, a sanioribus ex parte melioribusque illius initiis nobis proficiscendum est.

Jam primum id supra monuimus, ecclesiae unitatem illam, qua papatus nititur, gravissimam christianae fidei ac vitae partem esse. Neque eam post apostolorum tempus etiam externis quibusdam institutis ac legibus firmandam fuisse negamus. Fortibus tunc maxime ecclesiarum gubernatoribus opus erat. Permulti episcopi animo, confessione, martyrio se Christiano populo probaverunt eorumque potestas urgente necessitate quadam aucta est. Qua potestate Romani episcopi non tantum in suae dioeceseos negotiis sed aliquando etiam in summis utebantur universae ecclesiae rebus, quippe quae sibi potissimum unanimo consensu commissa esse viderent. Quod si in eam rem jam Cypriani temporibus falsae opiniones de sacerdotio, a Novo Testamento alienae et cum Vetere tantum congruentes, influxerunt, id non tam solis episcopis Romanis, quam omnibus fere eorum aequalibus, praecipue ipsi Cypriano, tribuendum est. Qui quidem vir sanctissimus cum plebi christianae presbyterisque antiqua quaedam jura reservare studuit, tum contra succrescentem Romanae curiae arrogantiam statuit, ‚ceteros apostolos idem fuisse quod Petrum, pari consortio praeditos et honoris et potestatis, licet exordium ab unitate proficiscatur, ut ecclesia Christi una monstretur;' ‚episcopatum unum esse, cujus a singulis in solidum pars teneatur.'[1] Sed ex iisdem sacerdotalis hierarchiae principiis, quae strenue profitebatur, aliae, quam ipse voluerat, res Romae facile concludebantur. Quod illinc ex Cypriani aequaliumque mente unitatis exordium profectum est, cogitari vix poterat sine gubernandi quodam officio ac jure, quo si nonnulli abuti jam incipiebant, non tollebatur tamen ipsum gubernandi officium. Id etiam imbecillioris animi Ponti-

1) De unitate ecclesiae c. 4. 5.

ficibus Romanis quasi inevitabili interdum vi se obtrudebat, fortiora potentioraque ingenia, etsi humanae labis immunia non fuerint, tamen saepius excelso christianisque rebus utilissimo modo officii illius partes implevisse, non infitiamur. Hoc de duobus illis viris, qui jure magni nominantur, Leone I. et Gregorio I., praedicandum est. Qui ut in civilibus quoque rebus curam ponerent, temporum necessitate adducti sunt. Inter fracti et disjecti occidentalis imperii ruinas tanquam inconcussa rupes cathedra, quae dicebatur, Petri sola eminebat. Dum continuis barbararum gentium irruptionibus mutuisque caedibus omnes divinae humanaeque res miscebantur, omnium legum institutionumque quasi aedificium conquassabatur, denique omne bonarum artium litterarumque studium exstingui videbatur, ad inconcussam illam rupem denuo semper mortalium oculi conversi erant. Neque positam in ea fiduciam vanam irritamque fuisse apparet. Etenim si ex permixtis atque confusis Romanarum Germanicarumque potissimum gentium elementis quasi novus orbis occidentalis et Europaeus conformatus est, id nisi adjuvantibus divinis christianae religionis viribus fieri non potuit; hae vero ne tot tantisque illorum temporum turbis impedirentur, forti ad gubernandam ecclesiam manu et eximia ad conservandam ejus unitatem sollertia opus erat. Qua unitate, etiam externis quibusdam formis constituenda, illa praesertim aetas, ut ecclesia sanctissimo suo munere rite fungeretur, carere non potuit. Ad has igitur res jam Philippus Melanchthon maxime tunc idoneos prae ceteris fuisse Italos adnotat; quippe ‚non solum celsitudinem animorum fuisse in illis et dominandi cupiditatem, sed industriam etiam utilem in gubernatione.‘ [1] Itaque principatus ille spiritualis, quamvis pro tempore extenuari interdum videretur, tamen in universum splendore et auctoritate crevit, praesertim postquam inter ipsos Germanos, qui Romanum imperium deleverant, ejusdem imperii nomen atque majestas, eaque a Pontifice consecranda, renovata est. Quae quum totius christianarum gentium familiae unitatem et repraesentare et servare deberet, post Carolum Magnum haec immensa potestas cogitatione quidem effingebatur et a summis quibusdam viris ex parte affectabatur, re et veritate nunquam plena exstitit. Eo majore splendore ac potentia papale regnum, quippe quod spiritualem earundem gentium unitatem et repraesentaret et servaret, circumdaretur necesse erat. Quod denique eo crevit, ut jam magnitudine sua laboraret.

---

1) Cf. libellus meus de Philippo Melanchthone reipublicae litteraria reformatore p. 37.

Haec omnia mente nobis repetenda sunt, ut de principatus illius originibus recte judicemus. Quem qui, corrupta ejus posterioribus temporibus condicione irati, jam initio meris hominum fraudibus excogitatum, immo ab ipso diabolo profectum fuisse putaverunt, agnoscendae historiae veritati non minus obsunt quam ii, quibus Tridentinum vel Vaticanum concilium potestatem Petro apostolo jam ab ipso Christo datam recte definivisse visum est. Non fortuito factum esse censemus, ut inde a secundo seculo tot praestantissimi occidentalium nationum viri tanquam in arcem christianae fidei in principem illam orbis terrarum urbem suspicerent, matrem multarum ecclesiarum, divinae veritatis coram ipsis mundi dominis quasi in ore leonis impavidam saepe vindicem, memoria nobilissimi apostolorum paris illustratam, qui ingenio et munere diversi ambo illic cursum suum gloriose perfecerant, tot denique confessorum martyrumque procreatricem, qui morientes (id quod de Sancto Laurentio narratur) precati erant: Da Christe Romanis tuis, ut christiana sint civitas. Urbs illa, a parvis quondam initiis profecta, paulatim universi orbis populos, fortissime partim resistentes, oppresserat et conculcaverat. Sed tantae simul in civibus ejus virtutes illuxerant, ut earum memoria etiam sub Tiberiis et Neronibus in gentium mente infixa remaneret. Magna vero res est et memoratu digna, quum nobilissimi quique inter victos victoris virtutes agnoscunt. Neque tanti facimus, quod Polybius confitetur, Romanos non fortuna, sed fortitudine animi, constantia, fide, anxia religionis cura imperium obtinuisse: ea praedicat, quorum praeclara adhuc exempla viderat. Sed id majoris momenti, quod Plutarchus et ipse, ‚magnum illud nomen populis decantatum‘ collaudans, etiam in degeneribus filiis meliorum patrum vestigia honorat, quorum virtutem tot bona bonis parasse, quorum imperium omnium humanorum operum pulcherrimum esse affirmat.[1] Tantae igitur virtutes, quae in media pagani erroris et superstitionis caligine quondam effulserant, quum evanuisse jam fere viderentur, subito puriores et praeclariores in Romanis Christo addictis quasi renatae sunt. Hi nimirum pro meliore majoreque quodam regno et in sublimiore militia invictos heroes se praestiterunt, sicuti ille: ‚Nihil,‘ inquit ‚de nostra causa deprecamur, quia nec de condicione miramur. Scimus nos peregrinos in terra agere, intra extraneos facile inimicos invenire. Ceterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in coelis habemus. Dicimus et palam dicimus et verberibus torquen-

1) Cf. apud Polybium praeter multa alia loca Histor. VI, 56; Plutarchi Romulus initio et praecipue ejusdem commentariolus de fortuna Romanorum.

tibus lacerati et cruenti vociferamus: Deum colimus per Christum.‘ Similiter illorum temporum poëta:

Tormenta, carcer, ungulae stridensque flammis lamina
Atque ipsa poenarum ultima, mors, Christianis ludus est.

Et alius de grandiore victoria quam quae unquam glorioso per veteris Romae vias triumphantium incessu celebrata est:

Pange, lingua, gloriosi proelium certaminis
Et super crucis tropaeo dic triumphum nobilem.

Hunc fortissimum coelestis militiae animum non dicimus inter veteres Christianos peculiarem Romanis fuisse (neque enim Romanorum tantum verba supra adduximus) sed ab iis saepius in praeclarissimo atque periculosissimo loco gloriose exhibitum esse. Quod etiam Franciscus Guicciardini in compendio, quod diximus, historiae papatus non omittit. Non propter eum animum Roma principalis ecclesiae sedes facta est, sed sine eo vix unquam futura erat. Quod non ita dictum esse, quasi antiquiorem Romanam ecclesiam omnium vitiorum expertem fuisse putemus, vix moneamus necesse erit. Verum eximias illas virtutes haud frustra illic exsplenduisse praedicamus.

Praeterea id quoque non temere factum, quod inde a fine seculi primi, ubi de christiana doctrina agebatur, Romanae ecclesiae a summis occidentalium viris, iisque a servili assentatione alienissimis, singularis quaedam auctoritas attributa est. Quae postea inter gravissimas quarti et quinti seculi disceptationes etiam apud Graecos pro tempore valuit. Neque tamen hanc auctoritatem (id quod hic interponere necesse putamus) ex Vaticani dogmatis sensu interpretari licet. Nemo inter magnos illius aetatis viros episcopum Romanum, ubi de cathedra loqueretur, falli nescium fore somniavit; omnes ejusmodi inauditam tunc opinionem, si usquam emicuisset, non minus blasphemam quam stultam unanimi judicassent. Nunc quoque quicunque aliquam prioris aevi christiani scriptorum notitiam cum religioso veritatis studio conjunctam habent, concedent quod Janus dicit, inter veteres Patres, evangeliorum interpretes, ne unum quidem esse, qui in illis locis, quae nunc ad Paparum imperium et infallibilitatem trahuntur, ejusmodi vel levissimum vestigium invenerit. ‚Evolvantur,‘ inquit ille, ‚quorum commentarii ad loca illa supersunt, Origenes, Chrysostomus, Hilarius, Augustinus, Cyrillus, Theodoretus, nihil dicunt de papisticis istis dogmatis.‘[1] Etiam ii, qui primi singularem quandam auctoritatem Romanae ecclesiae testantur, Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, ad

1) Cf. Janus p. 97 ss.

unum omnes simul Romani episcopi sententias quasdam, de cathedra pronuntiatas, tanquam falsas rejicere et castigare ne minime quidem dubitant. Dein Zosimum papam, quum a Pelagii parte stetisset, Afri Sancto Augustino duce conciliis, scriptis, epistolis coëgerunt, ut errasse se confessus sententiam mutaret. Quin etiam septimo seculo eo audaciae, quo Pium IX., pontifices nondum prorupisse, uno Leonis II. exemplo satis demonstratur, qui ex antecessoribus suis Honorium I., a Trullano concilio haereseos condemnatum, et ipse confirmatis concilii decretis condemnavit.

His igitur praemonitis atque iis rebus omissis, in quibus tota illa aetas erravit, conservatae rectae doctrinae laudem, qualem summos viros antiquiori ecclesiae Romanae tribuisse constat, nequaquam immeritam fuisse profitemur. Quod enim jam in veteribus Romanis reperiebatur, sanum quoddam seriumque humanarum rerum judicium, id, quum christiana religione quodam modo sanctius atque purius revixisset, ad doctrinas de naturae et gratiae rationibus rite excolendas haud parum facere potuit. Accessit Graeci aliquid ingenii, quod quam late in Romanae ecclesiae initiis simul cum Graeca lingua patuerit, ex varii generis monumentis rite colligitur. Hoc ingenium licet saepius, uti jam Melanchthon adnotavit,[1] in nimis callidis disputationibus sibi placuerit et evangelicam doctrinam in philosophiam transformaverit, tamen Romana gravitate temperatum ad recte definiendam et defendendam christianam veritatem etiam apud Romanos permultum contulit. Illuc enim ex toto fere orbe diversissimae sectae dogmatumque genera confluxere; quae omnia inter se conferre, sana eligere, prava et corrupta sejungere oportebat, ne aut simplicitas evangelii confusis opinionibus obrueretur, aut acies ingenii ad fidei rationem cuivis reddendam parata hebetaretur. Quantopere hoc modo jam circa annum Domini ducentesimum Romana ecclesia agitata et exercitata itaque ad superandos posteriorum temporum errores, inprimis Arianismum, praeparata fuerit, id praestantissimus theologus mihique conjunctissimus, Justus Jacobi, ex libro philosophumenorum, in Athois monte nuper reperto, quem Hippolyti esse primus recte vidit, ingeniose illustravit.[2]

Quod si ecclesia illa jam florente adhuc veterum Caesarum occidentali imperio mater et magistra gentium quodam jure vocari poterat, post illorum regnum funditus deletum tantum abfuit, ut praeclaro

1) Cf. libellus meus supra laudatus p. 36.

2) In: Deutsche Zeitschrift für christliche Wissenschaft und christliches Leben 1851 p. 234 ss.

nomine indignam se praeberet, ut novum splendorem ei affunderet. Illinc evangelii semen saepius, ut a Gregorio Magno, in longinquas terras sparsum est, illinc maxime effectum, ut victrix inter Germanicas nationes Ariana haeresis, qua ipsa christianae pietatis fundamenta labari etiam Schleiermacherus egregie ostendit, paulatim evanesceret. Nam et ea, quae similia aliae occidentis ecclesiae praestiterunt, in tanta omnium rerum confusione stare vix potuissent, nisi accedente firmi cujusdam, quale Romae tenebatur, propositi unitate. Quo in peragendo etsi non omnia recte facta sunt, tamen insignia pristina Romanae ecclesiae de Germanis merita oblivioni danda non sunt. Adde quod omnium bonarum artium litterarumque initia simul cum christiana religione majoribus nostris afferebantur. Quae nobilissima doctrina in Italia largior quam in aliis locis supererat; haud semel alibi felicius quidem quam Romae colebatur, quibusdam temporibus illic prorsus fere neglecta jacebat; attamen semper refloruit et a clarioribus Pontificibus promota est. Quare etiam ex hac parte Roma gentium magistra medio aevo fuisse dici potest.

Quibus omnibus diligenter ponderatis judicandum est, veteres episcopos Romanos ad vindicandam ecclesiae unitatem prae aliis divina providentia vocatos fuisse. Id igitur jure quodam persuasum habebant. Sed huic sententiae falsae opiniones magis magisquae admixtae sunt. Petri primatui, qualis revera fuerat, simile aliquid Romanae ecclesiae mandatum esse sensu quodam contendi sine periculo potuit. Verum episcopi Romani, ut suam potentiam augerent et repugnantibus Afris episcopos episcorum se constituerent, contra scripturam et prioris ecclesiae sententiam Petri primatum, ut ait Cyprianus, in imperium mutaverunt, quale nunquam ille habuerat. Tum non sine fraude, ut Tertullianus admonet, id quod Christus Petri personae tribuerat, sibi ipsis arrogaverunt. Quod ut hominum plausum ferret, summi semper momenti tritissimae quaedam de Petro fabulae erant, quibus solis Pontifices niti solebant, omne humanum et historicum, quod nos dicimus, auctoritatis suae fundamentum aspernantes. Hoc scilicet nesciebant facilius teneri posse, quam commenta illa, quae nemo nunc vel parum eruditus serio defendet. Etenim Petrum Romae mortuum esse, jure negari posse mihi quidem non videtur. Eundem vero episcopatu illic viginti quinque annos functum dominatricem, qualem effinxerunt, cathedram successoribus suis reliquisse, id quamvis per multa secula ab omnibus creditum, tamen quam falsum et fabulosum sit, nemo non ignorat, qui de Romanae ecclesiae originibus veterrima et verissima testimonia, in nobilissima Pauli epistola et in actis apostolorum nobis data, probe religioseque examina-

verit. Nihilominus fictae illius dominatricis sedis hereditatem, quam Romani episcopi sibi vindicabant, alii quoque eorum propriam esse paulatim agnoverunt, languescente magis magisque sacrae scripturae cognitione. Non mirum quod tunc error ille quasi fundamentalis novos errores peperit. Tantam scilicet Romanae sedis auctoritatem partes ecclesiasticae inter se disceptantes etiam apud orientales interdum, ubi commodum iis videbatur, ad coelum extulerunt. Ejusdem animi verba quaedam, a Sardicensi synodo occidentali adhibita, postea celeberrimae synodo Nicenae, a cujus mente longissime abfuerant, falso attributa sunt. Tales vero errores, fabulae, ficta monumenta, per seculorum decursum immodice aucta, haud parum incrementi potentiae pontificiae addiderunt.[1]

Ex hac ingenti historiae adulteratae farragine pauca tantum, quae ut turpissima et callidissima octavi seculi commenta jam a Guicciardino castigata sunt, exempli instar proferam. Magna nimirum latifundia jamdudum cathedrae Petri paulatim pio animo donata vel legata erant, quibus adjuti Pontifices etiam exterorum necessitatibus liberaliter saepius subveniebant. Illud Sancti Petri, quod dicebatur, patrimonium Pipinus et Carolus Magnus, quos ad consilia sua exsequenda Pontificum auxilii indiguisse satis notum est, insigniter auxerunt et in provinciae cujusdam formam redegerunt. Quod ut tam largiter et quasi agnito restitutionis cujusdam jure praestarent, curia famosissimam Constantini donationem adhibuit, quam eo ipso tempore Romae confictam esse constat.[2] Hac deceptus Pipinus Pontifici, stabularium ejus agens, eundem honorem dedit, quem falsus Constantinus se ei dedisse diplomate declarat. Adrianus I. in epistola ad Carolum Magnum eodem falso diplomate utitur.[3] Quod proximo seculo Pseudo-Isidorus, qui nunc vocatur, in decretalium codicem recepit. Hoc opus, a Romana Curia non profectum, sed in suum commodum mox acceptum, quod jam Hincmarus Rhemensis compilatum et confictum vocavit, illorum temporum grandissimum adulteratae historiae exemplum est. Pauca quidem Pontificibus jura illic primum attribuuntur, longe pleraque jam antea ab iis aut tenebantur, aut affectabantur. Verum quod haec omnia, etiam ea, quibus multi adhuc in ecclesia adversi erant, tanquam certissima et vetustissima jura audacter confictis permultis primae ecclesiae documentis illic proponebantur et affirmabantur, id ad conformandum universum posterioris aetatis ingenium summo momento fuisse patet. Sic etiam

1) Cf. Janus p. 100—191, 419—426 et Dollingeri liber: Pabstfabeln.

2) Ibidem p. 142 ss.

3) In codice Carolino I 352 ep. XLIX.

falso illi Constantini edicto nova vis addita est. In quo haec quoque verba leguntur: ‚Decrevimus amplius quam nostrum imperium sedem sacratissimam Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem et gloriae dignitatem atque vigorem et honorificentiam imperialem. Unde tam palatium nostrum, quam Romanam urbem et omnes Italiae sive occidentalium regionum provincias, loca et civitates Pontifici nostro Silvestri, universali Papae, contradimus atque relinquimus atque juri Romanae ecclesiae concedimus permansura.‘ Haec ementita verba barbara pro ipsissimis Constantini habita, cum tot ejusdem generis commentis conjuncta, hominibus mox alteram fabellam probaverunt, scilicet Hadrianum papam, occidentalium regionum divino et humano jure dominum, suo arbitrio occidentalis imperii coronam Francorum regis capiti imposuisse. Jam non amplius posthaberi voluerunt Papae Imperatoribus, quare in diplomatis suis, ut adnotat Guicciardinus, omittere ea verba coeperunt, quibus se illis subjectos seculo octavo confessi erant, scribentes exempli causa ‚imperante Carolo Domino nostro.‘ Itaque audacissima quaeque theocraticae omnipotentiae somnia, qualia Gregorii VII. vel Innocentii III. animos inflabant, jam in ementita illa Constantini donatione quasi inclusa latebant. Hi atque alii summi viri in ejusmodi fabulis, quid dico? in universa quadam veterum temporum historia, innumeris ejusmodi fabulis adulterata, in universum bona fide, quantum quidem videre possumus, acquiescebant. Talibus opinionibus freti summum animi robur, ingenii sollertiam atque amplitudinem praestabant, quum pro virili parte eam humanae vitae formam constituerent, quam medii aevi propriam, quidquid de ejus maculis judicamus, etiam vere magni aliquid habuisse minime negamus. Emicuere in illis viris passim veterum ecclesiae Romanae virtutum, quas descripsimus, reliquiae. Divinam evangelii vim praeclare interdum asseruerunt adversus omnes homines, etiam adversus potentissimos reges et imperatores. Optimis quibusque sui temporis viris haud raro duces atque adjutores se praebuere. Sed etiam meliorum Pontificum studiis (nam de turpissimis Romanae sedis maculis non loquimur) admixta sunt et immodica ambitio dominandique cupido, et perversae de gravissimis rebus christianis sententiae. Sublime quasi aedificium spirituale erigere enitebantur, cujus fundamenta partim in veritate, partim in communi errore immo in mendacio posita erant. Sui officii ac muneris parum memores jam tunc christianae familiae discordias et bella inflammare haud minus saepe quam exstinguere studuerunt.

Sic papatum propter falsa illa fundamenta, quibus nitebatur, necessitate quadam degenerasse, jam Guicciardinus in ea, quam

diximus, operis sui parte demonstravit. Quod malum vir, in ipsa aula Pontificia versatissimus, quum per longum tempus scelerati et impii papae ab omni sincera pietate alieni regnassent, jam pessimum factum suis oculis viderat. Quare illud justissimo, ut ait, publici damni dolore incitatus, in loci illius fine his verbis describit: ‚Pontifices ad terrenam potestatem elati, animarum salutis divinorumque praeceptorum obliti atque ad mundana imperia omni cogitatione conversi, nec divina auctoritate aliter quam quasi telo et instrumento rerum fragilium utentes, principes potius gentium quam rerum sacrarum administri videri coeperunt. Horum curae et negotia non jam vitae sanctimonia, non religionis incrementa, non. erga Deum et homines caritas, sed exercitus, sed bella in Christianos, sed pecuniae immensa cupido, novae leges, novae artes, novae insidiae ad pecuniam undique cogendam: in hunc finem audacissime arma caelestia vibrare, profanarum sacrarumque rerum nundinationem impudentissime exercere. Hinc opes in immensum adauctae et in totam ipsorum aulam effusae, ex quibus fastus, luxuria, mores turpissimi, libidines voluptatesque nefandae; nulla successorum, nulla majestatis perpetuae pontificatus cura, sed hujus loco cupido anxia et pestifera, filios, nepotes, alios sibi conjunctos et necessarios non modo ad opes immoderatas verum etiam ad regna et imperia evehendi; qua cupidine inflammati jam per multos annos bellorum auctores, novorum incendiorum faces in Italia exstiterunt. — His moribus effectum est, ut excussa penitus ex animis hominum illa vetere erga pontifices reverentia, nihilominus eorum auctoritas tum religionis, qua nihil in terris ad homines vel retinendos vel impellendos potentius, nomine et majestate, tum facultate, qua pollent, principibus iisque, qui apud hos plurimum possunt, gratificandi et opitulandi, mire adjuta sustentetur atque conservetur.‘ Haec omnia tantus vir non temere locutus est.

IV.

Jam breviter eorum mentionem faciemus, quae ad sananda damna supra descripta usque ad seculum decimum sextum tentata sunt. In quibus et ipsis, ut fit in rebus humanis, alia desideres, alia jure vituperes. Nec tamen frustra tentata sunt. Etiam medio aevo Christus, cujus regnum non est hujus mundi, non deerat ecclesiae suae. Quidquid saniorum virium inerat in Christianorum coetu, ad impugnanda mala illa diversis temporibus et modis evocatum est. Erant jam tunc, qui divino spiritu inflati in mundano regno pontificio, quod nostra aetate abolitum multi deplorant, aliquid antichristianae indolis publice casti-

garent. Inter hos velut antesignanus eminet Sanctus Bernardus, Romanae sedi amicissimus, quem gravissimum tantae corruptionis vix sanabilis testem etiam Benignus Bossuetus agnoscit. Quare illum ceterorum loco loquentem audiamus.

Is ad Eugenium papam ‚de consideratione' scribens ‚Disce,' inquit, ‚surculo tibi opus esse, non sceptro; audi Petrum: non dominantes ait in Clero, sed forma facti gregis; audi Christi vocem: reges gentium dominantur, vos autem non sic. Planum est, apostolis interdicitur dominatu, si utrumque tenere voles, utrumque perdes.' Postea splendore vestium illius et regii incessus descripto, ‚In his,' ait, ‚successisti non Petro sed Constantino.' Et addit: ‚Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens, non est tamen quod horreas operam curamve pastoralem; pastoris haeres, non est quod erubescas evangelium. Evangelizare pascere est; fac opus Evangelistae et pastoris opus implevisti.' Idem ad Dominum clamans, ‚Amici tui,' inquit, ‚et proximi adversus te steterunt; egressa est iniquitas a senioribus, judicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum.' ‚Ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum.' ‚Ministri Christi sunt et serviunt Antichristo.' ‚Ipse est Antichristus, qui se non solum diem sed et meridiem mentietur et tolletur supra quod dicitur aut quod colitur Deus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui, utpote verus et aeternus meridies, sponsus et advocatus ecclesiae.'[1]

Neque tamen Bernardus suo tempore pessimam vidit Romanae curiae corruptionem. Quae saepius tanta erat, ut ad tentandam ejus emendationem magistratus christiani, inprimis Imperatores, necessitate quadam impellerentur. Notum est, quantae illius foeditati Otho Magnus, quantae Henricus tertius, quantae Sigismundus finem pro tempore imposuerint. Talium rerum recordantes multi gentium principes, pontificum arrogantiae, qua summo omnium terrestrium rerum arbitrio se a Christo donatos esse gloriabantur, eo fortius restiterunt. Ipsi sane plus semel tyrannidem in ecclesiam usurpantes peccaverunt. Sed ubi magistratuum civilium jura contra pontificiae superbiae somnia illa defendebant, ipsa evangelica veritate eos adjuvari, jam aequalium multi cognovere. Sic postquam Gregorius VII. (quocum deinde Alexander III. et Innocentius III. consenserunt) ad tam effrenatam audaciam processit, ut solum sacerdotium a divino ordine, regiam dignitatem ab hominum

1) Sermo 1. in conversionem B. Pauli; Sermo 33. in canticum.

peccatis ‚principium habuisse' contenderet, multi cum Hugone Floriacensi eam sententiam frivolam esse et disertis Pauli apostoli verbis contrariam judicaverunt.[1] Grave et calamitosum certamen illud, quod propterea inprimis Suevici Caesares, magni et praeclari ex parte viri, cum pontificibus deinde inierunt, quamvis non sine ipsorum culpa inferiores discesserint, posteris tamen feliciorem pugnandi campum aperuit. Praeteriti enim temporis memores postea etiam in Italia praeclarissimi viri, Dante, Petrarcha, alii reipublicae et ecclesiae salutem ab imperatoribus Germanicis exspectaverunt. Quae quidem spes eos fefellit, sed res civiles fortiore quasi adversus regnum papale manu egere, recte videbant. Atque jam ex eo tempore strictior quaedam administrandarum rerum publicarum ratio civitatumque conformatio, non a christiana quidem religione, sed a clericali medii aevi ingenio aliena, apud varias gentes paulatim nata est.

Hoc vero dum fit, jam nova quasi acies adversus Romae tyrannidem processit, liberalior ipsius hierarchiae pars, cujus propugnator Cyprianus quondam contra illam exstiterat. Quae pars pie servari volebat primatum Romanum, sed ut inter pares, salva aequali omnium episcoporum dignitate. Id quum summi illorum temporum viri tenerent, animo vere christiano ad resistendum curiae impellebantur. Etenim ab iis, qui externo ecclesiae imperio contenti reformationem in capite et in membris respuerent, res internas neglegi et pessumdari recte intellegebant. Id praecipue post exortum magnum Pontificum schisma non perspicere non poterant. Quare contra illos, quod historiarum narratores saepe omiserunt, non tantum sua jura, sed etiam coelestem ecclesiae indolem vindicare studuerunt, militantem ecclesiam a triumphante distinguentes. Illam aspirare tantum dicunt ad coelestem perfectionem, perpetuo dimicandum ei esse cum malo, quod et ipsi adhaereat; triumphantem demum ecclesiam sine ulla macula futuram esse et ‚absolute in ea regnaturum Christum.' Itaque si Pontifices suum regnum regno Christi omnibus numeris perfecto aequiparent et triumphantis ecclesiae jura usurpent, tam impio et antichristiano conatui omnes pios resistere debere; qua in re non tantum episcopis, sed etiam christianis Principibus, inprimis Imperatori, suas partes divinitus mandatas esse. Hoc animo summi quos diximus viri ad reparanda ingentia ecclesiae damna magnis seculi quinti decimi conciliis uti studuerunt, a quibus optima quaeque exspectari posse videbantur. Illic et

1) Cf. Gregorii epp. VIII, 21. Hugo Floriacensis de regia potestate et sacerdotali dignitate.

episcopi et principes et nationes sua quidem jura in discrimine esse sciebant, nec vero deerant, qui ante omnia de Christi regno agi recordarentur. Illic insignissimi universae ecclesiae doctores, Galliae inprimis nobilissimi quique viri, in eundem finem nitebantur. Nullas ecclesiae miserias et vulnera intacta relinqui jam antea Nicolaus de Clemangiis, Petrus de Alliaco, Joannes Gerson, alii voluerant. Gravissimam vero illorum omnium causam Romanae curiae corruptionem esse arbitrabantur. ‚Multo aequius,' inquit unus eorum,[1] ‚Papae decem millium animarum ferunt jacturam, quam decem solidorum, quid dico aequius? immo nullo animi motu ferunt. Divina eloquia et qui iis student illi in risum atque ludibrium verterunt, quippe qui suas traditiones divinis mandatis longe anteponant.' Tam perversae mentis Pontifices, diris anathematis se invicem exsecrantes, quum falli nescios se esse conclamantibus adulatoribus gloriarentur, probissimis illorum temporum Christianis omnibus ridiculi et contemnendi videbantur. Etiam eorum, qui hac in re Thomam Aquinatem, summum quidem virum, sed ementitis historiis et documentis saepissime deceptum,[2] quam acerrime sectabantur, prudentissimus quisque infallibilitatem Papalem ita definiebat, ut specie maneret, revera tolleretur.[3] Contra Pontificios Joannes Gerson[4] demonstrat, ‚unitatem ecclesiae essentialem' in solo Christo positam esse, itaque fieri posse, ut concilium universale, invito Pontifice, qui tanto suo loco indignum se praebuerit, congregatum, de munere illum dejiciat; Pontificibus enim ‚non humili condescensione, sicut fingant aliqui, sed ex debito subeundum esse concilii judicium.' Eodemque animo viri illi omnes reformationem ecclesiae ab hierarchiae capite incipiendam esse praedicabant, ut ejus membra quoque, monachi, sacerdotes, episcopi, doctores vere emendarentur. Quod quam necesse sit, Nicolaum de Clemangiis[5] audiamus explicantem. ‚Monachi,' inquit, ‚sub ovium vestitu sunt lupi rapaces, monasteria hominum et feminarum lupanaria, theologia eorum ei similis, quam Paulus designavit his verbis: Languent circa quaestiones et pugnas. Ecclesiastici Simoniaci eo lasciviae provecti, ut parochiales,

1) Scriptor ‚tractatus de corrupto ecclesiae statu.' Qui tractatus legitur inter Nicolai opera, sed ab alio doctore Parisiensi compositus esse videtur.

2) Janus p. 286 ss.

3) Cf. Langen, das Vaticanische Dogma III. p. 157.

4) Tractatus de unitate ecclesiae (a. 1409). De auferibilitate Papae ab ecclesia.

5) Contra Simoniacos. Contra nova Sanctorum festa. De studio theologico.

quo uxorum pudicitiae caveant, sacerdotes nolint nisi qui concubinas habeant; traditiones humanae majoris pretii habentur quam leges divinae; sanctorum legendae pro scripturis sacris intrusae et Sancti proinde in Dei locum inducti.' ,Male et perfide paene ubique in plerisque rebus sentit hodie vulgus, magicis utitur artibus, superstitionibus variis implicatur, divinos et pythones consulit, sortilegiis delectatur, in principalibus praeterea graviter claudicat fidei articulis. Si contra haec subtiliter in scholis disseritur, quid ad illos, qui longe positi non audiunt nec noverunt, ad quos nulli accedunt theologi, qui eos instruant? Nonne utilior est medicus, qui postquam artem didicit, aegrotos visitat et medendo sanat, quam qui de morbis ac vulneribus, nunquam artem experiendo, semper in schola disputat?'

Talia qui sentiebant atque profitebantur concilii Constantiensis rectores erant. Aderat iis favore suo praesens imperator Sigismundus. Ad vere evangelicam ecclesiae reformationem prope accessisse videbantur. A terrestribus ad coelestia, a sanctis ad Deum, a traditionibus et fabulis ad sacram scripturam hominum animos revocabant. Nonne speraveris fore, ut, si qui forte paulo longius quam ipsi in praedicando invisibili Dei regno et in reformanda secundum evangelium externa ecclesia procedere velint, caute atque clementer eorum sententias examinent? Consentiunt, aeque atque papam concilium universale, repraesentans ecclesiam, falli nescium non esse. Id diserte cum aliis pronuntiat Nicolaus:[1] ,licet enim ecclesiae militantis auctoritas sit maxima, quia fundata sit supra firmam Petram, non illi tamen nos oportere triumphantis titulos adscribere; illam enim saepe falli in iis, quae vel facti sint vel morum vel judiciorum.' Excipit quae fidei esse arbitratur, universam doctrinam a patribus traditam, omnia quaecunque de ea ecclesia militans legitime vel decreverat vel decretura erat. Harum rerum vel minimam rejicere et ipse et socii ejus fere omnes horrebant. In his rebus, quasi obruti tot sanctorum, martyrum, patrum, conciliorum consensu, quem justo perfectiorem existimabant, externae ecclesiae auctoritatem falli nesciam, quam in aliis rebus teneri non posse viderant, firmissime tenendam crediderunt. Joannes Gerson et Petrus de Alliaco hypothetice quidem cum nonnullis dixerunt, ,Concilium generale posse contra fidem errare,' sed id nisi tam dira universae ecclesiae corruptione, qualem in praesenti conspicere

1) In tractatu contra nova Sanctorum festa.

sibi non videbantur, revera fieri nullo modo posse putabant.[1] Itaque ipsa eorum virorum falsa fiducia factum est, ut concilium Constantiense in rebus gravissimis judicii injusti et crudelis culpam nulla oblivione obruendam contraheret.

Duo Bohemi, viri sanctissimi, apostolicae simplicitatis aemuli, in medium proferuntur, alter haud multo post alterum, quare, quoniam pari ratione cum iis actum est, de utroque conjunctim, sicuti multi eorum aequales, dicemus. Nihil sciunt, volunt, diligunt praeter Christum. Hunc veram petram esse, supra quam ecclesia aedificata sit, non Petrum, nedum Papam, non aliter ac summi concilii duces firmiter credunt. At ipsi, christiana libertate fidenter utentes, serio abolere coeperunt traditiones illas humanas, de quarum abusu Nicolaus toties cum ceteris questus erat. Nonnulla inter eas referenda esse putant, quae concilii patres tanquam divinas leges venerantur. Hi errare quidem se posse confitentur, nec tamen in iis rebus, de quibus nunc agatur, tam apertis scilicet, ut ipsi in iis errare nequeant. Reformare volunt ecclesiae externae caput et membra, at suis remediis, non iis, quae ut ex verbo divino hauriant admonentur. Rogant viros illos, ne plus sapere quam ipsa ecclesia velint, ut humili animo futurae Concilii decisioni sive informationi, quae dicebatur, se subjiciant. Rogant, sed simul interitum iis minantur. Scilicet cum Pontificiis, quos alias impugnant, eo consentiunt, quod externum quoddam imperium, vi obtinendum, ecclesiae tribuunt. Irascuntur, quod Bohemi minas illas non curant. Admonent eos, ne eloquentia et magnis donis suis ecclesiae repugnent. Hi respondent, se sancti evangelii aemulatores, se Christi discipulos esse; Romanam ecclesiam ceterasque per orbem dispersas ab apostolorum traditionibus longe abiisse. Significatur posse eos, si sententias suas concilio subjiciant, coram Deo et in ecclesia militante sublimem consequi locum. Reponunt, Deo magis quam hominibus obediendum esse. Joannes Hus ‚Revera expedit mihi magis mori,‘ inquit, ‚quam fugiendo poenam momentaneam incidere in manus Domini et forte post in ignem et opprobium sempiternum.‘ Eodemque tempore, alludens ad nomen suum, quod bohemice anserem significat, fratribus Pragensibus scripsit de adversariis: ‚Aliae aves, quae verbo Dei et cito volatu suo alta petunt, eorum insidias conterent. Accidit illis idem, quod Judaeorum pontificibus: qui veritatem morti tradiderunt, illa vera resurgens vicit omnes.‘ Similiter in concilio haud

1) Gersonis opp. I. 689 B. C. Cf. Tschackert, Peter von Ailli p. 29. Langen l. c. p. 152 s.

multo post Hieronymus locutus est: ‚Vobis certum est me inique et maligne condemnare, nulla noxa etiamnum inventa. Ego vero post fata mea vestris conscientiis stimulum infigo et morsum. Atque appello ad celsissimum simul et aequissimum judicem Deum omnipotentem, ut coram eo centum annis revolutis respondeatis mihi.‘

Tantae animi fortitudinis interiorem indolem ne ii quidem intellegebant, qui et ipsi a rebus externis ad interiorem christianae religionis fontem hominum mentes revocare studuerant. Quae invicta simplicis evangelii fiducia erat, intolerabilis obstinatio iis esse videtur. Fertur sententia a concilii primoribus, cremandos esse, qui ecclesiae doctrinam respuant, fidem publicam haereticis non servandam. Erubescit imperator propter fidem ab ipso datam, obloqui non audet. — Audiamus Aeneae Sylvii, qui postea papa factus est, de morte illorum testimonium: ‚Prior, inquit, Joannes combustus est; Hieronymus, diu postea in vinculis habitus, quum resipiscere nollet, eodem supplicio affectus. Pertulerunt ambo constanti animo necem et quasi ad epulas invitati ad incendia properarunt, nullam emittentes vocem, quae miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere coeperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma et fragor ignis intercipere potuit. Nemo philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quam isti incendium.‘ Haec Aeneas Sylvius. Multos supplicii illius spectatores de justitia ejus dubitasse, audax illa Poggii epistola, viri inter eruditos Italos tunc temporis celeberrimi, testis est indubiae fidei. Eo gravius peccant, qui etiam nunc nefandum illud facinus, a summis ecclesiae et civitatum ducibus coram orbe perpetratum, excusare, immo ut pro temporum condicione justum ac laudabile praedicare student. Perniciem omnibus attulit. Vehementissimas tempestates iterum ac saepius excitavit. Surrexerunt saevi et fanatici injuriarum illarum, quasi suae essent, ultores. Neque defuerunt oppressae veritati evangelicae, quam Bohemi illi non sine admixtis opinionibus mere humanis, sed spiritu vere christiano fortiter confessi erant, digni sui vindices, passim deinceps orientes, futuris majoribus ejusdem veritatis vindicibus quasi viam parantes. Liberalior vero pars illa episcopalis, quae dicitur, post caedes illas nihil magni amplius confecit. Constantiae, ante peractam ullam Romanae curiae reformationem, renitentibus frustra Germanis et Anglis, novus papa creatus est; qui mox soluto concilio triumphans discessit. Meliora sperabantur a novo concilio; quod quum Basileam coactum esset, post splendida initia turpissimum exitum habuit, quare Ludovicus Cardinalis, vir Aeneae Sylvii judicio ad gubernanda concilia generalia quasi natus, in Basiliense concilium verbum illud antiquitus traditum applicavit: Vincere scis,

Hannibal, victoria uti nescis. Sublato schismate Curia Romana fortior quam antea et ex parte superbior atque corruptior exstitit.

Interea vero alius Curiae adversarius adoleverat. Qui non subito magnam quandam rerum mutationem efficere sibi proposuit, sed sensim sparsis rectioris intellegentiae seminibus futuram novam aetatem praeparavit. Coetum illum doctorum hominum dico, cujus vir praeclari ingenii, Franciscus Petrarcha, verae humanarum artium pulchritudinis amore inflammatus, primus quasi dux erat. Semper quidem ab ipsa Romana ecclesia aliquas veteris doctrinae reliquias servatas esse memoravimus. Jam jamque vero revixerunt in Italia, inde per Europam sparsa sunt multo ampliora primum Latinarum, deinde et Graecarum litterarum studia, quorum amore conjuncti multi praestantissimi diversarum gentium viri paulatim rempublicam quandam litterariam condiderunt, per universum fere orbem Romano-Germanicum pertinentem.[1] Cujus cives, quum unitis se invicem viribus adjuvantes ac fulcientes magna in epistolis ac libellis libertate uterentur, non minus audacter interdum quam caute Romanae curiae et ecclesiae damna castigare inceperunt, idque nova prorsus et elegantiore forma, quae ingenio et leporibus hominum animis arrideret. His acerrime plerumque monachorum longe plurimi adversabantur, ad quaslibet medii aevi traditiones pertinaciter tenendas semper parati. Unde eruditi homines largam nigri salis illis adspergendi occasionem libenter capiebant, simul vero eorum errores et fraudes seriis lucubrationibus impugnabant. Inprimis innumera illa adulteratae rerum gestarum memoriae commenta, quorum pauca exempla supra dedimus, ad severiores nascentis criticae artis normas examinari et tam eloquenter quam sagaciter refutari coepta sunt. Sic Laurentius Valla, quamvis instantis periculi sibi conscius, ‚de falso credita et ementita Constantini donatione' libellum composuit, qui quo vehementius adversarii solida ejus argumenta et vibrantes sententias exsecrabantur, eo majorem tantae fraudis horrorem etiam sequentis aevi hominibus incussit. Comparabatur cum detecto ejusmodi mendacio, quod pro veritate venditare Curia satis diu perrexit, recens fraudulentia, qua Roma tamdiu efflagitatam ecclesiae reformationem callidissimis verbis infinite variatis detrectare semper denuo sciebat. Saepissime de ea re vocabulum illud ‚verba dare', quod decipiendi notione apud comicos poëtas usitatissimum est, dicebatur. Sic bonum illum bonarumque litterarum amantissimum

1) Cf. Commentatio mea de reipublicae litterariae originibus. Bonnae 1861.

Baptistam Mantuanum Franciscanum, de egregia, quam de Leone X. professus erat, spe dejectum, audimus querentem:

Si quid Roma dabit, nugas dabit; accipit aurum,
Verba dat.

Non mirum, quod tanta Curiae corruptio novo cuidam paganismo, qui inter antiquarum litterarum cultores passim pullulaverat, vires addidit. Novi isti pagani saepius Romae, et in ipsa quidem aula pontificia, fovebantur. Leo X. eorum et consuetudine et ministerio usus est, ab ipsorum mente haud longe abesse passim existimabatur. Sed non minus libenter ac cupide Hochstrati, Prieriatis aliorumque fanaticum stuporem, ubi opportunum ei videbatur, adjuvit et adhibuit. Ipsum Leonem frivolum et profanum hominem fuisse, ne recens quidem Hochstrati et Pipercorni patronus, Joannes Janssen, infitiari audet; ab aula papali spiritum non evangelicum sed plebi christianae perniciosum illis temporibus emanasse confitetur.[1]

Verumtamen non deerant, qui curiae et ecclesiae morbum, jam dudum omnibus conspicuum, consociato et humaniorum litterarum et sincerae pietatis christianae studio sanandum esse censerent. Tales viri per varias terras, inprimis etiam per Hispaniam, multi exstiterunt. Theologiam scholasticam, quae magis magisque degeneraverat, non amplius satisfacere posse solidae institutionis desiderio, sed ad altius inquirendos fontes linguarum ope ascendendum esse intellexerunt. Sicuti classicae antiquitatis scripta intimo animo amplecti coeperant, ita adjuvante divino spiritu etiam ad Veteris et Novi Testamenti libros, ad Patres tum Latinos tum Graecos quasi propius accedendum esse existimaverunt, cultiore ingenio ad accuratam eorum lectionem religiose incumbendum et simul dimissis tot otiosis et spinosis quaestionibus ad apostolicam quandam simplicitatem redeundum docuerunt. Haec ut fierent, praecipue in Germania, acclamantibus per Europam sodalibus illis, magno ingenio et ingenti labore illi nisi sunt. Quorum summus ab omnibus quasi una voce Desiderius Erasmus agnitus est, praeterea tanquam illius praecursorum clarissimus Joannes Reuchlinus semper nominabitur, dignus, quem et hic paucis verbis iisque gravissimum ipsius Erasmi testimonium proferentibus in memoriam revocemus. Qui quum pro Germanici nominis vi Capnio vocatus esset, postea dictum est, Phosphorum eum potius a luce, quam Capnionem a fumo vocandum fuisse, quoniam ab hoc quasi aurora eruditionis illucescere coepisset.

1) Geschichte des deutschen Volkes etc. II p. 64 s.

Reuchlinus Graeci sermonis tam bene gnarus fuit, ut Argyropulus, quum Romae eum audivisset, exclamaret: Graecia nostro exilio transvolavit Alpes. Idem revera, id quod Sanctus Hieronymus consequi non potuerat, Hebraicae linguae studium in ecclesia christiana quasi domesticum reddidit. Cabbalisticae speculationi justo plus dedit. At summi semper pretii ipsum Vetus Testamentum habuit, quod ad recte interpretandum quantos thesauros Judaeorum scripta, etiam talmudica, continerent probe perspexit. Neque quisquam ante eum, licet ipse theologus non esset, sed juris peritus, tanta auctoritate theologos ad hauriendum ex originali bibliorum fonte excitavit. Erat enim vir probus et pius, ecclesiae deditissimus, gratissimus Caesari, principibus, episcopis, eruditis hominibus, populo, multis honoribus ornatus, a Suevico foedere summus judex et arbiter electus. Nihilominus Pipercornus, Hochstratus inquisitor eorumque socii, virorum obscurorum nomine immortales facti, apud Caesarem et Papam haereseos accusare Reuchlinum ausi sunt, resistentem scilicet stultissimo et perversissimo eorum consilio, quo praeter Biblia omnes libros Hebraicos cremandos esse statuerant. Quae causa famosa per multos annos protracta ingentes tempestates concitavit. Monastica factio, cui ut Graeca et Hebraica, ita et elegantior sermo Latinus exosus erat, neque libros Judaicos abolere, neque reverendum senem pro lubito perdere potuit. Ab hujus parte etiam Romae viri eruditi plurimi steterunt, quos Leo X. consuluit. Sed jus, quod historia illi, licet in singulis peccaverit, reddidit semperque reddet, Curia ei detrectavit. Tantam vim in Leonem exercuit virorum obscurorum patronus, Silvester Prierias, Jacobi Hochstrati confrater Dominicanus et magister Palatii.

Erasmus, etsi aeque ac Lutherus multa non probavit, quae Reuchlini defensores in famosis epistolis obscurorum virorum dissolutius scripserant, tamen huic ipsi jus ac meritum suum large tribuit. Nimium illorum ardorem temperare studens his verbis monuit Huttenum: ‚Rixarum nullus est finis. Ut ceteris omnibus simus superiores: sycophantiis, mendaciis, conviciis longe vincimur. Non possum non ingenue fateri, quod vero verius est. Sed praestat hac parte ultro herbam dare quam turpiter depugnare.‘ [1] Eodem vero tempore scripsit Reuchlino, quum adversarii ejus triumphare viderentur: ‚Altius infixus es animis bonorum virorum, quam ut hinc ullis Jacobitarum obtrectationibus queas revelli. Res est invicta veritas. Et tacita bonorum judicia perpetuam obtinent auctoritatem, etiam apud posteros suum

1) Erasmi epistolae VI 14 (ed. Basil. et Londin.).

habitura pondus.'[1] Denique haud multo post vita eum defunctum celebravit ut trilinguem eruditionis Phoenicem in dialogo, cui inscriptum est ,Apotheosis Capnionis.' Narratur illic piissimi cujusdam Franciscani Tubingensis somnium. Huic Capnio visus est consistere ad ponticulum, per quem transitus erat in pratum amoenissimum et felicissimum, incredibili flosculorum ut stellarum varietate ornatum, praebens lucentia et spirantia omnia. Sequebantur illum a tergo, quasi obstrepentes ei, et impetere videbantur foedissimae quaedam volucres; sed, dum ille se vertit objectaque manu crucis signum exprimit, subito abeunt, pessimo foetore relicto. Jam adest ad prati illius oram Divus Hieronymus et Capnionem ut pontem transeat blande invitat; transgressum ut sanctissimum collegam amplectitur seque missum esse declarat, ut ad coelestium consortium eum deduceret, quod sanctissimis ejus laboribus divina benignitas destinasset; una ambulant ad collem in medio prato prominentem, super quem coelum se diducens inenarrabilem quandam majestatem exhibet. — Adnotat is, qui in dialogo illo hoc Franciscani somnium amico enarrat, non opus esse, ut quis in coelestium numerum referatur, auctoritate Romani Pontificis: quis enim Hieronymum, quis Paulum canonizaverit? Neque obstare multorum inimicitiam; quod enim olim fecerit Satanas per Scribas et Pharisaeos in Dominum Jesum, hoc eum nunc facere per homines Pharisaicos quosdam in eruditorum virorum optimum quemque ac de genere mortalium suis vigiliis merentem. Additur denique haec precatio: ,Amator humani generis Deus, qui donum linguarum, quo quondam apostolos tuos ad evangelii praedicationem per Spiritum tuum Sanctum caelitus instruxeras, per electum famulum tuum Joannem Reuchlinum mundo renovasti, da ut omnibus linguis omnes ubique praedicent gloriam filii tui Jesu, ut confundas linguas pseudoapostolorum, qui conjurati substruunt impiam turrim Babel, tuam gloriam obscurare conantes, dum suam student attollere: quum uni tibi debeatur omnis gloria cum Jesu filio tuo unigenito, Domino nostro, et Spiritu Sancto in aeterna secula.' Quae omnia non vanus ingenii et verborum lusus erant, sed multorum sententias egregie, ut ipsi testabantur, exprimebant.

V.

Ex Erasmi verbis, supra allatis, satis apparet, tum quanta fiducia futuram eorum, a quorum parte stabat, victoriam exspectaverit et

1) Epp. XIII, 1.

novam quandam ecclesiae aetatem ab iis profecturam crediderit, tum quam recte pugnae inter Reuchlinum et monachos exortae gravitatem ac pondus judicaverit. Revera vix quidquam monasticae parti majorem apud aequales ignominiam attulit, quam ejusdem adversus Hebraicos libros et praeclarum eorum patronum conjuratio. Simul patuit, quid illa pars etiam sub tali Papa, qui bonarum litterarum fautor esset, contra veritatem et justitiam Romae valeret. Eo fortius periculis inde imminentibus obviam eundum esse praestantissimi illius aetatis viri arbitrabantur. De magna et ipsorum omnium communi re agi persuasum habebant. Reuchlinus quidem de praeposteris singulis tantum hominibus, non de universae ecclesiae condicione questus erat. Sed quam prava haec esset quantaque reformatione egeret, venerandus senex omnibus, quae fecerat et passus erat, quasi invitus coram eruditis viris manifestaverat. Eorum igitur, qui ejusmodi reformationem iis quae diximus eruditionis auxiliis salva ecclesiae unitate ac pace paulatim efficere studebant, dux et princeps Erasmus exstitit. Qui qualem quantamque vim ante certamen cum Luthero exortum in aequales exercuerit, nunc mihi exponendum erit. Qua in re etiam ex posterioribus ejus libris afferre nonnulla non dubitabo, si eadem illic, quae jam antea docuerat, aptissime expressa invenerim. Unde simul apparebit, quantopere in summa rerum semper sibi constiterit.

Eo tempore, quo Lutherus, Romanae ecclesiae adhuc addictissimus, contra foedissimam indulgentiarum nundinationem exsurrexit, Erasmus mature senescens, sed ingenio semper juvenis, ad gloriae culmen pervenerat. In magna illa, quam diximus, republica litteraria, per Europam propagata, et quod ad studia humanitatis et quod ad theologiam pertinet, primus locus consentientibus omnibus ei dabatur. Nec frustra Germaniae decus vel astrum, seculi miraculum vocatus est. Quippe incredibili ingenii fecundia, celeritate, sollertia de diversissimis rebus, tum ad doctrinas philologicas et theologicas, tum ad communem vitam civilem et ecclesiasticam spectantibus, praeclare egit, epistolas, dialogos, commentationes feliciter composuit, compositorum argumenta contra adversarios strenue defendit. Immensae molis monumenta, et classicorum qui dicuntur scriptorum et Patrum ecclesiae opera edidit, critice emendavit, ex Graeco latine vertit, aequalibus explicata atque commendata proposuit. Tam varias res partim ipse primus aggressus est, partim, si qui similia antea tentaverant, omnes fere tantopere superavit, ut et talium studiorum verus auctor esse omnibus videretur. Neminem de tot tamque diversis eruditionis partibus eodem jure, atque Erasmum, ferebatur dicere posse:

Avia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita solo.

Et Julius Caesar Scaliger, qui postquam viventem odiose perstrinxit, mortuum poenitens celebravit, orbem illi parvum fuisse dixit, ut altae mentis flumina expleret. Sic Erasmus et elegantioribus studiis et purioribus atque altioribus quasi januam ubique aperuit. Etiam in ecclesia contra osores diu praevaluit gratus erga illum optimorum virorum animus. Inprimis magni ac praeclari per omnes terras ii labores habebantur, quos in Novum Testamentum impenderat. Cujus textum Graecum ipse primus et typis expressum edidit, et data nova versione Latina adjunctisque adnotationibus ac paraphrasibus pro viribus suis tam egregie explicavit, ut jure diceretur, neminem ante eum eandem graece illud legendi atque intellegendi facilitatem Occidentalibus praebuisse. Quae omnia nisi pari diligentia consideraverimus ac ponderaverimus, miram auctoritatem, qua inter aequales ille floruit, neque comprehendemus neque recte judicabimus.

Hanc auctoritatem, qua Erasmus ad promovendam saniorem pietatem christianam semper deinde usus est, initio profectam esse constat ab eximia, qua polluit, antiquarum litterarum scientia et Latina facundia. Eam gloriam primum obtinuit ingenti ‚adagiorum' opere. Quod summa omnium admiratione exceptum et multis editionibus longe lateque sparsum est. Ex antiquis nimirum scriptoribus largissimam praebuit eruditionis, meditationis, delectationis materiem, eamque cum variis rerum praesentium rationibus lepide consociatam. Satis longa secuta est series tot ejusdem abundantis ingenii ac pertinacis laboris operum, ad classicae antiquitatis studia pertinentium. Quae quamquam omnia ubique fere summa cupidine devorabantur, ceteris famosior tamen exstitit lusus quidam ingenii, ‚encomii morias' nomine insignis. Hoc libello ex more aequalibus usitatissimo et gratissimo Stultitia ut generis humani domina ita describitur, ut communis vitae, qualis tunc erat, quasi speculum exhibeatur, graphice et asperso sale adumbratis mortalibus, sexu, aetate, genere, ordine, negotio diversis. Haec omnia, a nostro sentiendi modo partim aliena, tunc clarissimi omnium fere gentium viri incredibili admiratione excipiebant. Illic id, quod quaerebant, invenisse sibi videbantur, ingenium liberali veterum studio vere expolitum atque excultum et elegantem latinitatem eamque Graecis flosculis pulcherrime passim interstinctam. Nos veterum, inprimis Graecorum, ingenium altius hodie et accuratius quam illorum temporum homines amplecti possumus. Sed tunc longe plures quam nunc summo nobisque fere inaudito animi fervore, quidquid illius ingenii

amplectebantur, quasi in suum succum et sanguinem vertere studebant. Veterum libros non satis intellegere posse sibi videbantur, nisi ipsi similiter loquerentur ac scriberent. Sic inter viros eruditos multi Graecae, omnes Latinae orationis facultatem assequebantur. Graece tunc vel totas vel ex parte scriptas haud paucas clarissimorum virorum epistolas reperimus. Latine loqui et scribere jam per medium aevum magna eruditionis pars semper fuerat; nunc vero barbarae istius latinitatis loco sincera quaedam et elegans necessaria habebatur, ut quis veterum ingenio se initiatum et inter viros doctos civitate dignum esse probaret.[1] Quare unus ex iis de purioris latinitatis sacramento quondam locutus est. Immo interdum factum est, ut inepti homines elegantibus phrasibus plus quam merebant gloriae adipiscerentur. Etiam inter viros haud ita condemnendos Cicero serviles imitatores habebat. Dici quidem non potest, argumenta veterum scriptorum neglecta esse; sed in conscribendis libris turpiores elocutionis quam tractati argumenti maculas multi putabant, jam ipsam elegantis veterum sermonis imitationem nimio aestimantes. Eousque multi vel praestantissimi illius aetatis homines liberalium artium amore incensi et antiquarum litterarum dulcedine rapti, deleniti et, ut venia sit verbo, quasi fascinati erant. Eo animo imbuti legendi aviditate flagrabant. Desiderabant omnes ingentium thesaurorum vix reclusorum quam celerrimum copiosissimumque accessum. Huic desiderio qui satisfaceret nemo tanta quanta Erasmus et facilitate ingenii et ubertate idoneus erat.

Qui, quod semel aggressus sit, confitetur ‚fere perpetuo cursu se absolvere nec castigandi taedium unquam devorare potuisse.' Interdum etiam concinnitatis cujusdam in componendis libris mire incuriosus est. Sic in colloquiis editis juxta puerilia et revera pueris destinata inveniuntur alia, quae ingeniosissimis lepidissimisque sui generis scriptis plenissimo jure adnumerantur. Semper fere extemporali dicendi genere usus est, tam celeriter paginas implens, ut prela scribentem sequi vix possent. Non mirum, quod artis typographicae inventionem summis saepe laudibus effert. Nemo ante eum illius ope ad erudiendos et commovendos aequalium animos tam industrie et feliciter usus erat. Hac ex parte quodammodo eorum antesignanus est, qui postea ephemeridas edendo similia tentaverunt.[2] Etenim Erasmus scripta sua ex intervallo quam brevissimo se invicem sequentia saepius emisit. Quam

1) Cf. Commentatio mea de reipublicae litterariae originibus p. 16 s.

2) Cf. Durand de Laur, Erasme précurseur et initiatur de l'esprit moderne II. p. 23 s. 44.

paucis diebus hunc vel illum librum perfecerit, ipse adnotat; Horatiano praecepto non ita valde commotus est, quum vel ,curam, quam ille requirat, non temporum spatiis, sed intentione metiendum' censeat, vel praeter utilitatem lectoris nihil se spectasse significet. Huic pro sui temporis condicione egregie profecto consuluit. Nobis omnia aeque prodesse et arridere nequeunt; haud pauca tamen etiam nobis scriptorem exhibent inter summa omnium temporum ingenia ponendum. Talem jam Lutherus illum depingit, qui ,magnum et multis iisque nobilissimis dotibus a Deo ornatum' eum vocat, inprimis ,ingenio, eruditione facundia usque ad miraculum.' Cujus gloriae memoria quaedam usque ad nostra tempora pervenerat, sed quasi languida et emortua, quum, quam nostrae aetatis indoles flagitabat rationem, ea nemo Erasmum, in sola fere eruditionis et controversiarum historia nominatum, satis diligenter et ingeniose contemplatus esset. Id primus Nisardus eximie praestitit, quem alii in Francogallia secuti sunt. Illi ostenderunt Erasmum, quum in satirae historia peculiarem locum teneat quumque sale Attico atque hilari quadam petulantia et audacia, licet purior et innocentior, certet cum Voltario, simul piarum meditationum et affectuum altitudine atque excelsitate, sincere et praeclare expressa, ad pulcherrima quaedam scripta Patrum ecclesiae accedere, quibuscum jam olim theologus quidam Francogallus eum contulerit. Revera mira in eo vis conspicitur, qua diversissimis sermonis formis et coloribus ita utitur, ut semper sui similis sit, hac ex parte, quamquam poëta non erat, Goethio non dispar. Haud temere Lutherus de ejus facundia ,usque ad miraculum' locutus est.

Deplorat quodammodo Nisardus, quod tantus scriptor ad initiandum novum aevum natus mortua lingua usus sit. Quod tamen nimis serio accipi nolet. Felici quadam necessitate Erasmus eo perductus est, ut solo fere eo sermone uteretur, quo solo tunc id efficere potuit, quod debuit. Patriam quidem inferioris Germaniae linguam nunquam oblivioni dedit, sed per majorem vitae partem ab illis regionibus longe aberat. Neque superioris Germaniae dialecto, quam qui loquebantur per longum tempus civem eum secum habuere, unquam assuefactus est, neque eam, quae per Lutherum apud scriptores populares paulatim praevaluit, perfecte didicit. Inter Anglos, Francogallos, Italos peregrinans eorum linguae plus operae, quam ad vitae usum necesse erat, nunquam navavit. Semper fere et ubique latine tum cogitabat tum loquebatur, idque saepissime cum doctissimis ingeniosissimisque viris, qui cum Laurentio Valla judicabant, ,veteres Romanos, quum orbis imperium perdidissent, linguam suam ut optimam

frugem nationibus reliquisse et distribuisse per eamque ad optimas quasque artes, doctrinas, leges viam munivisse.‘ Unde factum est, ut haec lingua Erasmo etiam scribenti tanquam viva et vernacula praesto fuerit, ex cujus copia non aliter fere, quam veteres quondam scriptores, pro sua indole et ingenio haurit et sui propriam ac peculiarem orationem format. Ut Seneca, ut Plinius, ita Erasmus suum habet Latini sermonis stilum atque colorem. Omnia illic nativa sunt et quasi sua sponte profluunt. Acute lepideque elegantissimo libello, qui Ciceronianus inscriptus est, eos depingit et perstringit, qui externa ac servili antiqui auctoris imitatione eloquentiae laudem captaverunt. Si totum, inquit, vis exprimere Ciceronem, te ipsum non potes exprimere; si te ipsum non exprimis, mendax speculum tua fuerit oratio. Et quamvis magnis laudibus dicendi virtutes in Cicerone efferat, tamen ipse, ‚mavult aliquod dicendi genus solidius, astrictius, nervosius, minus comptum et magis masculum.‘ Immo istis verborum et syllabarum aucupibus, quod ad universum orationis colorem pertinet, praeponere audet magnos scholasticorum doctores, ut Thomam Aquinatem, quippe quorum oratio, licet barbarie partim squalens, proprius quam illorum elegantiae accesserit ad implendam legem Ciceronianam, ut dilucide, copiose, vehementer et apposite dicatur pro rei natura proque temporum ac personarum condicione. Hanc legem ipse Erasmus scriptis suis mirifice insecutus est. Non solum enim se ipsum expressit, sed simul, ut ita dicam, novi aevi tunc exorientis proprietatem, quam divinatione quadam amplexus est, a qua hodie nos toti pendemus. Cui aevo peculiare id potissimum erat, ut recentiores populi, ad suam cujusque indolem conformandam et consummandam, aliquid classici veterum ingenii in se reciperent atque cum suo ingenio consociarent et conflarent. Hanc rem Erasmus inter omnes gentes mirum quantum promovebat, quum non modo viam ad discendas humaniores litteras quam facillimam redderet, sed etiam, quidquid praestantissimorum tunc virorum animos movit atque occupavit, lingua cunctis illis usitatissima, tum bene Latina tum praesens tempus quasi spirante, praeclare exprimeret. Res ipsae per eum loqui videbantur. Itaque inerat in ejus oratione succus ille, quem Cicero laudat, et sanguis incorruptus, naturalis non fucatus nitor, denique cum ingenti ubertate et copia conjuncta suavitas atque hilaritas vere Attica. Etiam Melanchthon ‚Illius orationem,‘ inquit, ‚ipsae Charites undique floribus conspersisse videntur.‘

Quae non ea sententia ab hoc magno viro dicta sunt, quasi nil apud Erasmum nisi delectationem inveniri putaverit. Saepe quot utilissima opera ille perfecerit, quot scientiae semina sparserit, grata

mente Philippus meminit; cum ipsa delectatione aculeos eum in animis reliquisse indicat. Neque unquam dubitavit, quin Erasmus scriptis suis et indefessis laboribus seriae pietatis christianae munera implere studuerit. Sane ille, ut supra memoravimus, cum veterum sermone simul ingenium eorum amplexus est; quidquid in hoc virtutis, quidquid vere magni et excelsi est, et sibi et aequalibus quam plurimis familiare reddere nitebatur. Sic praeteriti aevi barbariem superandam censebat. Verum id recte fieri non posse sibi persuaserat nisi accedente animo christiano; qui si deesset, aliam quandam barbariem eruditam ex illis studiis exorturam esse saepius significavit. Neque ecclesiam bonis litteris, neque bonas litteras christiana religione carere posse monebat. Id inde a Patrum Alexandrinorum et Antiochiensium tempore vix quisquam tanta vel animi libertate vel ingenii et eruditionis amplitudine docuerat. In ea maxime re dici potest, Erasmum etiam humanistas, qui antea simile aliquid voluerant, tantopere superasse, ut novus quasi inceptor factus sit sive (id quod idem est) ad magnum Patrum illorum inceptum tam diu aliquatenus intermissum primus plene redierit. Sic ut reformator cum doctrinae philologicae tum sacrorum studiorum, immo, quod ad investigandi methodum pertinet, ut universae theologiae recentioris pater nuper ab insigni quodam Francogallo, Laurio, jure descriptus est.[1]

Quae omnia multi, etiam qui partium iram haud sequuntur, non modo non in Erasmo agnoscunt, sed injustissime omnem illius theologiam spernunt. Innumeris operibus suis theologicis merae eruditionis et gloriae delicias eum captasse potius quam ex altiore rerum divinarum studio profectum esse judicant, quoniam tot praeclaras et excelsas virtutes negligentes aliquid non tantum sceptici sed etiam frivoli animi in eo conspicere sibi videntur. Sed de iis, quae veritatis amore ductus in traditionibus et dogmatum formis in dubium vocavit, suis locis infra disputabimus; in tanto illo, quod diximus, incepto plus semel errare humanum erat; biblicae et ecclesiasticae doctrinae fundamenta sincere semper atque intimo animo servavit. Quod ad pauca ea attinet, quae in nonnullis ejus scriptis, praecipue in encomio stultitiae et in singulis quibusdam colloquiis, parum sobrie et honeste dicta censentur, primum monendum est, multis nos offendi quae neminem fere offenderunt illo tempore, quo piissimi viri et catholici

1) Cf. Durand de Laur, Érasme vol. II inprimis Cap. V: Érasme réformateur des études sacrées. Cap. VII: Érasme fondateur de l'exégèse biblique chez les modernes.

et evangelici cunctas Terentianas comoedias pueris legendas proposuerunt. ‚Stultitiae encomium' non tantum Leo X. (tametsi Curiae corruptio severe illic castigatur), verum etiam viri biblicis studiis toti dediti, ut Joannes Coletus, libenter legerunt. Summus vir Joannes Holbein additis pulcherrimis imaginum lineamentis celeberrimum opusculum ornavit, Morus ejusdem apologiam composuit. Quod ipse Erasmus adversus Dorpium amicum ita defendit, ut ne Christianis quidem Horatiano illo ‚ridentem dicere verum' interdictum esse demonstret; sic subausteram veritatem facilius penetrare in animos mortalium; hoc mel esse quod apud poëtam medici pueris medentes absinthii poculo praelinant.[1] Quod ‚jocosum admonendi genus' Erasmus adhibens nonnulla praestitit, quae clarissimis lepidissimisque ingenii lusibus jure semper adnumerabuntur; alia minus feliciter ei cesserunt; pauca vero, ut in tanta mole, justo incautius et levius dixit, partim eo peccans, quod similiter atque summi quidam ejusdem seculi poëtae, Torquatus Tasso, Ludovicus de Camoëns, alii, christianas ac paganas sentiendi formas parum congruenter consociat, partim eo, quod petulantiam illam, ad quam innata verbis ludendi et illudendi facilitas vergere solet, non satis coërcet atque moderatur. Quae quidem omnia defendere in animo non est, neque de iis, quae justo severius judicari mihi videntur, hoc loco disputabo. Hoc dico: quo magis varia et diversa dona Deus interdum in uno magno viro conjuncta esse voluerit, eo difficilius huic esse, omnia ita temperare, ut ad certam quandam aequabilitatem et quasi concentum conveniant. Quod si Erasmo, ut ad humanas res investigandas et critice disquirendas singularis sagacitas, sollertia, audacia, ita ad apte dicenda quaecunque cogitabat et ad festiva oratione ludendum rara facilitas data erat, certe ipse ut Christianus voluit, etiam horum donorum usum cum coelesti vocatione, quam super omnia posuit, semper et ubique convenire. Quem finem etsi ut homo plane assecutus non est, nos non decet de ipsa ejus voluntate illa addubitare. Credendum ei est, quod saepius affirmat, eo se animo esse, ut nolit in libris suis residere quod pugnet cum christiana pietate.[2] Quidquid enim jure in eo desideratur et vituperatur, a pietatis simulatione remotissimus erat; quid persequatur, quantum ab assequendo absit, candide profert.

Certo, si quis aliquantulo propius ad Erasmi scripta accesserit, id facile perspiciet, non tantum singulorum ejus operum, sed totius vitae summum laborem in eo fuisse positum, ut humaniores litteras cum

---

1) Epp. XXXI, 42. 2) Cf. epp. XX, 14.

christiana religione arctissimo vinculo conjungeret. Ea potissimum re optimis sui temporis viris placuit et quasi ex eorum animo locutus est. Quorum uni scribit: ,Mihi semper fuit hic animus, ut excitarem bonarum studia litterarum, partim ut inciperent et bonae litterae sonare Christum, quae quidem, ut apud Italos, hactenus nihil aliud quam paganismum crepant; partim ut ex accessione linguarum ac politioris litteraturae nonnihil fructus ac lucis adjungeretur studiis hactenus in scholis receptis.' Quae studía quod merum quendam Judaismum sapiant, quoniam christiana religio in externis rebus paene solis ponatur, saepissime queritur. Neque addere omittit inde fieri, ut vulgus, stultis superstitionibus nutritum, ad alterum quoddam rudius paganismi genus trahatur. Quibus omnibus erroribus opponit puriorem et spiritualem, quem dicit, christianismum ex evangelii fonte hauriendum.

De erudito illo novo paganismo jam dictum est. Quod malum quam late serpserit ac prodierit, Erasmus passim describit. Acerrimas talium paganorum inimicitias plus semel suscepit. Distinguit tamen varia eorum genera, sicuti et Melanchthon, de iisdem loquens, alios dicit irridere religiones omnes, alios probare illa, quae humanae rationi consentanea putent, cetera fabulosa esse arbitrari et similia tragoediis poëtarum.[1] Nonnullos Erasmus existimat ceteris meliores, qui ecclesiae abusibus deterriti, puriore doctrina sint conciliandi. Inprimis vero adolescentes, ne male usitata eruditione illuc trahantur admonet. ,Christi esse puta', inquit, quidquid unquam veri offenderis. Litteras amas, recte, si propter Christum; sin ideo tantum amas ut scias, ibi consistis, unde gradum facere oportebat. Satius est minus sapere et amare magis quam magis sapere et non amare.' Facillime sane fieri ait, ut, qui neglecta sacra scriptura toti in ethnica scripta incumbant, ipsi ethnicismum contrahant et ad bonas litteras velut ad Sirenaeos scopulos senescant. Tales describit quosdam ex Ciceronianis qui vocabantur. In epistola ad Vergaram Graecarum litterarum apud Complutenses professorem, ,hos', inquit, male habet, bonas litteras sonare Christum, quasi nihil sit elegans, quod non sit ethnicum. Istorum auribus lepidius sonat Jupiter optimus maximus quam Jesus Christus redemptor mundi: et Patres conscripti jucundius sonat quam sancti Apostoli. — Quid sibi vult ista Ciceroniani nominis tam odiosa jactatio? Dicam paucis sed velut in aurem. Hoc fuco tegunt paganismum, qui carior est illis Christi gloria. Me non admodum poenitet e Ciceronianorum albo eradi, modo scribar in albo Christianorum.'

1) In apol. conf. August. art. IV.

Et in Ciceroniano dialogo egregie explicat, quantum isti imitatores distent a vegeta Ciceronis mente et vita, unde, quidquid in eo sit vere magnum, emanaverit. Depingit eos, venia sit verbo, tanquam Romanticos, qui nuperrime apud nos vocati sunt, utpote qui id, quod in veterum temporum indole quasi aetate decrepitum transiit, artificiose repetere ac reficere tentent, a vividis vero praesentis aevi viribus, semper adhuc in christiana religione positis, morbida pertinacia abhorreant. Ipse eruditos suae aetatis viros quam familiarissimos vult reddere classicae antiquitati, sed ita, ut inde eo majore sollertia et scientia ad res christianas semper revertantur. Hoc animo etiam Ciceronis exemplo utendum esse docet. ‚Qui pari studio', inquit, ‚sese exercebit in cognitione philosophiae christianae, quo ille se exercuit in profanae: qui eo affectu imbibet psalmos et prophetas, quo ille poëtarum libros: qui tanta vigilantia studebit cognoscere apostolorum decreta, ecclesiae ritus, primordia progressus ac deliquium reipublicae christianae, quanta ille laboravit Urbis Romanae, provinciarum, municipiorum et sociorum jura legesque perdiscere, tum qui quod his omnibus studiis comparatum est, ad res praesentes accommodabit, is poterit aliquo jure Ciceroniani cognomen ambire.'

Eodem studio, quo impios illos classicae vetustatis admiratores, superstitiosos et barbaros ejusdem contemptores impugnavit. Idque fecit seria sollicitudine de praesenti et futura ecclesiae condicione commotus. Quippe hanc laborare vidit Judaismo sive Pharisaismo illo, quo factum erat, ut in legibus ac caerimoniis, non in divina promissione et evangelio salus poneretur. Quod malum inde ab eo maxime tempore viguisse censet, quo bonae litterae et biblica studia, postquam sub Carolo Magno floruerunt, languescere coeperant. Ideo in epistola, qua paraphrasin evangelii Joannei Ferdinando Caesaris fratri dedicat, magnopere queritur, quod ex evangelicae doctrinae neglectu his fere quadringentis annis christianorum mores partim in vitam plus quam ethnicam reciderint, partim in Judaismum quendam degenerarint; se ingenue quidem fateri, nullis seculis defuisse, apud quos evangelio suus constiterit honor, sed tamen ejus vigorem apud plerosque refrixisse; quo magis omnibus studiis nitendum, ut igniculum illud pro sua quisque parte reficiat, quod aeterna veritas dominus noster Jesus miserit in terram; confugiendum igitur esse, id quod recte moneat Hilarius, ad purissimos divinae scripturae fontes, quorum purissima et illibatissima pars sint evangelia.

Illum vero Judaismi morbum ali dicebat a monachorum potissimum longe plurimis, acerrimis omnium abusuum et superstitionum

patronis, utpote qui christianam ecclesiam non spiritualem communionem sed imperium externum esse vellent, sub Papa constitutum, in quo ad ipsorum nutum omnia gererentur. In hoc scilicet omnes consentire, licet alias titulorum, vestium, rituum, sententiarum varietate inter se certantes. Quare illos, id quod Erasmus ipsum Papae scribam, Grunnium, admonere audet,[1] auctoritatem Pontificiam, quoties ipsis commoda atque utilis sit, immodice verbis extollere et exaggerare, quoties incommoda, eandem pro stipula habere et contra Pontificem animose contendere, ‚edictis ejus strenue oppedere,' ipsis dominis suis haud raro formidabiles. Nihil vero magis exosum iis esse quam bonas litteras et linguarum studia, quae ubi serio et funditus exculta fuerint, suum regnum stare non posse divinentur. Propterea etiam in scholis barbaras theologiae scholasticae, jamdudum degeneratae, traditiones mordicus tenere et contra illucescentem meliorem scientiam defendere conabantur, quod quum nisi violato veritatis et justitiae sensu adhibitisque sophisticis artibus fieri nullo modo posset, Erasmus non tantum pharisaeos sed etiam sophistas nominare eos solitus est. Quibus in oppugnandis eadem nimia interdum violentia uti amicis videbatur, quam ipse postea in Luthero vituperabat. In universum tamen etiam adversariis justum se praebere studebat; erant, ‚quos superstitione peccasse magis quam malitiosa voluntate' arbitraretur; quosdam ad agnoscendam veritatem perduci posse non desperabat. Ea mente ad Hochstratum, Eckium, Beddam, alios ipse epistolas scripsit. Se etiam inter monachos amicos habere vere pios et eruditos, oblivisci interdum videtur; meminit tamen, saepius diserte eos distinguens a pseudomonachis, qui sibi solis religionis et religiosorum vocabula arrogent, ‚vitiis indulgere leve ducant, vestem abjicere abominandum.' Historia duce ostendit, quantum monasteria quondam profuerint ecclesiae, sed refellit falsas opiniones de apostolica monachatus origine; Augustinianorum quorundam iram excitare non veretur, quum sanctum Augustinum non talem, quales ipsi sint, monachum pariter vestitum fuisse probat. Nec modo singulorum hominum, verum etiam ipsarum legum institutorumque damna detegere non dubitat. Pluribus annis antequam Lutherus exortus esset, ad Grunnium scribam illum haec epistolae verba mittit Leoni X. legenda: ‚Si vere piorum ac spiritualium sententia plus valeret quam crassorum judicia, nullum posthac votum insolubile praeter vota baptismi.'

---

1) Cf. epp. XXIV s. Cf. XX, 14; XXII, 29; XXIII, 6 etc.

Etiam de scholasticis, quorum sententiis maxime nitebantur monachi, juste et aeque judicare studuit, historiam iterum magistram secutus, cujus notitiam, quum reipublicae christianae ,primordia, progressum, deliquium' ut nemo aequalium assidue et accurate investigaret, ex ingenti fontium copia hauserat. Doctrinam evangelicam cum priorum seculorum apologetis philosophiam christianam vocare solet. ,Haec', inquit, ,olim credebatur, non disputabatur, et pia simplicitas hominum sacrorum voluminum oraculis erat contenta; nec egebat variis praescriptis ultro prompta caritas, omnia credens, nusquam haerens. Mox theologiae patrocinium capessebant humanis instructi disciplinis, sed ferme his quas hodie rhetoricas vulgus appellat. Paulatim magis ac magis adhiberi coepit philosophia, primum Platonica, mox Aristotelica; coeptum quaeri de multis, quae vel ad mores, vel coelestium rerum speculationem pertinere videbantur. Quae res primum visa est propemodum necessaria. At sensim eo succrevit, ut plerique, neglecta linguarum et politioris litteraturae peritia, immo neglectis divinis voluminibus, in curiosis, supervacaneis et immodicis quaestiunculis, velut ad Sireneos scopulos, consenescerent. Jam ars esse coepit theologia potius quam sapientia, theatrica verius, quam ad veram pietatem accommoda; hanc praeter ambitionem avaritiamque vitiarunt et aliae pestes, adulatio, contentio ac superstitio. Quibus rebus tandem eo ventum est, ut Christus ille purus propemodum esset obrutus humanis argumentationibus et limpidissimi quondam evangelicae doctrinae fontes Philistaeorum scrobe oppleti.'

Haec scribit ad Carpegium Cardinalem.[1] Addit, quod et illi agnoscendum erat, in scholasticis sui temporis diatribis plus esse dentis, quam eruditionis, plus convicii quam judicii, plus studiorum quam libertatis. Simul vero similiter atque postea Leibnitius, quae laudabiliora erant in scholasticis doctrinis, libenter praedicat. Haec nequaquam abolenda esse dicit, sed ,cum maximo generis humani bono tradenda in scholis publicis.' Ne Scotum quidem (cui prae ceteris quondam apud Parisienses operam dederat) prorsus spernit, licet cum in ipsum, tum in Scotistas acrius haud raro invehatur. Thomam, a quo item saepe dissentit, multis locis honorifice memorat. Sed vituperat Dominicanos, qui Thomae decreta vel aequiparent vel praeferant evangelio. Ut in quovis doctore scholastico meliora teneri possint, purgatione et emendatione ubique opus esse contendit. Quam reformationem quum Bedda detrectare visus fuerit, quaerit ad quaenam

1) Epp. XXIX, 74.

scholasticorum dogmata, velut ad sacram ancoram, confugiendum esse putet; variasse enim illa cum suis sectis et seculis: regnasse aliquando Alexandrum Halensem, successisse Thomam, successisse Scotum; Albertum habuisse suum seculum, Gersonem suum, floruisse aliquando factionem Realium, quam vocent; nunc regnare fere Nominalium. In prioribus posteriores semper invenisse errata, sic in Petro Lombardo, in Thoma, in Scoto. Addit ironice, fortasse aetatem secuturam esse, quae et in magistris nunc florentibus, Beddae sociis, scilicet in Tartareto aut Sutore, deprehendat quae jure damnet.[1] Nec vero christianae sapientiae esse censet, si qui ex tot sententiarum inter se pugnantium conflictione ad unum quempiam veterum scholasticorum, velut ad certissimum veritatis doctorem, confugiant. Ad vera et falsa rite discernenda altiorem desiderari auctoritatem. Quare necessitate quadam factum esse, ut jam pleraeque scholae nec Thomae sese addicant nec Scoto, sed ad magis sobriam scripturarum tractationem se conferant. Queritur quod sint theologi, qui canonicas scripturas nunquam totas evolverint. Ad audiendum Petrum et Paulum illos vocat, ad Joannem, qui, ‚quod ex sancto pectoris fonte hauserat, id suis expressit litteris.‘ ‚Quid quaeso simile‘, inquit, ‚in Scoto, quid simile in Thoma? Quamquam illius ingenium admiror, hujus etiam veneror sanctimoniam. Cur non in tantis auctoribus philosophamur omnes?[2] ‚Sic tantum doctrinae christianae pristina sua reddi potest simplicitas ac majestas.‘

Sed id quominus fiat, prohiberi videt ipso Judaismi illius morbo per ecclesiam longe lateque serpente. ‚Sic olim‘, scribit Campegio, ‚evangelicae doctrinae mustum aversabantur Judaei, veteri vino Mosaicae legis assueti et contumeliam id interpretabantur, quo prior illa lex et perficiebatur et ornabatur, ac novitatem habebant invisam, quum potius ad priscam vetustatem revocarentur.‘ Quae non ita eum dixisse, quasi ipsum evangelium nihil nisi novam et perfectiorem legem esse existimaverit, jam inde apparet, quod adversus morbum illum Pauli apostoli potissimum doctrina ut remedio utendum esse ante Lutherum docuit. Sic illius seculi anno sexto et decimo Capitoni Alsato scribit: ‚Nuper exierunt in vulgus aliquot libelli merum Judaismum resipientes. Video quantum sudarit Paulus ille noster, quo Christum a Judaismo vindicaret.‘ Admonet Capitonem, ut tanto malo fortiter resistat pro pietate sua, quam sciat nihil aliud spectaturam esse quam Christum.[3] Eodem animo sequente anno decimo septimo paraphrasin epistolae ad

1) Epp. XIX, 21. 2) Opp. IX, 467. IV, 143. 3) Epp. I, 4.

Romanos Dominico Cardinali Grimano dedicans ipsam Romam alloquitur verbis memoria dignis, quorum nonnulla infra ponimus etiam nunc non neglegenda: ‚Amplectere, Roma, principem aut certe praecipuum religionis tuae magistrum. Exosculare priscae laudis tuae praeconem. Redama eum, qui te nondum visam adamavit. Vide, ne e Roma degeneres in Babylonem.‘

Neque fugit Erasmum, apud Paulum ad superandum Judaismum summi momenti esse doctrinam de justificatione. Celeberrimum, qui ad eam pertinet, locum[1] paraphrasi sua ita reddit: ‚Sicut communis est omnium morbus et omnes pariter huc reciderunt, ut apud Deum de sua justitia gloriari non possint, ita eodem e fonte petenda cunctis justificatio, quae quidem haud rependitur ceu debita merces legis Mosaicae sive etiam naturae (sive etiam, id quod alias Erasmus diserte addit, ecclesiae), sed gratis donatur beneficentia divina, non per Mosen, sed per Jesum Christum, cujus sanguine redempti sumus à tyrannide peccati.‘ Summis periculis eos patere dicit, qui fiduciam posuerint in meritis et factis.[2] Immo alio loco: ‚Beneficii Christi participes esse non possunt, qui diffidunt. Nam soli fidei datur, non operibus.‘[3] Addit quod omnes et nos addimus: ‚Soli‘ non excludit futura opera. Verum haec non ex lege proficisci sed ex caritate per fidem in Christum accensa, cum Paulo docet. Et in ecclesiaste, qui libellus est de ratione concionandi, hanc refert Tychonii regulam a Sancto Augustino probatam: ‚Evangelium est promissio gratiae per fidem absque operibus. Lex mandatis terret ac dejicit conscientias, exigens opera, quum gratiam non addat. Omnia autem bona opera ex fide velut e radice nascuntur et aluntur.‘[4]

Quod si Erasmus vel evangelia vel Pauli epistolas ut libros principales passim praedicat, nunquam tamen obliviscitur, totam scripturam sacram divinitus datam esse ecclesiae, ut sana divinarum rerum doctrina inde hauriatur. Itaque non modo Vetus Testamentum cum novo confert, verum etiam in ipsis scriptis apostolicis varias doctrinae formas et quasi typos contemplatur; quod quanti momenti sit nostra demum aetas iterum perspexit. Miram et excelsam quandam harmoniam invenit in scriptura et liberius et altius spectata. ‚Non confundit hanc harmoniam‘, inquit, ‚Christi varietas: immo sicut e diversis vocibus apte compositis concentus suavissimus redditur, ita Christi varietas pleniorem efficit concentum. Sic omnia factus est

1) Rom. 3, 23. 24. 2) Opp. IX p. 74. 3) Ibidem p. 564.
4) Est Tychonia regula III. cf. August. de doctr. Christ. III, 35.

omnibus, ut nusquam tamen sui dissimilis esset.' Idcirco eum, prout necesse sit, modo divinae, modo humanae naturae indicia proferre, modo hanc modo illam ejusdem veritatis quasi faciem detegere ostendit; in hujusmodi varietatibus convenire philosophari et pia curiositate divini consilii scrutari mysterium. Eo animo universam scripturam religiose esse pervestigandam.[1] Id vero recte accurateque fieri non posse intellexit nisi exculto ubique in scholis linguarum studio illo, quod recens excitatum erat, et adhibita ea exegeseos methodo, quam nos philologicam, criticam, historicam vocamus. Quam quidem methodum statim ad perfectionem per eum perductam non esse, nemo prudens mirabitur; ut paulatim eo perduceretur, aequalibus et posteris, ut vix alius quisquam, viam munivit. Et id vere magnum in Erasmo, quod se nihil nisi initium facere laboris per longa tempora continuandi clare cognovit. ,In quibusdam', inquit, ,coacti sumus vetus sequi proverbium: Non ut volumus sed ut possumus. — Non fraudatur sua laude qui pro tempore quod potuit praestitit, ac viam aperuit ceteris elimatiora moliendi.' Ipse alias, ut vidimus, adhibendae limae impatiens, in biblicis studiis corrigendi et emendandi laborem non fugit. Iteratas Novi Testamenti editiones ,diligenter recognitas' suo jure appellat. Ceterum totam quantum poterat scripturam amplexus, ad interpretandum Novum Testamentum magis idoneus erat; in Vetere singula tantum altius et accuratius tractavit. Gravioribus intentus parva non neglexit. Etiam ad formam orationis, bibliorum propriam, diligenter attendit. Sic jam diversa parallelismi membrorum, quem nos dicimus, genera distinguit, hebraicae maxime poëseos propria, quum ejusdem versus stichis vel similia, vel contraria, vel eadem aliis verbis repetita juxta ponuntur.[2] De minutiis quibusdam Graecae linguae, quas in adnotationibus ad Novum Testamentum attigit, recte dicit: ,Sunt haec minutissima, fateor; verum ob haec minima videmus maximos etiam theologos nonnunquam et labi turpiter et hallucinari.' Ipsam vulgatam versionem saepissime ex Graeco fonte corrigere studet, qua in re interdum ipsum errare mirum non est. In prima textus Graeci editione verba notissima de tribus testibus coelestibus, quae apud Latinos epistolae Joanneae primae inserta sunt, ut suppositicia recte omisit. Quod ad rerum et sententiarum biblicarum explicationem pertinet, traditionem ecclesiae nec leviter vult sperni, nec pro immutabili auctoritate haberi, quippe qua jam idcirco pollere illa nequeat, quia ne minime quidem tantus sit veterum consensus, quantus vulgo existi-

1) Opp. V p. 92. 93. 2) Opp. V 1007 (in ecclesiaste).

metur. Quam rem nemini scit dubiam fore, qui ipsos Patres diligentius inspexerit. Hieronymum ut interpretem quam plurimi facit, sed plus censet in Graecis interpretandis valere Graecos.

A Chrysostomo potissimum sanius illud et liberius de historicis rebus judicium didicisse videtur, quod Antiochenae quondam scholae peculiare erat, a serioris vero ecclesiae inprimis Romanae ingenio valde abhorrebat. Unde factum est, ut haud pauca, quae veteres Patres sine periculo dixerant, jam cum horrore quodam rejicerentur. Cujus rei exemplum refero epistolam, quam Eckius paulo ante, quam adversus Lutherum disputavit, sub amicitiae specie ad Erasmum scripsit. Illic laudes et adulatio cum diris haereseos suspicionibus mire mixtae sunt. Quippe male tulerat, quod ille in biblicis scriptoribus, coelestem thesaurum in vasis fictilibus ferentibus, humanam quandam debilitatem passim agnoverat. Cui Erasmus digne respondens, ‚Non protinus,' inquit, ‚vacillat ut tu scribis totius auctoritas scripturae, sicubi memoria lapsus evangelista nomen ponat pro nomine, quum hinc cardo rei non pendeat. Ut enim non protinus de tota Petri vita male sentimus, quod Augustinus et Ambrosius affirment illum et post acceptum coelestem spiritum alicubi lapsum esse, ita non continuo fides omnis abrogatur libro, qui naevum aliquem habeat. Neque protinus illis adimimus spiritum sanctum; sed fortasse nostrum non est praescribere, quomodo spiritus ille discipulorum organum temperarit, qui sic illis aderat, quatenus ad evangelii negotium pertinebat, ut tamen alicubi homines esse sineret. Similiter apostolorum causam agens excusavi illos, qui Graecitatem suam non ex orationibus Demosthenis, sed ex vulgi colloquio didicissent, quandoquidem ob Alexandrum victorem et Romanum imperium totus ferme Oriens, ut inquit Hieronymus, graece loquebatur. Quod si contendis hanc graecitatem, quam videmus in apostolicis litteris, esse donum coeleste, unde tanta sermonis ruditas, immo barbaries, quam dissimulare non possumus?' Deinde postquam de ea re ad Patres Graecos et ad Hieronymum provocavit, hisce verbis rem concludit: ‚Passus est errare suos Christus etiam post acceptum paracletum, at non usque ad fidei periculum, quemadmodum et hodie fatemur, ecclesiam alicubi labi posse, citra discrimen tamen pietatis ac fidei.'[1]

Quo apertius vero Erasmus, cogente veri conscientia, talia et similia prolocutus est, eo sinceriore reverentia et amore ipsa eloquia divina amplectebatur. Neque haesit unquam in doctis minutiis vel in

1) Epp. II, 26. 27.

singulis linguarum historiarumque quaestiunculis, sed haec omnia ad summum quendam finem dirigere studuit. Vera eruditione falsam oppugnare et superare sui officii duxit; summum bonum, ex scriptura hauriendum, sibi cum indoctis quibuslibet et simplicibus commune esse semper praedicavit. Hoc animo tot tantosque labores sacris voluminibus impendit. Jam primo illius seculi anno Coleto scripserat, ‚non dici posse quam velis equisque properet ad sacras litteras, quam omnia sibi fastidio sint, quae illinc se avocent aut etiam remorentur; liberum ac toto pectore divinas litteras se adgredi.‘ Multo post a Natali Bedda ad legendum, ut coram ecclesia sibi vilesceret, recentiorem quendam scriptorem scholasticum admonitus, haec respondet: ‚Quum neotericos hos scriptores in manus sumo, nescio quo pacto minus mihi displiceo, nec ulli libri magis me dejiciunt et pudefaciunt, quam evangelistarum et apostolorum.‘ Et alio loco, ‚In libris evangelicis,‘ inquit, ‚divina sapientia se mire demittit ad captum etiam infirmorum, ut nemo tam indoctus esse possit, quin ad evangelicam philosophiam sit docilis. Tantum adsit animus, quantumvis rudis, modo simplex, modo purus ac vacuus ab iis curis et cupiditatibus, quae doctissimos etiam Christo reddunt indociles.‘ Quapropter lecturos ad precandum hortatur, ut ille, qui pro contemptissimis etiam hominibus mortuus est, impertire iis dignetur spiritum suum.

Legendam autem esse scripturam ab omnibus censet, si fieri possit etiam a Turcis. Christianis et supremo et infimo loco positis hanc lectionem ut divinum quoddam privilegium pariter esse expetendam. Id ut indicaret, quum libros suos clarissimis viris dedicatos pro acceptissimis donis ab iis haberi videret, singulis evangeliis paraphrastice explicatis singula summorum Europae Principum nomina praemisit, adjectis verbis ad communem pacem et christianas virtutes colendas admonentibus. Ex quibus nonnulla hic afferam. In epistola ad Carolum V. leguntur haec: ‚Non doctor est evangelii Caesar, sed propugnator; fateor, sed interim par est non ignorare id, pro quo arma sumis. Legetur autem summo cum fructu, si quisque hoc animo sumet in manus, ut seipso reddatur melior; nec evangelicam scripturam ad suos accommodet affectus, sed suam vitam suasque cupiditates ad hujus regulam corrigat.‘ Ad Franciscum regem scribit: ‚Nihilo minus sanguinis Dominus omnium Jesus Christus effudit pro redimendis illis quamlibet contemptis, quam pro summis monarchis. Quumque venietur ad Christi tribunal, quo brevi sistendi sunt omnes quantumvis potentes hujus mundi satrapae, non minus exacte rationem exiget judex ille severus pro pauperculis illis quam pro satrapis ac magnatibus.‘ In

epistola ad Henricum VIII. Anglum depingit Christum ut medicum coelestem a Patre missum, qui ,in coelum reversus reliquerit nobis per apostolos suos pharmacum evangelicum, facile quidem et cuivis expositum, sed efficax siquis ut oportet sumpserit.' Tunc pergens, ,Ut autem utiliter sumas,' inquit, ,praecipue praestat fiducia erga medicum. Nec satis est gustasse, trajiciendum est in viscera, ut per omnes venas vim suam diffundat. Tum demum incipit concutere totum hominem odio pristinae vitae, sed hanc perturbationem sequitur magna animi tranquillitas. — Visne audire scammonium evangelicum? Poenitentiam agite. Jam securis ad radicem arboris posita est. Et omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exciditur. Itidem Paulus: Mortificate membra vestra, quae sunt supra terram, scortationem, immunditiem, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam.' Denique ex multis verbis gravissimis, quae Ferdinando, postea Germanorum regi, scripsit, haec excerpo: ,Non metus est, opinor, ne istos audiendos existimet tua prudentia, qui fortasse dicturi sunt, quum viderint evangelicam paraphrasin Ferdinando dicatam: Quid profano principi, quid juveni cum evangelio? Quasi vero soli omnium principibus apta munera deferant, qui de venatu, de alendis canibus, de habendis equis, de machinis bellicis aut fortasse de lusu aleae libellos offerunt. Ego contra sic existimo, philosophiam evangelicam, quum omnibus et summatibus et infimatibus et medioximis sit inprimis frugifera, nullis tamen magis esse necessariam quam potentissimis orbis monarchis.'

Contra eos, qui Laicos prohibebant a legendis sacris litteris, jam anno illius seculi quinto decimo locutus erat, quum psalmi primi verba illa interpretaretur: Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. ,In fontibus,' inquit, ,versetur oportet, qui velit esse vere theologus. Neque vero theologiam profitentium dumtaxat est meditari in lege Domini, nisi his solis beati nomen tribuendum esse putamus. Omnibus, qui beati velint esse, meditandum est in lege Domini. Legant et idiotae legem Domini, quacunque lingua, legant et Scythae, meditentur in ea pro sua virili. Scrutentur pro suo quisque captu, de hac inter se confabulentur, de hac colloquantur. Qualis vir, talis oratio: immo tales reddimur, qualis est nostra quotidiana confabulatio. Si nihil nisi de mundo loquamur, mundani simus oportet. At nunc sunt, qui summopere cavendum putant, ne quid vulgus attingat de litteris sacris, in popularem versis linguam; clamant eos nihil intellegere, prolabi in haereses. Quasi vero ea sit doctrina Christi, ut non nisi a paucis theologis possit intellegi. Immo ut ipso Christo nihil fuit communius, ita doctrina illius nihil popularius. Legat arator, erit quo

pascatur; legat eruditissimus, erit quod discat. Postremo, non tam ingenio quam pietate percipiuntur. Spiritus ea docet, non Aristoteles: gratia, non ratio: afflatus, non syllogismus. Si mystici sensus cognitio Divini Spiritus munere contingit, quod Paulus prophetiae donum appellat, cur plebem christianam universam ab hujus muneris consortio secludimus? An non potest Christi Spiritus impertire semet ipsum cui velit? Immo in quem potius solet descendere, quam in humilem et mansuetum?'[1]

Fusius eadem explicat in pulcherrima praefatione ad lectorem, quam post epistolam illam ad Caesarem evangelio Matthaei praemisit. ‚Non video cur idiotae sint ab evangelicis praecipue litteris ceu profani a sacris submovendi, quae doctis pariter et indoctis, quae Graecis aeque ac Scythis, quae servis itidem et liberis, quae feminis simul et viris, quae plebejis non minus atque regibus proditae sunt. Quod docent, quod pollicentur, ex aequo ad omnes pertinet. Judaeorum est populum celare sua mysteria, qui in umbris versabantur. Evangelica lux premi non sustinet. Olim in sancta sanctorum unus ingrediebatur sacerdos. At ubi templi velum in morte Domini scissum est, ad ipsum usque Christum, qui vere sanctus est sanctorum et sanctificator omnium, datus est omnibus aditus et exaltatus a terra omnia trahit ad se, qui cupit omnes salvos facere. Exclamant indignum facinus, si mulier aut coriarius loquatur de sacris litteris. At ego puellas quasdam mallem audire de Christo loquentes, quam quosdam summos vulgi opinione rabbinos. Increpat ille discipulos suos, qui prohiberent pueros adire se: Talium est enim, inquit, regnum coelorum. Neque nos igitur arceamus parvulos ab evangelica lectione. Fortasse Christus et illos complecti dignabitur sacrisque suis manibus contingere ac benedicere. Haec aetas pharisaeis obtrectantibus domino cecinit gratum Osanna. Ex hoc genere delegit evangelicae philosophiae discipulos, piscatores et idiotas. Pro his parvulis gratias agit patri: Confiteor tibi, Deus coeli et terrae, quod absconderis haec a sapientibus ac prudentibus et revelaveris ea parvulis, hoc est, juxta mundi judicium stultis. Saepenumero qui mundo contemptissimi sunt, apud Christum summo in pretio sunt, et quos mundus habet pro doctissimis, Christo sunt idiotae. De quibus loquitur Paulus, scribens Romanis: Evanuerunt in cogitationibus suis. — Neque vero haec dixerim, quo bonis doctoribus adimam auctoritatem suam, aut idiotis quibuslibet addam animos. Habet humana sapientia supercilium suum,

1) Opp. V 183.

sed habet et idiotarum inscitia non minus arrogans supercilium suum. Divus Hieronymus et virgines et viduas et conjugatas hortatur ad lectionem sacrorum voluminum et tamen queritur hujus scientiae professionem passim ab indignis arrogari. Sed ut professio nec a multis eruditis usurpatur satis modeste, ita nulli non permittendam arbitror sobriam ac piam vestigationem, praesertim eorum quae vitam reddunt meliorem. Porro quum in iis hortis varia genera deliciarum nascantur, decerpat sibi quisque quod commodum est. Consideremus, quos auditores habuerit ipse Christus, nonne promiscuam multitudinem et in hac caecos, claudos, mendicos, publicanos, centuriones, opifices, mulieres ac pueros? An gravetur ab iis legi, a quibus voluit audiri? — Quidam piaculum arbitrantur, si sacri libri vertantur in linguam Gallicam aut Britannicam. Sed evangelistae non veriti sunt graece scribere, quod Christus syriace locutus est. Neque Latini veriti sunt apostolorum sermonem in Romanam linguam vertere, hoc est, promiscuae multitudini prodere. Neque Hieronymo religio fuit sacras litteras dalmatice vertere. Equidem cupiam in omnes verti linguas. Christus pro omnibus mortuus est, ab omnibus cognosci desiderat. Cur indecorum videtur, si quisquam sonet evangelium ea lingua qua natus est et quam intelligit, Gallus gallice, Britannus britannice, Germanus germanice, Indus indice? Ego cum Divo Hieronymo sentiens gratuler gloriae crucis magnificumque cum primis et triumphale dixerim, si linguis omnibus ab omnium hominum genere celebretur, si stivam tenens arator aliquid sua lingua decantet e psalmis mysticis, si textor assidens telae nonnihil ex evangelio modulans soletur laborem.‘ Haec ut fieri quondam possent, meliore vulgi institutione opus esse optime intellexerat. Quam et scholis popularibus et publica evangelii praedicatione effici voluit. De utraque re nobis dicendum est.

Puerorum adolescentiumque eruditioni atque educationi prospicere ipse permultis ac variis scriptis studuit. In hanc rem intentus summus vir ad res vel minimas descendere nunquam veritus est. Sic ad obsistendum indecorae cuidam multorum aequalium rusticitati libellum composuit ‚de civilitate morum puerili.‘ Qui libellus, quamquam nonnulla in eo dubitationem vel risum facile movent, tamen in universum, quae pueros deceant, breviter tam egregie docet, ut omissis quibusdam a nostro more alienis, etiamnunc illorum enchiridion esse posse ingeniosis quibusdam Francogallis videatur.[1] Itaque per plura secula vel

1) Nisard l. c. p. 189. Durand de Laur l. c. II. p. 14 (in capite quod inscriptum est: Érasme réformateur de l'éducation).

diligenter adhibitus, vel similium opusculorum exemplum factus est.[1] Erasmus vult, ‚ut homo totus sit compositus animo, corpore, gestibus, vestitu,' inprimis puer nobilis; pro nobilibus vero omnes habendos esse ait, qui studiis liberalibus excolant animum. Vetat nativam pueri hilaritatem opprimi inutilibus morosisque praeceptis, sed quidquid in illo malae consuetudinis est, odit et castigat, hac quoque ex parte eum se praebens, quem laudat Grotius his verbis: ‚Nihil non vidit Erasmus.' Omnia autem tenerrima caritate illa egit, qua infantes, inprimis amicorum liberos, ut Frobenii summae spei puerulum, semper complectebatur. Eodem animo etiam libellum illum fortissimi cujusdam Principis filiolo dedicavit, admonens eum ut bono aliis exemplo esset. ‚Nec enim' ‚inquit, ‚mediocre calcar addet universae plebi, si conspexerint heroum liberos a primis statim annis dicari studiis et in eodem cum ipsis stadio currere.' Addit haec: ‚Munus autem formandi pueritiam multis constat partibus, quarum sicuti prima ita praecipua est, ut tenellus animus imbibat pietatis seminaria: proxima ut liberales disciplinas et amet et perdiscat: tertia est ut ad vitae officia instruatur: quarta est, ut a primis statim aevi rudimentis civilitati morum assuescat. Hanc prostremam nunc mihi proprie sumpsi. Nam de superioribus cum alii plures, tum nos quoque permulta scripsimus. Quamquam autem externum illud corporis decorum ab animo bene composito proficiscitur, tamen incuria praeceptorum nonnunquam fieri videmus, ut hanc interim gratiam in probis et eruditis hominibus desideremus.'

In iis, quae plurima de ceteris iisque gravioribus formandae pueritiae partibus se cum aliis scripsisse memorat, gratissimo animo felicissimoque successu Philippus Melanchthon eum secutus est, praecesserat inprimis Rodolphus Agricola Frisius, quem uterque vir summis laudibus plus semel effert. Ipsius Erasmi scripta illa magnam partem ad materiam pueros docendam pertinent. In hac quoque tractanda utilitatis causa ad minutias et ad elementa, praesertim linguarum, saepe eum descendere videmus. Sed ascendit etiam ad sublimia et excelsa ad eaque ducere studet pueros. Qua in re interdum non distinguit, quae praeceptori quaeque discipulo inservire velit; immo in eodem libro utraque miscet, justo magis lectorum judicio confisus. Sic libellus catecheticus multa egregia continens, quem ultimo vitae tem-

1) Praecedente seculo in orphanotropheo Halensi, tunc paedagogiae Germanicae quasi seminario, prodiit similis libellus francogallice compositus, cui titulus est: Érasme moderne.

pore de symbolo apostolico confecit, non ipsis erudiendis pueris, sed praeceptoribus destinatus erat, quod quum multi jam aequalium non agnoscerent, injuste de illo judicabant. Suo modo solam utilitatem spectans, neglecta totius cujusdam libri concinnitate, in colloquiorum maxime opere, quod tot rixarum causa erat, multa puerilia juxta alia pueris minime convenientia consilio posuit. Summo favore libellus ejus ‚de ratione studii‘ exceptus est, quo universus disciplinarum in scholis docendarum quasi campus percurritur. Recte dicit Laurius ab Erasmo anticipari quodommodo imaginem praeceptorum, quales nunc in gymnasiis Germanicis inveniantur.[1] Adde quod ille scriptis suis tum varios omnes institutionis quasi gradus inde a primis elementis usque ad universitates litterarias amplectitur, tum ad formandos omnium ordinum pueros et puellas pari studio aequales hortatur. Quod ad puellas attinet, primus fere praejudicatam illorum temporum opinionem, quasi feminas litterae non deceant, fortiter impugnat.

Familiae, civitati, ecclesiae suas cuique partes in educanda sobole tribuit. Parentes, inprimis matres, praeclare officiorum erga infantes admonet in ‚christiani matrimonii institutione.‘ Etiam valetudinis liberorum curam acerrime iis commendat, multos abusus illi noxios singulatim carpens. Sic increpat et ‚vulgus parentum,‘ qui tenera infantium corpuscula (id quod graphice depingit) iisdem vestibus onerent, quibus se jactet adultorum ambitio, et eos, qui puellos seminudos in summo hiemis rigore excludant ab aedibus, ut adversus boream et gelu durescant. Nimis mature eruditionis molestia teneram aetatem non vexandam esse docet. Fallendum esse aliquando puerum, ut discat credens se ludere; allectandum potius blanditiis, laudibus, promissis ac munusculis, quam minis, plagis et clamoribus cogendum. Summo opere cavendum esse, ne quid turpe videant audiantque liberi; maximam deberi puero reverentiam, majorem tenerae virgini: rosam lacteam contactu aut afflatu marcorem facile contrahere. Inprimis vero jam tenerrimae aetati inserenda esse religionis semina. Proficiscendum ab beneficiis, quae Deus, supra omnia metuendus et amandus, per filium suum in nos contulerit. ‚Inseratur,‘ inquit, ‚nomen Jesu mentibus puerorum, ut quam maxime fiat amabilis affectibus eorum. Deinde persuadeatur et hoc, semper adesse pueris angelos testes ac spectatores omnium, quae geruntur aut etiam cogitantur. Proximum est, ut de sacris scripturis quam reverentissime sentiant: in his enim Deum velut ex oraculo perpetuo loqui mortalibus. Discat

1) Durand de Laur l. c. p. 29.

puer contemplari coelorum ornatum, terrae divitem proventum, fontium scatebras, amnium lapsus, maria vasta, animantium innumeras species, et haec omnia in hoc condita, ut serviant usibus hominum, tantum ut homo serviat suo conditori Deo. Admoneatur quid sit professus in baptismo, ne desciscat ab Imperatore Jesu, cui nomen dedit: ut vestem, quam accepit candidam, servet immaculatam. Admoneatur, inter omnes Christianos esse cognationem arctissimam, qualis est inter ejusdem corporis membra. Discat neminem esse miserum aut esse posse, qui maneat in Christo, sive contingant adversa sive prospera, sive mors sive vita. Haec aliaque hujus generis si instillentur teneris puerorum animis, erumpent aliquando in morum egregiam frugem.'

Hoc animo incipiendam esse puerorum institutionem a parentibus docet, hoc animo persequendam a doctis paedagogis. Sic et sinceros Christianos societati ecclesiae, et bonos cives reipublicae educandos esse. Quod utrumque ut fiat, omnibus vult cordi esse. Quare divites admonet, ut, ,si quos viderint pueros e pauperibus quidem, sed generosa indole natos, eos suis impendiis curent educandos aut suis liberis adjungant, ut sub eodem paedagogo pari cura instituantur.' Praecipue ,bono et sapienti principi ita educandos esse liberos' ait, ,ut illud semper meminerit se patriae genitos patriae educare.' Omnium vero, et nobilium et pauperum interesse, ut apti eligantur ludorum litterariorum magistri. ,In quibus adsciscendis,' inquit, ,quum oporteret esse summam curam, huc allegantur fere sordidi abjectique homines, interdum et cerebri parum sani. Locus datur sordidus et salarium datur exiguum; diceres illic porcos educari, non institui civium ingenuos liberos. Atqui hic periclitatur seminarium totius reipublicae. Sed pejus etiam agitur cum illis pueris, qui in antris tenebrionum quorundam sane quam illiberaliter educantur! Nam hunc quaestum ad se trahunt monasteria quaedam et genus quoddam hominum medium inter monachos et profanos. Quidquid enim est malarum rerum, fere praetextu religionis irrepsit in mundum.'

In paedagogis sui temporis, similiter atque in parentibus, immitem quandam agendi rationem vituperat. Vehementer peccari dicit etiam ab eruditioribus quibusdam litteratoribus ceterum non contemnendis, qui morosa saevitia nihil aliud doceant pueros quam odisse litteras; ut litterae diligantur, primum earum praeceptorem oportere diligi. Ab his vero, qui forment pueritiam, magna ex parte communem mortalium vitam pendere. Quorum si quos praestantiores noverat, iis suam laudem impertire animumque addere gestivit. Cujus rei exemplum haec verba afferam ex epistola ad Schudelinum Memmin-

gensem scripta: ,Tu fac, mi Joannes, ut graviter incumbas in provinciam, quam hactenus magna cum laude diceris obire. Neque perinde studio tibi sit digladiari cum veteris inscitiae hyperaspistis, atque ut rudi docilique aetati melioris eruditionis ingenuaeque pietatis seminarium infundas. Si Principes non admittunt sana consilia, si ecclesiae proceres auctoramenta mundi praeferunt Christi praemiis, si theologi monachique diu nimis adamatam synagogam non possunt relinquere, si populus a consuetis non potest avelli, superest tamen haec una via, quae spem bonam faciat fore, ut mundus aliquando se referat ad frugem meliorem, si vinum novum in utres novos indatur. Emerget olim haec seges ac vel citra certamen opprimet hos non minus indoctos quam indociles. Recte instituendis pueris et in lucem edendis veterum scriptis paulatim evanescet istorum irreligiosa religio et illitteratae litterae.'[1]

In eodem quasi bello gerendo Ludovicum Vivem, nobilissimum Hispanum, admonet ut prudentia ,Camillum quendam praebeat.' Germanicis discipulis sibi amicissimis, in Lovaniensi schola docentibus, quum viri obscuri obruere eos studerent, etiam atque etiam animum addit. Guilelmo Nauseno illinc depulso, Goclenium et Rescium hortatur, ne loco cedant. Ad illum scribit: ,Quo magis obstrepunt οἱ βάτραχοι, hoc magis ac magis gliscit ardor juvenum, spretis illitteratis litteris ad meliora grassantium. Tu quod tempus eras perditurus aut sane male collocaturus rixando cum malis rabulis, hoc bonis studiis juvandis impende.' Rescium atroci contumelia petitum etsi non vult prohibere, quin malitiosam adversariorum conspirationem verbis prudentibus ipsoque dignis detegat, admonet tamen: ,At ego puto generosius esse vindictae genus, si, quemadmodum hactenus fecisti, Graecae litteraturae professionem quam maxime cohonestes et integerrimis tuis moribus et docendi vigilantia.' Addit haec: ,Quod si non impetras hoc ab animo tuo, ut litem remittas, fac ita litiges, quemadmodum hactenus est a vobis litigatum. Nam quum proxime essem Lovanii, sic obesulus, rubicundulus et alacer eras, ut mihi lite non macerari sed saginari videaris. Et habes te dignum adversarium Joannem Calabrum medicum, qui te pallore macieque refert, excepta aetate adeo tui non dissimilis, ut periculum sit, ne cui videaris litigare cum patre. Quamquam vir ille, mea sententia, non peccavit malitia, sed obsequio.'[2] Hoc exscripsi exempli causa, ut appareat, quomodo Erasmus etiam in his rebus interdum seria misceat cum jocis a malitia alienis.

1) Epp. XIV, 6 a. 1521. 2) Epp. ed. Cler. Nr. 489. 520. 607.

Ceterum facile erat, multa alia addere, quae eandem Erasmi curam ac studium scholas varii generis propagandi ostenderent.

Multo etiam saepius praedicandi evangelii munus, tunc ubique fere in ecclesia valde neglectum, celebrat et commendat. Ut enim vulgus sacram scripturam recte bonoque cum fructu legat, praedicatoribus opus esse dicit ipsis scripturae spiritu imbutis. Quorum munus, ut Christi praeconum, si probe obeatur, quavis alia functione vel ecclesiastica vel civili sublimius et excelsius esse. Probe autem non obiri ab iis, qui scholasticas argutias vel fabulas auditoribus propinent. Ejusmodi rebus neque Judaeos Turcasve Christo conciliari posse, neque Christianorum communionem aedificari. Quod non fieri, nisi purus et simplex Christus praedicetur, ut ,unus spiritus cum spiritu ejus, unum corpus cum corpore ejus fiamus, ut in illum quodammodo transfiguremur et jam minus minusque in nobis ipsis vivamus.'[1]

Quum igitur hoc animo evangelium populo nunciari velit, ut id faciant, quoscunque aptos existimat, hortatur, stimulat, confirmat. Lupreto, quum vita defuncti magistri piissimi, Coleti, mores in externis rebus imitandos sibi proposuisset, in memoriam revocat, illum sinceram Christi philosophiam e purissimis evangeliorum haustam fontibus gratis impertisse populo: ,Eam ad rem,' inquit, ,si te toto studio contuleris, aut ego plane fallor, aut Coleto non inferior evades.'[2] Et ipsi Coleto suo novem annis ante scripserat: ,Equidem cupiam te quantum potest longissime a mundanis negotiis semoveri, non quod verear, ne mundus hic, ut est hamatus, te sibi vindicet ac manus injiciat, sed quod malim istud ingenium, istam eloquentiam, istam eruditionem in solidum impendi Christo.'[3] Bovillo his verbis animos facit: ,Quod concionaris apud populum, probo tuum institutum: quod succedit gratulor, praesertim quum Christum pure doceas, non hominum jactes aut ostentes argutias.'[4] Similiter Borsalo scribit: ,Non deerunt, qui Scoti Thomaeque decreta praedicent, quae nec ego prorsus improbo. Tu purum illum et sincerum Christum mentibus tuorum instilla, quando id a paucis fieri videmus. Gaudeo tibi tum fortunam obtigisse cum dignitate conjunctam, tum autem materiem et segetem oblatam bene merendi de grege christiano.'[5]

Ex his et similibus patet, Erasmum, quum ad sustinendum concionatoris munus tum lingua sonora et popularis, tum corporis vires ipsum deficerent, eo religiosius aliis, quantum pro sua indole potuit,

---

1) Ex enchiridio militis Christiani. 2) Epp. XIV, 4. 3) Epp. XII, 21 a. 1511. 4) Epp. II, 11 a. 1516. 5) Epp. VI, 16 a. 1519.

ad rite illud administrandum consulere nisum esse. Quod candide significat egregia epistola ad Justum Jonam sive Jodocum data, multo post apud Halenses nostros evangelii concionatorem, in quo natum oratorem primus fere cognoverat. Quippe Deo visum esse ostendit non singulis mortalibus omnia largiri, sed cum aliis alias dotes communicare, ut necesse foret nos invicem mutuis officiis sublevari simulque fieret, ut nec sibi quisquam plus satis fideret nec alius alium contemneret, quum appareret Deum magnam beneficiorum suorum partem homini per hominem largiri voluisse. Quibus expositis, ‚Haec cogitatio', inquit, ‚mi carissime Jona, protinus incessit animo meo, ubi ex oratione moribusque tuis, demum et oris lineamentis habituque mentis tuae simulacrum conjeci. Quamquam arbitror te tibi non ignotum esse, tamen visum est admonere, ut, quando Deus te non agitandis sordidis causis destinasse sed velut organum quoddam electum finxisse videtur ad illustrandam filii sui Jesu gloriam et ad mortalium animos in hujus studium inflammandos, ad hanc omnium saluberrimam functionem omnia tua studia conferas idque mature, dum corpus laborum patiens, dum viget animus. Bene fortunabit tuos conatus, mihi crede, is qui ad hoc muneris te tot egregiis dotibus instruxit; qui pectus dedit verae pietatis amore flagrans, qui linguam dedit eruditam, ut dissipes, ut evellas, ut plantes, non deerit ista conanti, praesertim si non alio spectes quam ad Christi lucrum. Sit sane magnificum, manu mota supplici benedicere popello; sit res egregia, ministrare sacramenta ecclesiastica, pulcherrimum certe vereque apostolicum atque episcopale munus est salutari doctrina multitudinem ad mentem moresque Christo dignos adducere. Verum in hac omnium ut difficillima ita pulcherrima functione quos videmus hodie versari passim! Quorum plerisque deest eruditio, nonnullis pectus, sine quo friget omnis eloquentia christiana, multis naturae facultas, veluti linguae plectrum vocale, latera aut corpus alioqui laborum hujusmodi patiens. Sed age boni consulamus cum Paulo nostro [1] quod isti moliuntur, modo Christus annuncietur. Bona pars non Christum, sed homines, sed se ipsos praedicant. — Sunt qui Scotisticas subtilitates tractent apud imperitam multitudinem, delectis etiam in hoc argumentis quam maxime perplexis, quo magis miraculo sint auditoribus, si nihil omnium quae dicuntur intelligant. Nec desunt qui quo curiosis auditoribus faciant satis, undique congerunt et velut ex variis rhapsodiis centonem concinnant, ex jure civili, ex jure pontificio, ex variis doctoribus, ne quid non legisse videan-

1) Ad Philipp. 1, 18.

tur. — Omnis humanus affectus ponendus ei, qui studeat veram pietatem animis mortalium inserere. Prudentior autem es quam ut sis mihi monendus, efficacius esse ad inserendam hominum mentibus Christi philosophiam, si quis admirabilem illam et amabilem verae pietatis imaginem quam possit expressissimam ingerat, quam si insectandis vitiorum formis ac generibus vocem lateraque exerceat. Efficax quaedam res ipsa virtutis species, quae puris oculis ostensa mox rapit in amorem sui. — Est et pietati sua libertas, sed nunquam non condita melle caritatis. Quoad licet parcendum est iis qui summa publicaque funguntur auctoritate. Si res poscet saevitiam, magis saeviendum in eos, qui Pontificum, episcoporum aut principum titulis ad suas cupiditates abutuntur, quam in ipsos proceres. Nec temere saeviendum in ordines hominum, adversus illos magis clamandum, qui suis vitiis ordines, alioqui praeclaros, dehonestant. Inutilius sit damnare publicas scholas, quam indicare quid ab his resecari conveniat aut quid expediat addi. Non parum autem ponderis addet orationi tuae, si quae doces potissimum ex arcanis voluminibus haurias, si vita doctrinae responderit, si docendi officium nulla gloriae, nulla quaestus suspicione vitietur. Vim atque energiam addet, si quaecunque doces amaveris ex animo, si ad dicendum non a compotatione aut profanis colloquiis, sed ab altissima precatione te contuleris, ut ad inflammandos aliorum animos ipse ardens accedas. Sed nae ego haec nimis multa ad te, a quo magis eram ipse docendus.‘ [1]

Dubitari non potest, quin Erasmus ejusmodi flagrantibus verbis sapientibusque consiliis eximios juvenes haud paucos ad praedicandum evangelium excitaverit et adjuverit. Etenim epistolae ejus, partim ipso inscio et invito, typis excudebantur; praeterea eorum quae attulimus similia saepissime et per colloquium et in scriptis suis prodidit. Idem anno demum ante mortem de ratione concionandi peculiarem librum publicavit, cui titulum inscripsit ‚Ecclesiastes sive concionator evangelicus.‘ In nonnullis eorum, quos ad concionandum excitaverat, videbat quae ipsi non placerent; tumultuosam quandam eloquentiam pullulasse questus erat; jam tunc evangelicos a Romana ecclesia exclusos vituperaverat, quod nonnulli in cultu divino solum fere locum praedicationi publicae relinquere viderentur et idcirco a concionatoris indole nimis ipsi penderent. Sed nihilo minus insignem et singularem praedicationis evangelicae dignitatem fortiter et constanter tenebat. Quare initio illius libri munus concionatoris christiani ut

1) Epp. V, 28 (27) a. 1519.

Christi praeconis majus esse praedicat munere regio. Quod novissimum tanti viri testimonium, quo minus ipse, suae indolis memor, illud munus affectaverat, eo gravius videbatur. Dedicavit opus seni spectatissimo Christophoro episcopo Augustano, quocum per viginti fere annos liberrimum epistolarum commercium habuerat. Cui scribit, se frustra sperasse, alium quendam exoriturum, qui sibi materiam hanc sumeret, praesertim in tanto proventu felicium ingeniorum, quae producat hoc seculum, tantoque studio cudendi nova volumina. Quare in dies acrius multorum tum vocibus tum litteris appellatum se propemodum invita Minerva silvam operis congessisse, rudem quidem illam et indigestam, sed quae testari possit sibi voluntatem praestandi promissi non defuisse, etsi impar animo fuisset facultas. Eruditum lectorem fortasse deprehensurum quaedam hiulca, inchoata, repetita, alieniore loco dicta. Sed piguisse vastum opus retexere et extrema manu emendare, quod per longa intervalla peragere aegre licuerit. ,Neque quisquam,' addit, ,facile credet, quam misere animus jamdudum affectet ab his laboribus in tranquillum ocium decedere, quodque superest vitae (superest autem vix brevis palmus sive pugillus) solum cum eo solo colloqui, qui clamavit olim nec hodie mutat vocem suam: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego vos reficiam. Quandoquidem in tam turbulento ne dicam furente seculo, in tot molestiis nihil reperio, in quo mens mea libentius conquiescat quam in hoc arcano colloquio.' [1]

Recte de hoc opere, partim sane indigesto, Anglus quidam scriptor nuper judicavit, nulla in eo deprehendi languescentis ingenii vestigia. Insunt vastae eruditionis, largae multarum rerum experientiae specimina splendidissima. Passim quae per longam vitam ipse vidit et animadvertit lepidissime narrat. Sui temporis concionatores, quales apud varias gentes multos attente audiverat, quasi vivos effingit. Simul eloquentiae christianae historiam adumbrare primus coepit, qua in re cum judicii sagacitatem admiramur, tum adamantinam diligentiam ac sollertiam, qua etiam ea, quae huc spectant, variorum seculorum scripta legerat.[2] Sic, ut exemplum afferam, Thomam Aquinatem adnotat ,ad dicendum haud ineptum fuisse, si sese perinde hic exercuisset, ut exercuit in philosophia et in argumentando.' [3] Neque ex magnis veterum Graecorum et Romanorum oratoribus depromere neglegit, quidquid

1) Epp. XXIX, 42. 2) Opp. V, 856 s.

3) Cf. de Thomae orationibus sacris Neander, Kirchengeschichte ed. 1. V, p. 423.

concionatori usui esse potest. Sed etiam illic bonas litteras semper ita conjungere studet cum vero et spirituali christianismo, ut huic sua dignitas atque majestas maneat. Eo animo totius libri operam susceptam esse facile apparet.

Quare statim post initium, ,Vehementer errat,' inquit, ,qui credit se consequi posse veram canonicae scripturae intellegentiam nisi afflatum eo spiritu quo prodita sunt. Nec minus errat qui se credit verum ecclesiastem agere posse nisi hausto coelesti spiritu, sine quo nemo dicere potest dominum Jesum. Ille largitur cor igneum, ille linguas igneas.' Et alio loco, ut ostendat rerum fidei non posse vere convinci homines nisi spiritu, ex veteris ecclesiae historia narrat, virum quendam insigniter eruditum, quum contra doctissimos et acutissimos episcopos per longum tempus disputasset, Christianis non opus esse baptismo, denique ab illorum uno, pio sed imperito, flexum esse indocto brevique sermone. ,Quid? inquit, credisne Dominum Jesum pro nobis factum hominem et crucifixum? Respondit se credere. Quid igitur hic, inquit, terimus tempus supervacaneis cavillationibus? Quin potius eamus ad Basilicam et illic accipies insignia principis et redemptoris tui. Assensus est, itum est ad baptismum et disputatio versa est in professionem. Post rogatus, quomodo tam facile cessisset imperito, qui a tam multis eruditis flecti non poterat, Donec, inquit, audiebam rationes humanas, humanis rationibus repugnabam; ceterum, simul atque audivi spiritum loquentem, cessi spiritui.'

His narratis Erasmus, ,Proinde,' inquit, ,nihil potentius ad excitandos bonos affectus, quam piorum affectuum fontem habere in pectore. Expedit tamen interdum, mentis habitum velut dormitantem expergefacere, quo major sit orationis energia, quandoquidem, qui spiritus dono afflati sunt, habent quidem pretiosum thesaurum, sed in vasis fictilibus. Concionaturus si senserit animum languidiorem, locum quendam scripturae legat quam maxime appositum ad inflammandum, et immoretur, donec sentiat animum incalescere. Sub horam concionis ecclesiastes det se profundae deprecationi et ab eo postulet sapientiam, linguam et orationis eventum, qui linguas infantium facit disertas. Incredibile dictu, quantum lucis, vigoris, alacritatis accedat ecclesiastae, immo cunctis hominibus ad quodcunque negotium peragendum. Dexterius loquentur cum hominibus, qui prius tota mente cum Deo fuerint collocuti.' Addit plura similia.

Satis demonstrasse mihi videor, quantam vim evangelio sincere praedicando Erasmus toto semper pectore tribuerit. Immo perfectius quam fere quisquam aequalium illam perspexit, quatenus id non ad solos

Christianos, ecclesiae sodales, restringi, sed etiam Judaeis, Turcis, Paganis quam largissime exhiberi voluit. Sic sanctissimum quoddam officium implendum, sic fines ecclesiae, Christianorum culpa misere in angustias contractos, esse propagandos et universum orbem Christo subjiciendum docuit. Hac eum in re, ut in multis aliis, aetatem suam praecucurrisse, Danicus quidam scriptor, egregius propagati per orbem Christianismi narrator, suo jure adnotat.[1] Agit vero Erasmus de promovendis ecclesiae finibus cum multis aliis operum locis, tum in ecclesiaste, idque facit summo ardore animi universum genus humanum amplectentis. Quod ut appareat, ex libello illo haec afferam.

Enumeratis tot Asiae, Africae, regionum nuper repertarum terris, ‚quantus in his', inquit, ‚esset proventus Christo, si gnavi ac fideles mitterentur operarii? qui jaciant semen bonum, qui revellant zizania, qui plantent plantulas bonas, qui metant maturam segetem, sed Christo metant, non sibi, et animas Deo colligant, non opes sibi.' Queritur, multos Christianos evangelii praedicationem non modo negligere sed etiam impedire. ‚Pilapios, Scythiae septentrionalis populum, mire simplicem ac rudem, a nescio quibus Principibus christianis teneri ditione, sed ita duro premi jugo humano, ut iis non imponatur suave jugum Christi. Ultra mare esse gentes, quae velut oves errent, non habentes pastorem, quia adeo non mittantur evangelii nuntii, ut illi ipsi principes Christiani, qui illas occupaverint, obstent ne quis accedat doctor evangelicus, veriti ne, si paulo plus sapiant, excutiant jugum grave quo premantur. Quid dicendum de iis, qui classe praetervehantur ignota littora et civitates nihil hostile exspectantes diripiant ac vastent? Victorias dici, sed tales victorias nec apud ethnicos laudem mereri. E repertis regionibus evehi aurum et gemmas; sed triumpho dignius fore illuc invehere christianam sapientiam auro pretiosiorem.'

Rejicit Erasmus quae ad recusandum tam augustum officium christianum praetexantur. ‚Excusatur', inquit, ‚linguae imperitia. Atqui principes ob humanas legationes inveniumt, qui varias linguas perdiscant, an idem non studebimus in tam sublimi negotio? — Inter barbaras et ignotas nationes apostoli invenerunt victum et amictum et Deus pollicitus est, nihil defuturum quaerentibus regnum Dei. Quod si inciderint in gentem tam ingratam, ut panem, aquam et tectum pernegent: superest optimi ecclesiastae Pauli multo pulcherrimum exemplum, qui suis manibus consuebat coria, ne cuiquam esset onerosus.

1) Cf. Kalkar Geschichte der christlichen Mission I p. 53 ss.

Pro miraculis erunt animus ab omni rerum humanarum cupiditate liber, perpetua vitae sobrietas, studium gratis bene merendi de omnibus, patientia nullis injuriis labefactabilis, perpetua spiritus alacritas in afflictionibus, modestia comis nihil prae se ferens supercilii. Neque enim apostoli passim edebant miracula, sed iis, quas dixi rebus longe plures pertraxerunt ad ditionem Christi quam miraculis. Haec enim magiae tribuebantur a multis, illa declarabant Dei spiritum agere per homines. — Restat ultima causatio, vitae periculum. Verum posteaquam omnibus semel moriendum, quae mors contingere possit speciosior, quam ob evangelium, aut quae felicior? Quot sunt milites, qui intrepide committunt se proelio, vitam habentes vilem in gratiam hominis principis! Et summus ille monarcha, qui pro stipendio pollicetur coronam aeternae gloriae, non invenit milites simili praeditos animo? Jam ut accidat mors, non accidet ante diem, quem Pater suis constituit. Apostoli in tanto mundi strepitu vixerunt et ad justam senectutem pervenerunt. — Agite igitur, viri fortissimi, eximii christianae militiae duces, induite vos galeam salutis, loricam pietatis, adsumite scutum fidei et gladium spiritus, qui est verbum Dei; tota denique panoplia mystica praeparati ad praedicandum evangelium pacis, intrepidis animis ad tam praeclarum facinus accingimini. Opimam praedam existimate, si tot animas a Satanae tyrannide ereptas redemptori vindicaveritis. Utinam Dominus mihi dedisset talem spiritum, ut in tam pio negotio mortem oppetere mererer, potius quam in his cruciatibus lenta morte consumi!‘

Nec tamen Erasmus obliviscitur etiam his addere, quod saepe admonet, militiae Christi satis loci dari inter ipsos Christianos. ‚Nusquam deest crux‘, inquit, ‚verbum Domini sincere praedicantibus. Sunt hodie Magnates quidam, Herodi non dissimiles, qui Christum ejusque doctrinam habent ludibrio. Sunt Annas et Caiphas, sunt scribae et Pharisaei, qui coelum terrae misceant citius, quam patiantur aliquid suae auctoritati quaestuique decidere. Sunt opifices non dissimiles illis, qui apud Ephesios turbam concitarunt in apostolos, quod horum praedicatio minueret eorum quaestum. Nec desunt Judae, qui quum videantur Christo familiares, cauponantur illum et produnt exstinctum cupientibus. Nec desunt in plebe, qui verso pollice clament: crucifige, crucifige. Quod dico verum esse fatebuntur, qui libertatem hanc et libertatis comitem crucem sunt experti.‘

Haec scripsit Erasmus inter saevissimas ultimae senectutis tempestates; similia jam multo ante, priusquam Lutherus contra curiam Romanam surrexit, locutus erat. Sed id magnum in illo viro, quod

usque ad finem eandem spem christianam ex fide evangelica orientem firmissime tenebat, quam juvenis jam penitus perspectis humanae vitae miseriis suaeque aetatis damnis quondam professus erat. Paulo post Julii bellicosissimi Pontificis decessum libellum scripserat, quo ipsam Pacem inducit loquentem.[1] Queritur illa, frustra se orbem peragrasse, ut locum inveniret, quo requiesceret. Narrat satis accurate, quid sibi inter gentes sanguinariis bellis agitatas, quid sibi in domibus, in civitatibus, in Principum aulis evenerit. Describit blandas, quas viderit, consalutationes, amicos complexus, hilares compotationes, quae fucata fictaque omnia, clanculariis discidiis ac simultatibus corrupta fuerint. Ad eruditorum greges se confugisse, bonis litteris, philosophia, theologia florentes. ‚Verum, proh dolor!' inquit, ‚en hic quoque bellorum aliud genus. Schola cum schola dissidet et, ceu rerum veritas loco commutetur, ita quaedam scita non trajiciunt mare, quaedam non superant Alpes, quaedam non tranant Rhenum, immo in eadem academia cum rhetore bellum est dialectico, cum Jureconsulto dissidet theologus. Atque adeo in eodem professionis genere cum Thomista pugnat Scotista, cum Reali Nominalis, cum Peripatetico Platonicus, adeo ut ne in minutissimis quidem rebus inter hos conveniat ac saepenumero de lana caprina atrocissime digladientur. Quo me vertam? Nihil superest nisi una veluti sacra ancora Religio. Hujus professio licet sit Christianorum omnium communis, tamen eam isti peculiariter profitentur titulo, cultu, caerimoniis, qui vulgo Sacerdotum cognomento commendantur. Arrident vestes candidae, meoque colore insignes, video cruces pacis symbola, audio dulcissimum illud fratris cognomen, eximiae caritatis argumentum, cerno rerum omnium communionem, conjunctum collegium, templum idem, leges easdem, conventus quotidianos. Quis hic non confidat paci locum fore? Sed, o rem indignam! nusquam fere collegio convenit cum episcopo, parum hoc, nisi et ipsi inter sese factionibus scinderentur. Quotusquisque sacerdos est, cui non sit cum aliquo sacerdote lis? Unum hominum genus superest, qui sic adstricti sunt religioni, ut etiamsi cupiant, nullo pacto queant excutere, non magis, quam testudo domum. Ne quid intentatum relinquam, illos experiar. — Quaeris exitum? A nullis resilii magis. Nam quid sperem, ubi religio cum religione dissidet? Tot factiones sunt, quot sunt sodalitia, Dominicales dissident cum Minoritis, Benedictini cum Bernardinis; sua cuique placent, aliena damnat et odit quisque. Quin idem sodalitium factionibus scinditur, Observantes in-

1) Opp. IV 626 ss.: Querela Pacis (c. a. 1518).

sectantur Coletas, utrique tertium genus. — Jam omnibus rebus diffisa optabam vel in uno quopiam Monasteriolo latitare, quod vere tranquillum esset. Invita dicam, quod utinam non esset verissimum, nullum adhuc inveni, quod non intestinis odiis ac jurgiis esset infectum. — Tandem illud in votis esse coepit, ut saltem in unius hominis pectore daretur locus. Ne id quidem contigit, idem homo secum pugnat: Ratio belligeratur cum affectibus et insuper affectus cum affectu conflictatur.'

Neque tamen Erasmus, quum haec scriberet, dubitabat de victrice interna christianae veritatis vi, quasi ad earum sententiam confugiendum esset, qui cum omnia mortalium negotia, tum res religiosas et ecclesiasticas non salva illorum libertate, sed sola salutari quadam principum sacerdotumque tyrannide regi atque administrari posse arbitrarentur. Immo potius toto libello illo nil aliud spectat, nisi ut homines libero animo divinam gratiam sequantur, quae ad pacem eos vocaverit. Hoc animo obsecratur Erasmus omnes Europae populos, ,ne sanguinariis discordiis suis Turcarum pascant oculos; si cupiant Turcas ad Christi religionem adducere, prius ipsi sint Christiani.'[1] Denique ipsam Pacem inducit appellantem omnes Christianorum ordines, ut suis quisque sanctissimis officiis satisfaciant. Sic perveniri posse docet ad summa illa bona, quorum desiderium excitare in aequalibus studuerat, ad pacem animi, ad recte excolendas bonas litteras, philosophiam, theologiam, ad familiarum, civitatum, ecclesiae salutem, ad evangelii victoriam tandem per universum orbem ex cunctis adversariis consequendam. Neque postea extremis vitae diebus Erasmus de omnibus illis bonis desperavit, quamvis diras proximi aevi calamitates certissime praevideret et praeclarissimas multas juventutis suae exspectationes frustratas deploraret. Quae exspectationes quales fuerint, quibusnam auxiliis fretus sese ingentibus suis laboribus ad afferenda meliora tempora cunctas gentes adjuvare posse speraverit, sequente commentatione demonstrabimus.

VI.

Iis omnibus, quae hucusque dicta sunt, satis apparet, qualis fuerit purus ille et spiritualis Christianismus, quem Erasmus corruptae magna ex parte medii aevi, quod nunc dicitur, ecclesiae opposuit, quem juventutem doceri, a sacro suggestu praedicari, omnium fide-

1) Opp. IV 640 s.

lium vita magis in dies exhiberi, denique emissis viris vere apostolicis per universum orbem propagari voluit. Sic veram et magnam ecclesiae reformationem, etsi hac voce uti non solebat, paulatim peragendam esse semper existimavit, sic morbum ejus sanandum, quem historia magistra, ut supra vidimus, alte perspectum nequaquam in singulis tantum abusibus et superstitionibus ponebat. Quare haec detegere, castigare, impugnare rem omnium gravissimam non esse putabat, sed prospiciendum potius, ut unicum puri evangelii remedium rite adhiberetur. Neque tamen singula ecclesiae mala neglegebat, sed iis obviam ire usque ad mortem non desiit.

Testis est ipse liber ille de ratione concionandi, quo eadem erga catholicam ecclesiam pietate, qua nuper Reuschius, easdem fere superstitiones ab illius praesulibus foede toleratas passim castigat. Id quoque salva matris Jesu reverentia adnotat non laudabili consuetudine fieri, ut concionatores statim post exordium Christi ejusque spiritus vice beatissimam virginem ut fontem gratiae implorare soleant. Nec minus ingenue dicta jam militis christiani enchiridion continet, opusculum ante seculi annum quartum editum et piissimis aequalibus, etiam Adriano, qui postea Romanam sedem occupavit, acceptissimum. In cujus libro octavo locus invenitur, post mortem demum Erasmi una cum aliis a Romani Indicis fabricatoribus ‚expurgatus,‘ ubi eorum caerimonias memorat, qui Christophori auxilium contra imminens fatum, ‚Rochi cujusdam‘ contra pestem, Apolloniae contra dentium dolorem expetant, quorum pietatem adeo christianam non esse ait, ut non ita multum absit ab eorum superstitione, qui Herculi vel Aesculapio vota quondam dederint: nomina quidem mutata esse, sed finem utrisque esse communem. Similia in plurimis ejus scriptis leguntur, etiam in adagiis et in annotationibus ad Novum Testamentum. Vituperavit abusus in reliquiarum cultu, in peregrinationibus religionis ergo susceptis, in ciborum legibus conspicuos, denique, quod ad caerimonias et mores pertinet, omnibus fere, quibus postea Lutherus, notam adscripsit, modo gravissima hortatione et obtestatione errantium animos excitans, modo levissimis facetiis, quibus resistere difficile erat, hominum stultitiam perstringens. Semper vero simul admonuit, quod dematur caerimoniis et Judaismo, addendum esse sincerae pietati et Christianismo. Corruptos cleri et monachorum mores, tot malorum in ecclesia fontem, audacter castigat, idque haud raro in epistolis ad episcopos, cardinales, pontifices. Etiam curiae litteris in ipsam urbem Romam missis non parcebat. Papatum tanquam summum in omnes episcopos imperium prorsus alienum fuisse a Sancto Augustino ejusque aevo probe

noverat; tamen auctoritatem Pontificis velut historice legitimam (ut nos nunc dicimus) retineri voluit, sed christiano spiritu temperandam, cui nullos magis officere ait, quam qui immodice eam exaggerantes ,corpus ecclesiae in unum contrahant Romanum Pontificem, quem negent errare posse, quoties de moribus aut fide pronuntiet.'[1] Acerrime invehitur in eos Papas, qui mundanis armis potestatem suam stabiliendam putaverint. Christi regnum externa vi niti non posse ratus ne haereticos quidem vi coërcendos vel occidendos esse, jam ante Lutherum docuit; non posse esse sincerum quod coactum sit, nec Christo gratum quod non voluntarium. Quapropter, etsi singulos quosdam monachos summi faciebat, in ipsis ordinum institutionibus inesse aliquid ei visum est, quod ne christianae libertatis ingenio obesset, reformatione egeret. ,Quanta incommoda habeat impurissimus multorum coelibatus,' ,quanta sit matrimonii dignitas,' saepissime admonet. Inprimis multus est in incusanda perniciosa eorum superbia, quorum professiones nihil esse ait nisi ,simulacra quaedam longe sanctioris et religiosioris professionis, qua non homini sed Christo demus nomina, nec juremus in regulam Francisci aut Benedicti sed in regulam evangelicam. Quod sacrae litterae de relinquendo mundo tradant, plerosque falso trahere ad hunc monachismum, quum mundus sit in affectibus, non in loco aut veste.'[2] Quorum Christianorum judaizantium mores ac doctrinas, sub Florentii cujusdam nomine suam vitam narrans, egregie describit; miserrimam servitutis speciem depingit, qua illi saepius imperitos adolescentes, generosa et alacri indole felicique ingenio praeditos, fraude irretitos compescant. Addit ibidem ,si vere piorum ac spiritualium sententia plus valeret quam crassorum judicia, nullum posthac esset votum insolubile praeter vota baptismi.' Crassorum istorum hominum iram provocare sinceris Christianis horribile non esse debere censet; ipse enim Christus, inquit, ,studio provocavit scandalum scribarum et Pharisaeorum; quod ni idem fecisset beatus Paulus, ubi nunc esset Christianismus?'[3]

Non mirum quod is, qui talia scribere nunquam intermisit ac scripta per totam Europam sparsit, ipse scandalum Scribarum et Pharisaeorum sui temporis excitavit. Quod scandalum quam ingens ac vehemens fuerit, neminem fugiet, qui illius vitam aliquantulo accuratius consideraverit. Quam totam, ut ita dicam, pugnam intra ipsos

1) Ratio verae theologiae, ed. Basil. p. 51.
2) Praef. ad paraphr. in ev. Matth.
3) Epp. XXIV, 5 a. 1514.

Romanocatholicae ecclesiae fines factam esse constat. Neque frustra Erasmus jam ante Lutherum exortum querelam illam Pacis scripserat. Narrat illic quae jam tunc expertus magis magisque experturus erat. Irruebant in eum apud omnes gentes, quicunque spirituali quem profitebatur christianismo praeteriti aevi formas et ingenium praefracte objiciebant; irruebant et singuli et junctae multorum inprimis monachorum catervae, scholasticorum doctissimus quisque et famosissimus non minus quam viri verissime obscuri. Quorum omnium animi, licet alias inter se discordantium, de quibusdam gravissimis rebus adversus Erasmum consentiebant. Quod ut ostendam, Sorbonae Parisiensis, summa tunc per orbem auctoritate scholastica fruentis, pauca tantum suffragia memorabo, ex larga similium anathematum copia excerpta.[1] Isto scilicet libello haud multo post condemnatum Lutherum incitante Beda omnia fere comprehensa sunt, quae per satis longum tempus vel ipsa Sorbona vel alii idem sentientes Erasmo etiam atque etiam crimini dederant.

Illud igitur collegium declaravit, Erasmum ‚contra jus naturale, divinum et humanum praetendisse, nusquam sacerdotalis aut episcopalis officii esse, Principes inducere ad exstirpationem haereticorum; ita nec pie nec utiliter profectibus consuli Christianorum, verum fortitudinis robur in adversarios fidei enervari.‘ Ipsi ordini hoc placuit: ‚Est catholicum et fide tenendum, non solum licere sed et oportere haereticos pertinaces extremo supplicio punire, quando citra jacturam et periculum reipublicae id fieri potest.‘ Eodem decreto theologi illi Erasmum propter refutatas fabulas nonnullas historicas, quales supra notavimus, condemnaverunt, fide teneri jubentes, symbolum apostolicum, quod dicitur, vere ab ipsis apostolis esse compositum, librum de coelesti hierarchia a Dionysio Areopagita vere conscriptum. Iidem publicata alia ‚conclusione,‘ quae dicebatur, decreverunt, ‚Erasmum in editis colloquiis perniciose eloquentiam suam convertere ad instaurandos et quodammodo hominum animis instillandos damnandos errores Arianorum, Vuiclevistarum, Jovinianistarum, Lamperianiorum, Saldensium, Beguardorum, Lutheranorum et aliorum multorum haereticorum.‘ Neque illustrissimi ordinis decreta intra parietes delituisse quisquam putaverit. Spargebantur per omnes terras; acclamabant iis ubique triumphantes et jubilantes monachorum cohortes, fidelissima curiae auxilia; etiam plebi de suggestu saepissime tumultuose renuntiabantur.

1) Opp. IX. p. 814 ss.

Quonam genere sermonis isti jam inde ab initio adversus Erasmum passim usi sint, in epistolis obscurorum virorum, quod ad rem attinet, satis vere ac lepide describitur, licet singulis obtrectatoribus singula verba nimia protervitate nominatim pro arbitrio tributa sint.[1] Illic magister quidam Erfurtensis narrat, magistrum sacri palatii Erasmum haereseos convicturum esse; Papam, cui Novi Testamenti editionem dedicaverit, eam certe repudiaturum, quum Parisienses Moriam concremare velint. Et Hochstratus inducitur scribens: ,Si ego venio ad Alemanniam et lego suos codiculos et invenio unum parvissimum punctum, ubi erravit, aut ubi non intelligo, ipse debet videre, quod ego volo sibi super cutem.'

His omnibus rebus multisque aliis similibus perpensis quaeret quispiam, quomodo fieri potuerit, ut Erasmus, nullo unquam judicio ad revocandas sententias coactus in ecclesia incolumis remaneret, immo contra tot tantosque adversarios, Romae potentissimos, semper patronos, qui etiam Romae vel potentiores erant, nancisceretur. Cujus rei causam id potissimum fuisse apparet, quod respublica illa sive aristocratia litteraria, de qua supra diximus, ab Erasmo ad summum auctoritatis et potentiae fastigium perducta, ducem ac principem suum cum alibi, tum in ipsa papali sede tuebatur. Hic vir privatus, presbyteri dignitatem, non munus adeptus, iniquissima ut videbatur sorte natus, puer ad suscipienda vota coactus, postea aegre ex monasterio ereptus, saepius a monachis repetitus, per pulcherrimam aetatem adversissimis rebus afflictus, per totam vitam molestiis circumventus, corpore debilis, tenerrima valetudine, sed nunquam exacerbato animo corrosus vel ad desperandum abreptus, hic, inquam, tantum ingenio valuit, ut etiam acerrimorum adversariorum prudentissimus quisque, vel invita quadam reverentia vel metu repressus, parcendum ei esse censeret. Haec igitur mira ejus auctoritas nobis contemplanda erit et qualis illa fuerit, quasnam vivendi agendique rationes secum tulerit, accuratissime inquirendum, ut et de ipso viro et de singulari via, qua ad reformandam ecclesiam incesserit, recte ac juste judicemus.

Quam auctoritatem si recentiorum temporum exemplis illustrare velimus, tantam eam per totam Europam fuisse dicamus, quantam recentioribus temporibus Alexandri de Humboldt aut (quae similitudo, si recte accipiatur, vel propior fuerit) Voltarii. Huic Erasmus licet alias ab eo diversissimus indole, cum propter ingenii ubertatem, faci-

1) Cf. Woker, de Erasmi studiis irenicis p. 5.

litatem, sollertiam, tum propter salis et facetiarum festivitatem quandam non minus gratam quam audacem, saepius comparatus est; adde quod uterque ad summum multiplicis ac variae et scientiae et eloquentiae fastigium pervenisse, uterque ignorantiae, barbariae, superstitionum tenebras fortiter dispersisse permultis aequalibus videbatur, uterque denique tam a splendidissimis monarchis, principibus, optimatibus, quam a clarissimis omnium gentium viris litteratis ut seculi sui miraculum abunde, immo immodice celebrabatur.[1] Sed grandior revera, quam Voltarii, quamquam hic frequentius apud posteros propter varias causas nominatur, Erasmi inter aequales auctoritas erat. Nitebatur enim altiore et severiore doctrina, honestiore et nobiliore animi morumque indole, denique majore aedificandi, diruendi minore studio. Quare ut singularem Erasmiani ingenii vim inter aequales praeponderantem breviter describam, dixerim ad efficiendam eam, licet ille philosophiae systema non formaverit, cum Voltariani ingenii splendore coaluisse aliquid Leibnitianae profunditatis. Ita demum fieri potuit, ut Erasmus tot praestantissimis sui aevi viris non modo admirabilis, verum etiam carus, venerabilis, summa fide dignus esset. Leibnitius ad irritum redactis omnibus restituendae concordiae ecclesiasticae studiis, ad futura meliora tempora prospiciens, spem ponendam esse dixit in ‚societate quadam theophilorum' sive ‚invisibili vere eruditorum virorum ecclesia.' Talis societas jam Erasmo, quo impensius augendae et propagandae ei operam navaverat, eo fortius auxilium attulit. Hujus maxime admiratione, caritate, veneratione ille fovebatur.

Quae omnia posteris quasi conspicienda atque contemplanda exhibet epistolarum, quas ipse ad alios aliique ad ipsum dederunt, ingens thesaurus, idem insigne ingeniorum, morum, motuum, quibus mortalium animi agitabantur, monumentum. Ad quem thesaurum is, qui et plenissimum illum collegit, et omnia Erasmi opera diligentissime edidit, Joannes Clericus, aptissime transtulit, quae de Lucilio dicit Horatius, arcana sua libris velut fidis sodalibus eum credidisse,

— quo fit ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis.

‚Idem de Erasmi,' inquit, ‚dixeris epistolis. Quaecunque recte aut secus fecit vel sensit, quae timuit, quae cupiit, omnia hic sine

1) Cf. Nisard l. c. p. 67 s. 140 s. 182. 188.

fuco exposita sunt; erat enim haec illius indoles, ut diu celare non posset quod sentiebat, praesertim amicis et interdum quoque inimicis, si paulo commotior esset. Interdum quidem paulo cautius loqui videtur, sed mox ad ingenium redit; ita ut facile intellegas quid revera senserit, si modo sequentes epistolas legas.'

His igitur litteris potissimum utendum est, ut intellegatur, quomodo Erasmus ad primarium locum in magna sui temporis republica litteraria obtinendum paulatim ascenderit et velut ejus princeps non judicio tantum sed etiam studio et observantia optimorum civium constitutus sit. Ad quod efficiendum, licet immensa, de quibus locuti sumus, eruditionis et eloquentiae opera, aequalibus desideratissima, plurimum attulerint, non minoris momenti eas propriae indolis virtutes fuisse constat, quibus Erasmus ad eruditorum hominum animos sibi conciliandos gratiamque consequendam maxime idoneus erat. Alliciebant eos et inexhaustae hujus ingenii divitiae, jocis pariter interdum atque seriis exuberantes et perspicua semper orationis aequabilitas festivaque hilaritas. Haec omnia in Erasmo jam tunc, ut hodie, etiam a Francogallis quam maxime celebrata sunt. Quorum eruditissimus, Budaeus, ad illum scripsit: ,Quod nostratium permultis adeo places, qui te nunquam viderunt, stili tui suavitas efficit, operumque tuorum genius quidam illecebrosus lectorum exhilarator: qui in Francorum scriptis a Francis desideratur.' Idem vero illecebrosus, quem ille dicit, genius familiaribus Erasmi sermonibus et colloquiis aderat. De ea re quid fama tulerit, narratiuncula testatur de Thoma Moro tradita, qui in coena apud amicum quendam cum Erasmo ipsi incognito latine confabulatus exclamasse fertur: Tu es aut Erasmus aut diabolus. Et Budaeus ille idem ad Erasmum de Gallo quodam scribit: ,Gratiis te aliquando litavisse oportet, qui hominem illum perspicacem dierum paucorum consuetudine in admirationem tui favoremque traxeris.' Haud pauci de eodem, id quod raro alias fieri constat, laeti cum Poncherio Parisiensi praedicaverunt, famam superatam esse praesentia. Neque mirum quod data colloquendi cum tali viro occasio exoptatissima immo beatissima permultis visa est, quum praesertim ad ingenii illecebras illas accederet insignis quaedam morum suavitas, probitas, humanitas. Hanc inprimis etiam bonae spei juvenes experti sunt, qui ejus visendi causa ex longinquis partim terris advolaverant. Quamquam facile conjicitur, tum satis molestos interdum hospites Erasmum adiisse, tum ipsum adeuntibus tam largum, quam exspectabant, accessum non semper dare potuisse. Ex sola academia Erfurtensi primi Eobanus Hessus, insignis poëta, et Joannes de Werter, postea

Justus Jonas et Schalbus, praeterea Draco longo itinere ad Erasmum, tunc Lovanii degentem, peregrinati sunt.[1] Omnes diem, quo illum conspexerant, ut vitae beatissimum celebraverunt.

Ad conciliandam tantam praestantissimorum virorum admirationem permultum contulisse amabilem quandam in Erasmo morum naturaeque probitatem et bonitatem, si quis epistolas ejus legerit, eo plenius agnoscet, quo apertius illic etiam quidquid in eo humanae debilitatis fuit, expressum deprehenditur. Quae minus recte, quae nimio affectu, quae non satis fortiter ac sincere dixit et fecit, ea ipsum, conscientia monitum, corrigere saepius videmus; non tantas in illo ejusmodi maculas fuisse, quantae plerumque nunc censentur, suo loco demonstrabimus; hic dicere sufficit, multo praevalere, quae sint nobilioris indolis. Id Clericus, qui et illius epistolas denuo editas diligentissime examinavit, et ipsius vitiorum satis severus judex erat, plenissime agnovit. Suo jure Erasmi virtutibus etiam hilaritatem adnumerat, inter tot vitae miserias ac tempestates servatam, neque multa lectione neque accurata vitiorum hominum cognitione exstinctam. Atque tot singulis in eo vituperatis, tamen ad complectendam totam ejus vitae imaginem, poëtae verbis uti non dubitat:

— huic Pudor et Justitiae soror
Incorrupta Fides nudaque Veritas
Quando ullum invenient parem!

Eodem fere tempore doctissimus atque probissimus Lutheranus, Albertus Fabricius, pari diligentia Erasmi epistolas perscrutatus, prorsus idem de illo judicium tulit. Qui totam ejus vitam usque ad finem considerans, similiter atque nuper Nisardus id quoque summo studio contendit, virum illum, quamvis indole timidum, tamen nequaquam hominem ignavum fuisse. Itaque nos quoque, ad eandem epistolarum illarum lectionem variis temporibus reversi persuasum habemus, Erasmi non minus animo ac moribus quam ingenio in tot nobilissimis adolescentibus incredibile illud studium ejus accensum esse, quod ejus mortem deplorans Nausea his verbis exprimit: Totus animus in unius Erasmi contemplatione defigebatur, Erasmum cogitabamus, Erasmum videbamus et audiebamus.[2]

Inprimis viguit in Erasmo non minus generosum quam inexplebile amicitiae atque fraternitatis desiderium. In retinendis veteribus

1) Cf. C. Krause, Eob. Hessus I. p. 289 ss.

2) Nausea in monodia, quae legitur in Er. opp. ed. Cler. I.

amicitiis constantissimus et pertinacissimus est; habet usque ad vitae finem singulos prae ceteris familiares, quibus intima praecordia recludere nunquam dubitat. Sed ejusmodi necessitudinibus non obesse putat recens iterum atque saepius junctas amicitias et consuetudines, variis quasi gradibus distinctas, numero tam infinitas, ut memoriae vim admireris, qua tam diversas tot diversorum hominum res rationesque amplectitur. Quod ei maxime profitendum esset, qui Erasmi vitam perfectius quam hucusque factum est, scribendam susciperet, quoniam illius amicos aeque atque adversarios religiosa diligentia persequi et depingere necesse esset. Quamquam enim tunc mutuae eruditorum virorum litterae aliquo modo nostrarum ephemeridum litterariarum loco iis erant, tamen Erasmus non minus laudabili studio homines, quam res, de quibus cum iis agebat, amplectebatur. In ejusmodi curiositate aliquid periculi positum fuisse patet. Sed rarissime, quantum equidem animadvertere potui, in immensa diffusaque epistolarum ejus farragine falsi et aniles illi rumores, justo facilius crediti et sparsi, inveniuntur, quibus ephemerides nostrae plurimae turpiter abundant. Etiam de Erasmi loquacitate, quam ceterum in epistolis familiaribus nemo severius judicabit, semper fere meliore sensu praedicare licet, nihil humani eum a se alienum putasse. Tam variam esse mortalium sententiam dicit et suum cuique esse avium cantum, ut omnibus satisfieri non possit; ipse nihilominus omnibus viris bonis pro viribus satisfacere identidem studet. Tanta nimirum in eo inerat sese applicandi accommodandique ad alios et desiderium et facultas. A multis initio epistolarum commercium petivit, longe pluribus ipse postea petitum largiter praebuit, haud paucis commendatio ejus optatam viam apud exteros aperuit, alii ipso interveniente consuetudinem inter se junxerunt. Namque fraternitatis cujusdam christianae inter viros eruditos quam latissime propagandae mire studiosus erat. Satis non habuit familiares suos diligere; exoptavit ut se invicem etiam diligerent. Sic ad Goclenium illum, probum et pium apud Lovanienses Graecae linguae praeceptorem, laeto animo scribit: ‚Moro depinxeram tui imaginem, adeo nihil affingens de meo, ut quaedam etiam praetermiserim. Miro quodam desiderio tenetur videndi tui.‘ Ad inserviendum amicorum utilitati promptus et industrius erat, idque saepissime sua sponte atque ipsis insciis, quemadmodum pro Reuchlino flagrantissima verba ad Leonem X., Raphaelem Cardinalem, alios scripsit; ubi ejusmodi officio (ut erga Huttenum) deesse videtur, id quod rarissimo fit, habet quo juste excusari possit. Quum in egenos liberalis semper esset, maxime in bonae spei et in-

dolis adolescentes studiosos largus, benignus et munificus erat; haud paucis usus est amanuensibus ad conferendos codices et similia negotia, in quibus perficiendis labori et impensis non parcere solebat.

Quotquot recens alicubi emergebant praeclara ingenia, summo semper cum gaudio salutavit et promovit; cuncta vero ingenia Christo inservire et eruditorum rempublicam simul theophilorum (quos Leibnitius dicit) societatem esse voluit. Quare ut in libris ita in epistolis suis, si summam earum spectes, quidquid virium et auctoritatis est, eo intendit, ut in universa republica litteraria humaniora studia cum pietate christiana interno vinculo conjungantur. In ea re et praestantissimi viri, ad ejus litteras respondentes, cum eo consentiunt atque conspirant, et ipse velut dux illos praegreditur. Neque ideo gravius quidquam tulit, quam si propter christianam libertatem, qua utebatur, christianae fidei suae sinceritas in dubium vocata fuerit. Ejusmodi suspicionem acerrime semper repellendam putavit. Quare, quum eo animo obscuris viris aliisque angustioris ingenii hominibus fortiter resisteret, longe vehementiore dolore affectus est, quod anno illius seculi decimo sexto etiam Faber Stapulensis Francogallus, quocum Parisiis familiaritatem eorundem studiorum communione nixam contraxerat, sui defendendi necessitatem ei imposuit. Hic enim in libro quodam amicum, quem illic quoque vocat, propter nonnullas sententias, ex Novo Testamento rectissime derivatas, impietatis et insaniae accusaverat.[1] Quare Erasmus apologiam publicavit ipsique misit, querens quod non privatis litteris, sed odiosissima disputatione rem tractasset: jam ubique fere hinc pro Fabro, hinc pro Erasmo disceptari. ‚Oro te,‘ inquit, ‚per christianam caritatem, per sanctissimorum studiorum communem amorem, per utriusque famam, quam ex amicitiae lege par est utrique cordi esse, ut communi studio malo huic qua licet medeamur, ne latius serpat incendium. — Nimium delectavimus istos veteris inscitiae mystas.‘[2] Eundem postea apud amicos, durius de eo judicantes, studiosissime defendit. Sic apud Tonstallum Anglorum regis legatum his verbis: ‚Quae scribis de nostra ad Fabrum apologia, quamquam scio animo abs te scribi amicissimo, mihi tamen bis molesta fuerunt, vel quod veterem animi dolorem refricant,

1) Cf. Feugère l. c. I. p. 185 ss. Orta est controversia a loco in ep. ad Hebr. II, 7. Hunc Faber falsissime ita interpretari conatus est, ut cum Psalmi VIII. (v. 6) textu Hebraico, quem ipse Erasmo rectius intellexit, congrueret.

2) Epp. ed. Cler. nr. 239. 271. Append. nr. 211.

vel quod tu hac occasione minus aliquanto quam vellem videris tribuere Fabro, viro quo vix in multis millibus reperias vel integriorem vel humaniorem. Hac una in re sui dissimilis fuit, quod amicum immerentem tam atrociter impetiit. Quis autem omnibus horis sapuit unquam? Atque utinam mihi licuisset adversario parcere. Nunc duobus crucior nominibus, et quod cum tali amico coactus sum manus conserere, et quod intelligam quosdam de Fabro minus candide sentire, de quo cupio omnes quam optime sentire.'[1] Optaveris tranquilliore animo eum octogenario seni respondisse. Sed propter auctoritatem, qua contra diversissimos adversarios ipsi maxime sana pietas christiana tunc vindicanda erat, silere se non posse recte senserat. Propterea Budaeo amice objurganti sic scripsit: ,Modis omnibus culpandus essem, si ad impietatis crimen obmutuissem. Quod nemo sanctissimorum etiam Patrum non acerrime propulsavit. Mihi crede, Budaee, qui tale aliquid moderate ferre potest, is leviter pius est. Satius igitur esse duxi, Gratiis alicubi non satisfacere, quam Christi dignitatis labefactator et hostis videri.' Ceterum Erasmi et Fabri amicitia postea plenissime redintegrata est.[2]

Miram illius auctoritatem non tantum per Germaniam, sed per omnes Occidentis christiani gentes pertinuisse supra memoravimus. Permagnam eam in Hispania fuisse constat. Artissima vero familiaritate iis maxime gentibus conjunctus erat, quas ipse adolescens et juvenis visitaverat, unde quae eximia apud illos animadverterat, quae bona expertus erat, grata memoria comprehendebat. Angliae ,desiderio tenetur, in qua reliquerit amicos tam amantes, tam officiosos, tam jucundos, denique sic de se meritos;' illic prope totum in Anglum se transformatum esse ait. Italiam, principalem tunc bonarum artium sedem, videre adolescens eodem animi ardore cupiverat, quo flagrans eum tandem illuc proficiscentem Hermannus amicus, quod sine se solus abiret questus, versibus suis prosecutus est:

Italiam, Italiam laetus penetrabis amoenam!

Revera omnes fere ejus partes peragravit. Saepe postea hujus itineris meminit. Populi Italici, alienos semper dominos mutantis, tristia fata quasi sua saepius deplorat. Nullam fortunam tam benignam posse obtingere ait, quae Romae semel degustatae desiderium eximat animo suo; non solum suas litteras Romam ire quasi gestire, verum ipsum

1) Ibidem nr. 293 (a. 1517), cf. nr. 272. 283.
2) Ibidem nr. 855.

quoque mira quadam ardere cupiditate revisendae Urbis, quoties animo recurset, quam libertatem, quod theatrum, quas bibliothecas, quam mellitas eruditissimorum confabulationes, quot studiosos sui orbis proceres relicta Roma reliquerit. Etiam Galliam, quam pulcherrimam Christiani orbis partem vocat, valde adamavit. Quamquam a nobilissima illius gentis lingua, jam tunc multis extraneis accepta, mirum quantum abhorruit. In commentatione de pueris instituendis ‚barbaram et enormem' eam vocat, ‚quae aliter scribat quam sonet quaeque suos habeat stridores et voces vix humanas.' Quare non vult Germanicos pueros eam discere, quippe qui multo facilius Latinis et Graecis litteris instituantur. Nihilominus Gallia, cujus linguam spernebat, admodum ei placuit. Aliquando, ad Budaeum scribens, ‚nostram Galliam' illam dicere non dubitat. Etsi illic ad veteres quidem cosmographos provocat, ipse, uti puto, non immemor erat, esse aliquid in suo ingenio, cum illius gentis ingenio cognationis cujusdam vinculo conjunctum. Pro captivo rege Francisco, quem justo pluris tunc faciebat, vehementius fortasse quam Gallorum ullus Caesarem publice compellavit, ut liberans eum generositate sibi obstringeret. In Gallorum fugam se lusisse quondam ait, sed Musis et Apolline nullo.

Neque tamen ab Erasmo, quum inter exteros peregrinaretur, patrii soli desiderium alienum erat; cupit aliquando, etiam apud Anglos suos versans, cum Ulixe patriae fumum subsilientem conspicere. Germanus manere semper voluit, quippe Hollandia tunc temporis inferioris Germaniae pars, ut ab ipso, ita ab exteris habebatur et nominabatur; licet populares passim perstringat, tamen et virtutes eorum praedicat. Germanorum maxime gentem facilius duci quam cogi ait; laudat ejus et virtutem militarem et litterarum artiumque studium, quo fiat ut quot urbes, tot fere academiae sint, et pietatem; quam contra amici Itali cujusdam convicia defendens, hanc gentem ait, ‚utcunque nunc tumultuetur, nunquam tamen in vera Christi religione cessisse Italiae, si res aestimetur ab annis octingentis.'[1] Ad servandam Germanicam fidem ac Germanici nominis honorem saepius provocat (Germanos autem omnes nominari dicit, qui germanice loquantur);[2] imminentia magna patriae pericula et diram discidii per secula fortasse duraturi calamitatem non minus sollicito (ut videbimus) quam perspicaci animo praedixit. Germaniam superiorem, quae vocabatur, post lustratas demum peregrinas terras illas vidit; hanc sic sibi modis

1) Epp. XXVI, 34.
2) Ep. ad Zwinglium Cal. Sept. 1523.

omnibus arrisisse confitetur, ut vehementer doleat tam sero sibi cognitam; ibi per posteriorem vitae partem versatus usque ad finem intimis, quibus omnia arcana sua committeret, amicis utebatur. Itaque saepius factum est, ut exteri tantum virum Germanis inviderent. Immo quemadmodum nostris diebus eximii quidam scriptores Francogallici [1] Erasmum, ab intimo Hollandiae et Germaniae animo alienum, gentium Latinarum potius ingenium expressisse et repraesentasse dixerunt, sic jam illis temporibus erant, qui Gallum vel Gallogermanum vel Germanogallum eum vocarent. Contra hos Nausea ille, ab Hollandia oriundus, cujus verba quaedam admirationem spirantia supra attulimus, ,Nos tamen,' inquit, ,non dubitamus ipsum magnum nostrum Erasmum sine controversia patriam habere Germaniam.' Nihilominus concedendum est, in illo cum animo sincere Germanico conjunctum fuisse aliquid ingenii Latini et Attici. Et quamquam Germaniae decus vocari libenter audivit, tamen industria ejus ac labor intra unius populi fines consistere neque potuit neque debuit. Nemo forsitan ante eum tam larga et vivida rerum humanarum contemplatione edoctus intellexerat, varias cum singulorum hominum tum populorum naturas divinitus ita constitutas esse, ut variis modis ad eundem finem omnia coirent, neque vero id recte peragi a mortalibus posse nisi omnibus etiam doctrinis et disciplinis divino regno inservientibus. Quod semel et veterum litterarum et pacis atque concordiae amore eo abripitur, ut omnes linguas praeter Graecam et Latinam tolli optet, id nimii ponderis aestimandum non est. Ut Christianus non obliviscitur omnibus linguis Deum celebrandum esse. Sed hoc cordi ei est, ut ex gentium varietate omnis hostilis diversitas auferatur. Quapropter a viris eruditis postulat, ut gentium inimicitiis ac discidiis obsistant, pacis et concordiae quasi interpretes sint, magnae unius familiae christianae socios se ipsos praebeant. ,Ego,' inquit, ,mundi civis esse cupio, concivis omnium, sive peregrinus magis. Utinam contingat ascribi civitati coelesti.'

Non defuerunt illo aevo, qui apud omnes fere gentes Europaeas hoc ingenium, hunc animum mature intellegerent et justo pretio haberent. A viris eruditis ingens Erasmi fama ad reipublicae et ecclesiae proceres, etiam ad eos, qui minus docti erant, et ad plebem permanavit. Itaque non mirum quod de itineribus ejus narrat Rhenanus. ,Non tantum a principibus et episcopis,' inquit, ,honoratus est Erasmus, sed etiam a civitatibus Germaniae, si qua transiret et magi-

1) Nisard l. c. p. 104 ss. Feugère l. c. p. 450.

stratus rescivissent, vino donatus, qui honor magnatibus et civitatum legatis more gentis impenditur.‘ Id Rhenanus saepius etiam se praesente in illustrissimis urbibus, quas plures nominat, contigisse ait. Neque solum splendidissima munera, ne Cardinalatu quidem excepto, ei oblata sunt, verum etiam summi principes honorificentissima invitatione, adjecta annuorum salariorum promissione, nil suscipiendi ab eo officii postulantes, quasi certatim eum adlicere ad se conabantur. Id Angliae, Francogalliae, Poloniae, Bavariae monarchas egisse scimus; id Ferdinandum regem, cujus nomine archiepiscopus Viennensis scripsit, multi interesse ubi terrarum degeret magnus Erasmus. Quae omnia hic constanter recusavit. Sufficiebat ei, quod Carolo V. absens nomine tenus a consiliis erat et annuam pensionem, quae dicebatur, satis modicam accipiebat. Ceterum suo se modulo metiens non ad publica negotia vel ad aulicam vitam se natum putabat, sed ad solum magnae illius reipublicae litterariae ministerium obeundum. ‚Omnibus si queam,‘ inquit, ‚prodesse cupio, servire nemini.‘ Sibi ut privato homini plenam libertatem servandam esse saepius praedicat. Quae si salva erat, multorum principum ac magnatum dona gratuita accipere nunquam dubitavit, neque id pro temporis more dedecori ei erat.

Quum enim certum quoddam edendorum librorum pretium a bibliopola auctori solvendum stipulari turpe aestimaretur, haud raro scriptores ingenii et eruditionis fama celeberrimi Maecenatum ope egebant. Hac destitutus Erasmus interdum paupertate laborabat. Qua quondam pressus juvenis, quum grave, ut ait, et laboriosum opus sibi praescripsisset, ad componendas nugas quasdam deductus est, de quibus ipse ad amicum: ‚Emoriar, si quid unquam in vita sic repugnante animo scripsi, ut has nugas, immo gnathonismos ad Dominam, ad Praepositum, ad Abbatem.‘ [1] Deploraveris nunc nobilem animum; tunc a multis propter ejusmodi querelas morositatis incusatus est. Postea plus semel accidit, ut summi patroni, deficiente ipsis crumena, promissis non starent. Etiam pensio illa, a Carolo V. ei concessa, per plures annos non pensitata est. Vel a magnatibus dona accepit parum ipsi utilia, quae tamen pudoris causa vendere non licebat. Sic honores memorans, quibus Basileam primum profectus ab episcopo cumulatus est, ‚Equum, inquit, coëgit ut acciperem, quem mox urbem egressus, aureis quinquaginta revendere poteram, sed praestat coram hunc Thrasonem agere.‘ Ceterum etiam in virum jamdudum

1) Ad Battum a. 1499.

spectatissimum, per Europam celeberrimum, rerum angustiis non amplius impeditum, sed pecuniae liberalem, suspicio facile cecidit, quasi sui commodi causa in proceres, praesertim quibus libros dicaverat, nimiam laudem contulisset. Ubi enim illos toties publice laudare moris et civilitatis erat, etiam optimi viri, jam propterea, quod variandi in eodem negotio sermonis studiosi erant, modum facile excesserunt. Verumtamen apud Erasmum nimiae ejusmodi laudes, si quando occurrunt, semper fere quasi praefatio sunt severae veritatis, quam quanta libertate coram iisdem proceribus proloqui ausus fuerit, tum supra ostendimus, tum plus semel sequentibus commentationibus ostendemus. Certe de his omnibus ex illorum temporum moribus, quamvis reprehendendis, judicare debemus. Neque omittamus id quod nobile est in illis moribus, quoniam Erasmus aeque ac Lutherus ingenium suum vendere non vult, et amicissimum bibliopolam Frobenium non in mercatura quadam, sed in solo altiore negotio socium et adjutorem suum aestimat, de quo viro in epistola ad Vergaram Hispanum data perpetuam illam, de qua diximus, pugnam suam describens, ‚Mihi,' inquit, ‚in acie stanti moriendum est, ad eam rem accommodatissimus mihi est Frobenius arma pugnanti suppeditans.' Propter ejusmodi potissimum animi testimonia tunc temporis generosissimi homines, quamvis naevos in Erasmo non ignorarent, tamen saepe judicabant, majori illum Maecenatibus, quam Maecenates illi, honori esse.

Sed ad inceptum redeamus. Illam igitur Erasmi auctoritatem, cujus causas investigavimus, quum et quam late patuerit et quam alte animis infixa fuerit consideramus, tantam in universa Europae reipublica litteraria, quantam post illum nullius unquam, fuisse jure dicimus. Hanc si principatum quendam nominamus, nil novi proferimus, sed illorum temporum judicium repetimus et vindicamus. Id mirifice expressum legimus in epistola quadam Alberti Cardinalis et Electoris, Archiepiscopi Moguntini et Magdeburgensis, Primatis Germaniae, Marchionis Brandenburgici. Qui quum admodum juvenis in tanto principatus ecclesiastici et secularis fastigio collocatus esset, haec verba scripsit ad eruditorum principem: ‚Nuper in voluminum abs te editorum lectionem incidentes, Erasme doctissime, quum divinum hoc tuum ingenium, omnigenam eruditionem et supra captum paene hujus seculi et patriae eloquentiam admirati essemus, cepit nos ingens quoddam te videndi desiderium: quippe nihil magis ex dignitate nostra arbitrati sumus, quam quum nos Dei Opt. Max. benignitate in principem episcoporum locum evecti simus, eum virum, qui non per Germaniam

modo, sed universam prope Europam, in litteris principatum obtineat, complecti ac fovere. Proinde tantum defuisse fortunae nostrae, si te non viso ab hac vita migrare contingeret, arbitraremur, quantum nobis felicitatis adscribimus, quod eo tempore nati sumus, quo tu tantus vir his litteris, hac industria communem patriam Germaniam a foeda barbariae appellatione vindicas, immo quo tu divinam theologiam, ab illa antiqua et germana in novam quandam et impuram aliquot jam seculis deformatam, suo splendori reddis ac priscum in nitorem restituis. — O felicem illum (si quis nobis illucescet) diem, quo in tuam faciem hos oculos defigimus, quo ad suavissimum tuum eloquium has aures arrigimus, quo abs tuo penitus ore pendebimus.' Congruit cum his summi philologi, Joachimi Camerarii, testimonium, qui et ipse adolescens quondam Erasmum adierat. Is multo post mortui amici, Eobani Hessi vitam describens, ubi de Lovaniensi ejus itinere mentionem infert: ,Credebatur,' inquit, ,Erasmus, ut erat, politioris doctrinae esse princeps, et in uno omnes contra adversationem barbariae satis opis praesidiique esse statuebant.'

Nec aliter exteri judicabant. Ex quibus Stephanum Poncherium affero, episcopum Parisiensem et regis ad Caesarem legatus. Qui postquam praeclara Italorum de elegantioribus artibus merita praedicavit, ,Sed tamen istud ego,' inquit, ,citra invidiam et cum pace Italiae dixerim, cui equidem cum favi antea multum, tum tribuo semper in studiis plurimum: unus profecto Erasmus transalpinis et cisalpinis omnibus palmam praeripit, unus Erasmus omnium lumina eruditionis ac facundiae fulgore perstringit.' Cum hoc omnes fere Galliae viros eruditos consensisse Budaeus significat. Ex quibus nobilissimus juvenis Theodorus Beza versibus quibusdam illum celebrat,

ingens ingentem quem personat orbis Erasmum.

Longolius Ciceronianus Batavus queritur, quod ipse Franciscus rex Erasmum Budaeo praetulerit, Germanum Gallo, exterum civi, ignotum familiari. Alia ejusmodi multa coacervare facile est. Nihil addo nisi scholastici cujusdam, bonarum litterarum studium prae se ferentis, testimonium, fucatum quidem ac morosum; nec tamen spernendum. Eckius scilicet in litteris supra memoratis Erasmo hasce admovet blanditias: ,Non te latet, quam bene de te sentiat omnis Germania (obticeo summum Pontificem, Italiam, Galliam et Angliam), quibus laudibus tua efferat studia, ingenii tui excipiat foeturas, praeclara exosculetur opera, ut omnes ferme docti prorsus sint Erasmiani, cucullatis paucis demtis et theologastris.'

Tam immensae orbis eruditi laudes, quae omnia adversariorum convicia longe exsuperare videbantur, Erasmi in judicando se ipso sobrietatem deminuere facile potuerunt. Putavit se hoc periculum effugisse. De qua re Lutherus haud prorsus injuria fortasse dixit, non tam facile esse, quam illi videatur, mundi gloriam spernere. Sed Erasmum tentationis illius insidias perspexisse et vincere studuisse certum est. Ipsum Lutherum primis litteris, quibus illius salutationi fraterne respondet, comiter simul admonet, servandum esse animum, ne vel ira vel odio vel gloria corrumpatur; nam hanc in medio pietatis studio solere insidiari. Extrema vitae aetate plus semel deplorat, quod illud *λάθε βιώσας* sequi non potuerit. Multis annis ante[2] jam agnoscit, ,longe plus utilitatis sibi allaturos fuisse duos tresve fidos monitores quam multa laudantium millia.' Et eodem fere tempore fatetur, se olim juvenem duxisse pulchrum esse laudari a viris laudatis; verum ubi cognoscere coeperit, quam molestum sit onus fama, nihil magis se in votis habuisse quam eam, si liceat, totam abjicere. ,Quod animal,' inquit, ,me vivit infelicius, si pro tot exhaustis laboribus nihil aliud mercedis refero, quam famam in hoc seculo, quae tanto plus habet aloës quam mellis, si quid tamen omnino mellis habet.' Addit ,neminem probum sui judicem esse, sed probis judicibus probare se posse factis arbitratur, laudibus nunquam magnopere se esse delectatum, immodicis semper etiam offensum.'[3] Revera ejusmodi laudes vel attica urbanitate vel graviore increpatione saepissime repellit. Sic nobilissimum virum eumque usque ad vitae finem sibi familiarissimum, Udalricum Zasium juris peritum amice objurgans, ,Ut missas faciam,' inquit, ,istas delicias, quibus apud Italos vulgo docti sese delenire consueverunt, sed ut homo Germanus cum Germano germana illa et simplici veritate agam, ipse me meo, quod ajunt, pede metior, et novi, quam sit mihi curta supellex; tantum abest, ut laudes agnoscam, quas tu mihi tribuis.'[4] Alibi postquam eundem vituperavit, quod secundum Graecum proverbium ex musca se faciat elephantum, addit tamen se favere simulacro, quo se depingat praeclare magis quam apte, veluti si Apelles quispiam egregiam sui picturam proponat, sed quae ad exemplar non respondeat.'[5] Denique eodem anno

1) D. 30. Maji a. 1519.
2) A. 1526. Cf. Ranke, Deutsche Geschichte etc. ed. V, vol. I. p. 180.
3) Epp. XIX, 91. Ad Beddam 1525.
4) D. 23. Sept. a. 1514. (apud Clericum in appendice).
5) D. 23. Aug. 1518.

ad Eckii litteras, supra memoratas, non sine ironia quadam respondens, ,Quod in tuis lucubratiunculis,' inquit, tantis laudibus oneras Erasmum, theatricos istos applausus ac brabea aliis relinquo, ipse talium gloriarum satur. — Nihil equidem in me agnosco, cur quisquam velit esse Erasmicus, et prorsus odi ista dissidiorum nomina: Christi sumus omnes et in illius unius gloriam pro sua quisque portione sudamus.'[1]

Hic sincerus Erasmi animus fuit. Etiam quidquid famae et auctoritatis ingenio meritisque obtinuerat, ad perficienda ea conducere voluit, quae officii sui esse recte putaret. Neque statim pro vanitate et insolentia habendum est, si contra tot furiosissimos obtrectatores, quos contra se ut antichristum et haereseos patrem coelum ac terram movere apud omnes gentes viderat, merita sua ab ipsis ecclesiae proceribus laudata, immo honores ab illis et principibus in se collatos obtendebat, si contra Beddam, qui ut *συνθεόλογον* agnoscere eum noluerat, se a Leone, Adriano, Clemente pontificibus *συνθεόλογον* agnitum esse gloriatur. Propter similes causas etiam Paulum apostolum ,stulte loquendi' veniam a Corinthiis petivisse memor est. Nonnulla ejusmodi apud Erasmum minus caute dicta esse, nonnulla humanam fragilitatem sapere, nos neque negamus, neque supra modum ea exagitari fas esse putamus. Ipse sane haud raro in repellendis injuriis oblivisci visus est, quod saepissime docuit, publica negotia cum privatis affectibus non esse miscenda. Verumtamen se ipsum colligere et corrigere sincere studebat. In sententiis primariis constantior erat quam multi eum esse existimaverunt. Singulares nimirum ejus virtutes partim inde fluxerunt, quod inerat in eo aliquid admodum mollis animi, ad diversissimos motus, ad amicitiam, offensionem, reconciliationem proni. Quare etiam amici eum justo irritabiliorem saepe judicaverunt. Sic Germanus Brixius ei scribit, decere Erasmum ad summum illud ingenium parem item animum afferre atque adeo ob infelicium nescio quorum ingeniorum a Musis ac Gratiis prorsus aversorum versiculos stomachum magis remittere quam intendere, nec aliter ad eos commoveri, quam culicum morsu elephantus Indicus commoveatur. Provocat ad Alexandri Magni exemplum, qui dixerit, regium esse male audire, quum benefecerit. ,Major est, mihi crede,' inquit, ,famae ac gloriae tuae majestas, quam ut tam ineptis tamque insulsis epigrammatis labefactari queat.' Ad talia Erasmus non minus circumspecte quam modeste respondere solet. Quae gravissime eum

1) D. 15. Maji a. 1518.

movent, revera non sunt res mere privatae, sed publicae. Rectius quam amicorum plurimi perspexerat, quantum per omnes terras, quantum in Curia Romana valerent infelicia ista ingenia, quam prope a victoria abesset in ecclesia monachalis obscurorum virorum pars, jam passim a sociis quibusdam, qui Eckii instar aliquid bonae litteraturae degustaverant, sustentata et promota. Quare haud male Erasmus judicavit, principiis obstandum esse, ne efflorescens in praesentia hominum vere eruditorum pars, quae spiritualem christianismum a praeteriti aevi erroribus, Judaismum et Paganismum quendam redolentibus, vindicabat, jam tunc ita, ut paulatim postea factum est, in universa fere ecclesia Romana opprimeretur et exstingueretur.

Idcirco etiam, quoad fieri posset, cavendum esse censuit, ne ipsorum Pontificum ira adversus viros eruditos, in ipsa Urbe et curia monasticae parti adhuc resistentes, irritaretur. Non nego, quum hoc evitare studeret, ductum eum esse etiam privatis rationibus, sed non defuisse contendo, praesertim posteriore tempore, majus quoddam et nobilius consilium. Nec refellere in animo est, quae contra nimias quasdam Pontificum laudes, justo festinantius effusas, etiam ab acerrimis Pontificiis dicta sunt. Quamquam in ipsa earum nimietate interdum ironia quaedam inest, non morosa ea quidem sed festiva et Attica. Sic quum Erasmus ad Leonem X., ab universo orbe christiano summa cum spe exceptum, in epistola scribit, quanto ceteri mortales pecudes antecellant, tanto ipsum mortales universos majestate superare, ipse Papa vix, ut puto, crediderit, haec ab auctore ‚stultitiae encomii,‘ quod summo gaudio perlegerat, prorsus serio vultu dicta esse. Nimirum ipso illo lusu ingenii, dum admodum seria intermiscuit, plane stupendam praebuerat coram ipsa curia Romana animi libertatem. Illic dicere ausus erat, ‚nullos hostes ecclesiae perniciosiores esse, quam impios Pontifices, qui et silentio Christum sinerent abolescere et quaestuariis legibus alligarent et coactis interpretationibus adulterarent et pestilente vita jugularent.‘ Sed ut singula illius modi verba, quae adulationis speciem prae se ferebant, acerrime reprehendantur: id certe nunquam obliviscendum est, Erasmum talibus blanditiis, quas justo facilius cum multis aliis necessariam pro temporis more urbanitatis partem esse putabat, viam sibi munivisse et ad patrocinandum multis viris eruditis adversariorum odio periclitantibus et ad veritatem coram omnibus sui temporis proceribus pro sua virili parte libere profitendam. Quam quomodo Leoni proponere ausus sit, testantur jam litterae illae, quas memoravimus, ad Grunnium scriptae et coram Papa et Cardinalibus lectae, testantur permulta, quae in interpretatione Novi Testamenti

Papae dedicata passim occurrunt. Immo ipsa illa epistola, propter ridiculam adulationem a qua incipit famosa, obscuris viris tunc maxime saevientibus adversari studet, pluribus insignibus viris Pontifici commendatis, inprimis Reuchlino, quem ut ,Germaniae Phoenicem et unicum decus' celebrat, ,trium linguarum peritissimum, in nullo doctrinae genere non versatum.' Tam singulari astutia miscuit blanditias et ingenuitatem. Itaque factum est, ut etiam postea in libris suis multas res ingenue profiteri ei liceret, quas qui nunc illic profiterentur, illico anathematum fulminibus percellerentur. Obsequium universae ecclesiae praestandum sincero animo, id quod infra demonstrabimus, promittens, simul adversus eos, qui ecclesiae nomine se loqui arbitrabantur, etiam ipsos Pontifices, mira libertate utitur. Nimirum a magno illo eruditorum virorum sodalitio velut princeps et summarum sanctissimarumque rerum propugnator tanto studio ferebatur et contra hostium impetus defendebatur, ut horum manibus eum ad tribunal inquisitionis ducendum tradere ipsi curiae Romanae opportunum non videretur, utpote quam non fugeret, multo graviorem quam quae accusato Reuchlino erupisset tempestatem timendam esse. Plus semel vero, divisis de ea re Cardinalium suffragiis, momentum ad illam benevole decernendam ipsorum Pontificum sententia attulit.

Qui quantopere in fovendo Erasmo omnes consenserint, paucis hic ostendere operae pretium videtur. Leo X. volumina ejus ,jucunda quadam cupiditate se exspectare et, si sibi dedicata fuerint, in maximi muneris loco ducturum' affirmat. Idem Angliae regi summis cum laudibus illum commendat ut ,notum quidem sibi ex domestico congressu antea, quum ipse in minoribus fuisset, sed deinde longe magis ex eis ingenii monumentis, quae litteris mandasset, non notum solum, verum etiam maxime probatum.' [1] Et ultimo ejusdem Papae regni anno Paulus Bombasius Erasmo scribit: ,Leonem maxime propitium habes, cui quoties tuae ad quoscunque litterae ostenduntur, eas avidissime legit et candidissime laudat; novissimas ad me tuas postquam sibi per Cardinalem patronum meum delatas legisset, diebus aliquot repetiit, ac Sadoleto et aliis doctis legendas dedit.' Adrianus VI., quem solum inter hos pontifices sincera pietate fuisse constat, per breve papatus tempus Erasmum, cujus auxilium petivit, summi fecit eique scripsit: ,Licet, ut verum fateamur, nomen tuum ab uno forte vel altero, tui non multum studioso, nonnihil apud nos delatum sit, ex natura tamen nostra et instituto, adde etiam ex eo quod gerimus officio, non faciles

1) Epp. II, 4. 5.

praebere aures solemus ad ea, quae de doctis et virtute praeditis viris sinistre nobis referuntur; quos quanto scimus excellentiore doctrina praeditos, tanto esse videmus invidiae morsibus magis obnoxios.'[1] Eundem erga Erasmum animum Clemens VII., cui paraphrasin in acta apostolorum dedicaverat, misso honorificentissimo diplomate declaravit. Denique Paulus III., regni initio piorum quorundam virorum concilia secutus, Erasmi litteras gratissimas sibi fuisse significat, cujus celebre nomen semper amaverit et doctrinam magni fecerit. Addit haec: ,Quamvis in gratulando benevolentiam, in laudando humanitatem, in monendo prudentiam tuam exhibueris, tamen prae his omnibus tuam pietatem amavimus, quam in sanctae ecclesiae tranquillitate optanda et promptitudine obsequii expromenda nobis ostendisti.'[2]

Horum omnium igitur favore Erasmus non ad expetendos honores vel divitias usus est, sed ad servandam conscientiae ac sermonis libertatem. Ex magna eorum copia, qui ut ecclesiae hostem eum opprimendum censebant, Nicolao Egmondano Adrianus, Stunicae Clemens silentium imposuerunt. Quae singula tutelae papalis exempla quanti momenti fuerint facile intellegitur. Reformationem illam in ecclesiae capite et membris, jamdudum desideratam, effici quidem voluit Erasmus, idque spiritualibus auxiliis, sed sine tumultu et cum pace, quantum fieri posset, omnium. Quod assequi non potuit nisi consentientibus tum Papa et episcopis, tum Caesare et monarchis. Quam ingenti vero rerum mutatione opus esset, Erasmum magis magisque cognovisse, ex iis quae supra attulimus satis apparet. Non tantum in ecclesiae doctrinam, instituta, mores, caerimonias multa irrepsisse vidit, quae correctione egerent, sed etiam ad priorem seculorum simplicitatem, ad sincerum Christi evangelium redeundum esse. Jam igitur id ille perspicit, quod nostris demum temporibus etiam Protestantes plenius cum eo agnoscunt, fidem christianam, omnibus necessariam, quae ipsum Christum amplectatur, distinguendam esse a theologia, in qua non possint non multae admodum diversi momenti quaestiones a viris doctis agitari, quorum placita Erasmus vult ,versari intra scholarum parietes nec quaslibet opiniones haberi pro articulis fidei.'[3] Hoc animo in litteris ad Campegium Cardinalem, epistolae cuidam Paulinae paraphrastice explanatae praemissis, disputantes inter se theologos revocat ,ad divinae scripturae certissimam regulam, ad limpidissimos evangelicae doctrinae fontes, Philistaeorum scrobe oppletos,' qui detecti invisa novitas multis esse videantur. Addit, id quod supra

1) Epp. XXIII, 3. 4. 2) Epp. XXVII, 26. 3) Epp. XXVII, 2.

jam memoravimus, ‚sic olim evangelicae doctrinae mustum aversatos esse Judaeos ac novitatem habuisse invisam, quum potius ad priscam vetustatem revocarentur.‘[1] Se ipsum vero perrecturum esse significat, priscos fontes illos quantum possit aperire.

Nec tamen haec ita dixit Erasmus, quasi omissis et spretis omnibus, quaecunque tot interpositorum seculorum decursus attulerat, suos aequales ad veterrimae ecclesiae exemplar imitatione prorsus exprimendum et quodammodo iterandum revocasset. Ejusmodi somnium dispellens: ‚Quum ecclesia,‘ inquit, ‚quemadmodum res ceterae mortalium omnes, habeat rudimenta, progressus et summam, nunc subito illam ad primordia revocare nihilo sit absurdius, quam virum adultum ad cunas et infantiam velle redire.‘[2] Quarundam rerum ecclesiasticarum condicionem meliorem, digniorem, perfectiorem quam initio nunc esse, neque quod ad christianae veritatis pervestigationem attinet, excellentissima ingenia, divino spiritu adjuta, frustra per omnia secula laborasse, saepius adnotat. Quare non minus operam dat, ut quidquid vere boni ecclesia possidet conservetur, quam ut quidquid mali irrepsit removeatur. Utriusque rei certissimam regulam proclamat divinam scripturam. Sed ea ut recte adhibeatur ad sejungenda in ecclesia mala a bonis, quoniam utraque mire saepe permixta sint, unitis omnium piorum et eruditorum hominum viribus opus esse judicat. A multis enim in diversas partes peccari. Alios ‚mordicus vetera omnia retinere, neque quidquam eorum mutari velle, quae perperam irrepserint in ecclesiam et unde scateat praecipua christiani populi corruptela.‘ Alios tales esse, ut libertate evangelica (quam agnoscendam toties ipse ab ecclesiae principibus postulaverat) facile abutantur. ‚Nullam quidem adhuc exortam esse sectam, quae de Christo praedicet impie; multis tamen opinionum tumultu addi animos, ut ausint non tantum de Christi divina natura oblique loqui, verum etiam de scripturae totius auctoritate dubitare. Ita fieri solere: quoties semel effractis repagulis sese in licentiae campum effuderit hominum temeritas, nullum eam facere insaniendi finem, donec omnia secum involvat exitio.‘

Itaque Erasmus reformationis, qua ecclesia egebat, tam magnitudinem quam difficultatem perspiciebat, etsi utramque suos aliorumque oculos celare interdum conatus est. Eodem semper manente ecclesiae aeterno atque immutabili fundamento, tamen ex rebus superstructis multas non tantum externas sed etiam internas mutandas

1) Epp. XXIX, 74. 2) Opp. IX, 1585.

esse vidit,[1] idque bonarum illarum litterarum auxilio, quibus tum scripturae et historiae veritas vindicaretur, tum largior quasi rerum humanarum aspectus praeberetur. Novam prorsus aetatem accedere, cujus vim etiam ecclesia effugere non posset, vix quisquam Erasmo clarius divinavit. Hanc venientem ipse quondam juvenis incredibili gaudio salutaverat, propterea, ut amico scripsit, vitae amans, quod tantum renascentium ubique litterarum splendorem conspiceret. Sed mox tempestates ingenti omnium rerum mutatione exorituras timere, paci, quam querela illa celebravit, consulere coepit. Hoc animo in controversia Reuchliniana juventutis ab ipsius ore pendentis nimium ardorem moderari studuit. Quare unus ex obscuris viris in famosis epistolis ingeniose inducitur scribens: ‚Erasmus est homo pro se.' Nimirum magnam et necessariam rerum mutationem consociato multorum continuo labore paulatim fieri voluit. Jam inde ab illo tempore novae illius aetatis praenuntios et quasi antecursores lente festinandum esse admonuit, ne praeter insanabile Pharisaeorum et Sophistarum odium etiam meliorum quorundam hominum, inveteratae consuetudinis amantium, ira excitaretur neve, dum medicus inclementer et incommode admoveret remedium, aegroti saluti consulentem pro hoste ducerent. Convenire magis, ut ‚qui profiterentur bonas litteras, quae vulgo laborarent invidia novitatis, quum essent antiquissimae, civiliter irreperent potius quam hostiliter irrumperent, neque statim velut sexagenarios de ponte depellerent, sed paulatim coalescerent cum veteribus coloniis.'[2]

Huic igitur negotio prae ceteris principes ecclesiae et reipublicae adjumento esse debere, ipsos commonefacere Erasmus strenue nitebatur. Neque ubicunque id agit, sermonis libertatem in eo desideraveris, sive ipsos principes sive familiarissimos eorum ministros alloquitur. Dummodo seriae reformationis, qualis tamdiu exspectata sit, aliquod initium fiat, omnes bonae voluntatis homines paulatim ad concordiam redituros esse sperat. Hac mente anno illius seculi vicesimo quarto ad Ferdinandum Caroli V. fratrem scripsit: ‚Submonueram invictissimum Caesarem per Glapionem. Submonueram et Adrianum pontificem. Submonui Clementem et hujus legatum Campegium. Si quaedam mutarentur, quae nullo religionis dispendio, nulla publici status convulsione mutari possunt, idque fieret ex auctoritate pontificum, episcoporum et principum, mundus opinor inciperet auscultare.'[3]

1) Cf. Paraphr. in 1. Cor. 3, 12 s. 2) Epp. XXIX, 74. 3) Epp. XX, 23.

Ad Clementem nonnullis mensibus ante haec scripserat: ‚Crede mihi, tua sanctitas superabit omnium pontificum gloriam, si hos bellorum et opinionum tumultus composuerit: alterum efficiet, si se aequalem praebuerit principibus omnibus, alterum, si spem fecerit se velle mutare quaedam, quae salva pietate mutari possunt.‘[1] Hic duas res significat Erasmus, quibus postea neglectis Clemens tot mala reipublicae christianae attulit. — Facile esset multa similia etiam audaciora congerere. Excerpo quae ad Georgium Saxoniae ducem anno seculi vicesimo secundo scripsit: ‚Si libere loqui fas est apud principem non minus prudentem quam humanum, mundus indormiebat opinionibus scholasticis, constitutionibus humanis, nec aliud audiebat quam de indulgentiis, de compositionibus, de potestate pontificis Romani. Haec etiamsi essent indubitatae veritatis, non animant nos ad contemptum hujus mundi, non accendunt ad amorem rerum coelestium. Atqui haec potissimum sunt inculcanda.‘ His addam denique, quae in fine pulcherrimae praefationis ad paraphrasin Novi Testamenti, eodem anno scriptae, leguntur: ‚Principes, praesertim ecclesiastici, sic instituant consiliorum rationes ut sincera conscientia nihil aliud moliantur, quam ut per fidem, caritatem, pietatem, concordiam, per rerum mundanarum contemtum, per rerum coelestium amorem quam latissime regnet, floreat et imperet Christus. — Non est perpetuum quod terroribus ac minis conficitur. Non est firmum, quod humanis technis obliquisque consiliis contexitur. Nisi Christus intersit consiliis nostris, etiamsi malum prematur in tempus, mox tamen erumpet majore cum orbis pernicie.‘

Talia vero omnia Erasmi verba haud frustra dici videbantur, quum immensa illa, quam descripsimus, auctoritate adjutus non ut privatus quidam eruditus, sed ut magnae reipublicae litterariae princeps, immo ejusdem quodammodo nomine loqueretur. Hujus reipublicae civitate atque sodalitate qui per Europam gloriabantur, iique ex parte summis apud varias gentes locis positi, per annorum quorundam seriem longe plurimi de emendandae paulatim ecclesiae ratione cum Erasmo consentiebant eumque in hoc negotio velut ducem et antesignanum, qui multa feliciter jam perfecisset, venerabantur. Quorum unus quasi omnium nomine post controversiam Reuchlinianam illi scripsit: ‚Video equidem, uti theologi isti nostri desertis Scotistarum, Occanistarum, adde etiam Thomistarum factionibus ad antiquam illam ac veram se theologiam convertant, si porro perrexeris suam arcanis

1) Epp. XIX, 1.

ac coelestibus litteris dignitatem asserere. Id quod hactenus tanto abs te successu factum esse censeo, ut certe non videam, quem veterum theologorum tibi jure anteponere quis debeat.'[1] Illo tempore jam etiam inter universitatis Parisiensis theologos erant, qui iisdem studiis faverent. Quare Erasmus ejusmodi laetis rebus, quae undique nuntiabantur, confisus ipsi Leoni X., quum alteram Novi Testamenti editionem ei mitteret, hoc confiteri ausus est: ,Qui hactenus putribus lacunis perturbatam quandam et frigidam theologiam hauriebant, nunc e purissimis fontibus Christi et apostolorum haurire malunt.'[2] Et tribus annis post exclamavit: ,Videmus, quantum profectum sit paucis annis. Ubi nunc in scholis auditur Michaël Modista, ubi glossema Jacobi, ubi citatur catholicon, brachylogus aut Mammaetrectus, quos olim ceu rarum thesaurum aureis litteris descriptos habebant monachorum bibliothecae?' Adjicio, quae ultima senectute de studiis suis philologicis et theologicis dixit: ,Fateor esse multos qui me praecedunt hoc argumento laudis, nec mirum est, quum ego primam invidiam exceperim viamque munierim, quum novale repurgare coeperim; ac doleo non esse plures a quibus superer. In hoc enim a me sudatum est. Quod si quis conferat seculum, quod fuit ante annos triginta apud Germanos, cum hoc quod nunc est, intelliget an aliquid litteris contulerit Erasmus. Ante annos viginti nullus erat princeps qui teruncium impenderet instituendo filio: nunc nullus est qui non magno conductum adhibeat formatorem peculiarem. Reclamabant initio theologi, sed seniores modo, juniores nostra amplectebantur, nunc et Casci mitescunt. Nec pauci jam monachi, quae prius damnarant, incipiunt amplecti.'[3] ,Ad puriorem christianismum orbem caerimoniis paene Judaicis indormientem expergefeci, sic tamen ut ecclesiae caerimonias nunquam improbarim, sed quid potius sit ostenderim.'[4] Haec omnia vero, quaecunque Erasmus revera perfecit, inde ab initio ita susceperat, ut contra obtrectatores ad praestantissimos sui aevi viros, tum acri judicio praeditos, tum christianae pietati toto pectore faventes, provocare posset. Itaque cum amicis suis speraverat fore, ut, si inceptam feliciter viam unitis viribus tenere pergerent, tot falsae opiniones inveteratique abusus paulatim abolerentur et beatior ecclesiae aetas illucesceret.

Sed haec spes utut magna et nobilis cur illos fefellerit, nos facile nunc videmus. Quantivis enim bonas litteras et repurgatam theolo-

---

1) Epp. XI, 13. 2) Epp. XI, 9. 3) Epp. XXV, 26. 4) Epp. XXII, 29.

giam faciamus, ecclesia non hominum eruditione et sapientia sed ostensione spiritus et virtutis[1] et fundata est et conservatur atque emendatur. Quare tanta ejus, quantam illi voluerunt, reformatio, quamquam suae in ea partes eruditioni et litteris mandatae erant, perfici tamen non potuit, nisi universi populi christiani auxilio Huic enim, non solis eruditis vel sacerdotibus, spiritus et virtus divinitus promissa erant. Quod Erasmus, ubi doctrina exponenda erat, agnoscebat, ubi agendum, denegabat. Sic putat secundum Evangelium columbinae simplicitati addendum esse serpentis prudentiam. Mira scilicet sagacitate pericula praevidet ex ingenti motu populari oritura. Quae ut evitentur humanae debilitati aliquid vult concedi. Eo consilio Botzemo scribit: ‚Res efficax et invicta est veritas, sed evangelica prudentia dispensanda. Ego sic odi dissidium, sic amo concordiam, ut verear, ne, si inciderit articulus, citius deserturus sim aliquam veritatis portionem quam turbaturus concordiam, si quid tamen ego possum.‘ Et Melanchthoni scribit: ‚Qualisqualis rerum status est, periculosissima res est movere camarinam hujus mundi. Plato quum rempublicam philosophicam somniaret, vidit multitudinem absque mendaciis non posse gubernari. Absit a Christianis mendacium, attamen non expedit omnem veritatem quovis modo prodere vulgo.‘[2] Multa leguntur apud eum his similia. Quae ut veri aliquid continentia quamvis benigne interpreteris, tamen aliquid animi tanto ingenio digni jure desideraveris. Dum mellitam reddere, quantum potest, veritatem omnibus studet, dum ‚sancta quadam vafritie tempori inserviri‘ vult, non satis meminit verbum Dei, ut ait propheta, esse etiam quasi ignem et quasi malleum conterentem petram.[3] Itaque inceptis gravibus (ut cum poëta loquamur) et magna professis quasi pannus verborum civilium immo blanditiarum late splendens passim assuitur. Qui pannus etiam Papis egregie semper placuit, veritatem nobili audacia ab Erasmo obtentam omnes ne Adriano quidem excepto neglexerunt. Laudaverunt eum vel sincere vel ut sibi utilem; cohibuerunt aliquoties acriores ejus adversarios; simul vero hos, barbaros et sophistas, (ita scilicet in ipsa aula pontificia haud raro nominabantur), sibi longe utilissimos esse et gratissimos potentiae suae adjutores semper recordati sunt. Neque id Erasmum fugiebat; quid Adrianus Papa de Curiae Romanae corruptione judicasset, non oblitus erat; quam prope Roma, licet propter eruditionis thesauros et vitae amoenitatem sibi desideratissima, ad Babylonem accederet, ipse diserte significaverat. Nihilominus magnis quae

---

1) 1 Cor. 2, 4. 2) XX, 33. XIX, 8. 3) Jer. 23, 29.

diximus praesidiis fretus iterum iterumque persuadere sibi studebat, fieri posse ut bonae litterae et sanior theologia etiam Romae civiliter, ut ait, irreperent; hoc animo admonuit virum pietate, eruditione, circumspicientia insignem, Sadoletum, ut ‚quantum posset sacrae scripturae studium, nimis diu illic languescens sublevare pergeret.‘ Campegium aliosque, quibus similia scripsit, risisse ea vel aegre tulisse crediderim. Revera hac ex parte ad Erasmum, licet alias non tam exigui animi fuerit, quam vulgo putatur, jure traduxerit aliquis quae ille dixit:

Serpit humi tutus nimium timidusque procellae —
In vitium ducit culpae fuga.

Ipse interdum sensit, se suosque sui similes impares esse tanto negotio, nec nisi aliis viribus aliisque consiliis illud perfici posse. Id aliquatenus jam in adnotationibus ad Novum Testamentum, quas Leoni X. dedicavit, significat his verbis: ‚Utinam aliquando expergiscatur Christus et hoc Judaismo atque hac tyrannide liberet populum suum, nisi forte ideo nos redemit, ut hujusmodi portentis serviamus.‘ Quae verba Pontificem illum, si forte legerit, facile neglexisse putaverim; eo acerbius vero et iracundius posthac Albertus Pius Carpensis, Princeps Romanus, opprobrio ea Erasmo vertit quasi sentiret, hunc id, quod suscepit Lutherus, suscipiendum jam ante Lutherum illic proclamasse. Nec longe aberat a vero. Etenim Lutherus multas res, quas Erasmus perfici voluerat, heroica animi fortitudine perfecit. Quare initia ejus Erasmus cum summo gaudio et assensu gratulatus est. Sed nonnulla in eo jam tunc vituperabat et desiderabat; quae vitia crescentibus controversiis ac pugnis in dies crescere ei visa sunt. Exorto schismate alii, omnem perturbatae pacis culpam in Lutherum conferentes, ut haereticum et haeresiarcham letali odio illum exsecrebantur; alii ut evangelicae veritatis vindicem grato animo eum amplectebantur: qui partim justa admiratione justo longius tantopere abrepti sunt, ut ab omnibus fere ejus sententiis et verbis penderent. Ipse Erasmus neutri parti accedere voluit sed utrique prodesse ad restituendam concordiam, quam non desperabat. Cui tanto officio quum impar esset, incertus inter utramque factionem vel, ut utrimque iisdem verbis sed diversa sententia passim dicebatur, inter Christum et Belial, haesitare visus est. Non tantum obscurorum monachorum factio, verum etiam Lutherus caecique ejus sectatores pro sceptico et Epicureo, a christiana mente alieno, eum habebant. Quod tamquam immanem calumniam fortiter declinans iis carissimus manebat, qui utrimque

mitiora consilia sequebantur, sicuti Melanchthoni et Bucero, Julio a Pflug et Sadoleto Cardinali. Non mirum quod justa ira commotus, licet sua vitia non satis perspiciens, Lutheri injurias injuriis rependit; verumtamen nobili animo semel iterumque se revocat. Lutherum haereticum nunquam nominat, merita ejus etiam postea audacter plus semel coram pharisaeis praedicat; de spiritu ejus dubitat, sed sententiam de eo non sibi assumit sed Deo relinquit; et quamquam ut Lutherus ipsum, ita ipse Lutherum propter indolis varietatem prorsus non intellegebat, tamen in illo bona et mala tam religiose discernere studet, ut pluribus in rebus historiae judicium anticipasse videatur. Denique singulari sagacitate praevidet, ubicunque per Europam Lutherus cum praedicatione sua evangelica oppressus fuerit, ibi fore ut eadem sanguinaria violentia postea et Erasmus cum spirituali et liberali suo catholicismo opprimatur. Quae omnia ut ostendamus, jam primum in magnum illum Erasmiani ingenii et patronum et adversarium, Martinum Lutherum, oculi nobis vertendi sunt.

VII.

Illo tempore post duos papas satis male famosos, post Alexandrum VI. omnium scelestissimum ejusque successorem Julium II. omnium bellicosissimum, Marcarum expugnatorem, Leo X. Mediceus triplici corona redimitus est. Qui propter morum amoenitatem et litterarum amorem magna spe acceptus, de ingenuis artibus omnium paparum meritissimus, sed animi sensuumque oblectationem longe magis quam religionem curans, ad summum pontificalis omnipotentiae culmen pervenisse visus est. De illo enim in servilissima concione, quae concilium Lateranense universale vocabatur, orator quidam verba Psalmi praedicavit: Omnes reges terrae adorabunt et servient ei; alius deum terrae eum nominavit; jura ejus, praesertim in Galliam, novis pactis admodum amplificata sunt. Haec dum ex medii aevi mente Romae geruntur, in Saxonia inexspectatus ille animorum motus oritur, quo factum esse constat, ut recentioris aevi ingenium, frustra renitentibus praeteriti patronis, victoriam magis magisque reportaverit. Cujus magni motus parva initia haud longe post ingeniosa quadam parabola depicta sunt; quam repetere hoc loco placet.[1]

Traditum est, Carolo V. Imperatori ejusque fratri Ferdinando regi, quum anno sui seculi tricesimo comitiorum causa Augustae Vin-

1) Cf. Jo. Henr. Majus in vita Reuchlini p. 546. Hutteni opera ed. Boecking I, 387.

delicorum morarentur, post prandium se obtulisse larvatos quosdam fabulam acturos admissosque facile esse. Tunc primus in scenam processit aliquis habitu, quo ornari doctores solebant, vestitus, ferens a tergo nomen Capnionis schedae inscriptum. Portabat hic fasciculum lignorum, partim rectorum partim curvorum, eoque in medium atrium nullo ordine projecto abiit. Hunc excepit alius, Erasmi nomine insignitus convenientique clerico, quem vocant, vestitu indutus, qui componere ligna, curva rectis exaequare diu multumque conatus, tandem ubi irritum videt laborem, caput iratorum more quatiens, animo inde recessit commoto. Tertius monachi praebebat speciem, notatus Lutheri nomine, qui ardentes prunas portabat ac distorta illa ligna comburere inque cineres redigere laborabat: quae postquam flammam concepisse conspexit, subito sese subduxit. Inde prodiit quidam habitu Imperatorio, qui quum ignem depasci distorta illa ligna videret, stricto gladio ejus vim avertere tentabat; quo magis autem gladio fodiebat vel feriebat, eo magis flamma invalescebat, ut ipse tandem iratus ac furibundo similis recederet. Denique et Papa se intulit, Leonis X. titulo a tergo insignis, qui complosis ex terrore manibus circumspicit malo remedia, quibus ignem sopiat: mox eminus duas conspicatus amphoras, oleo alteram, alteram aqua repletas, incautus et amenti similis irruit ad amphoram oleo plenam eamque arreptam igni affundit; unde flamma vires sumens latius se diffundit, adeo ut ejus violentia coactus fugam capessere debuerit. His peractis nemo ultra comparuit. Jubet Caesar inquiri in fabulae actores auctoresque, sed illi fuga sibi consuluerant, ,parum vel de gratia vel de praemio solliciti, postquam id quod res erat ob oculos posuissent ac quid hominum machinationes contra veritatem valerent, edocuissent.‘

Quidnam vero de ipsa illa ingenti quam diximus rerum mutatione, a Germania profecta, multi praestantissimi ejusdem seculi homines etiam apud exteros senserint, id ut ostendam, unum nobilissimum testem adducere sat est, Philippum Mornaeum Francogallum, virum et in bellicis civilibusque negociis et in litteris egregie multimodisque versatum, propter probitatem laudatum et ab infestissimis adversariis. Qui in libro quem scripsit de historia papatus, postquam ejusdem blasphemam, quam breviter attigimus, superbiam sub Leone X. manifestatam fusius descripsit et demonstravit. ,Hoc tempore,‘ inquit, ,Martinus Lutherus, post multos alios blasphemiarum totam Europam inundantium impatiens, in Germania contra papam erumpit: Augustinianus ille monachus, theologiae doctor, humili loco natus, nullius auctoritatis, in extremis mundi oris, paucis ejusdem condicionis sodalibus, eodem zelo percitis,

eodem spiritu impulsis: ad quam vocem, vocem utique Dei omnipotentis, per eos detonantis, excitantur tota Europa innumeri, qui aut inebriati somnum illud mortis dormiebant, aut semisomnes his organis expergefieri et animari opus habebant. Audent illi inter tantum fastus Babylonici splendorem, tantum meretricii stibii nitorem, Belluam proprio nomine compellare: in mediis gladiis, gurgitibus, flammis, magistratuum saevitia, plebis furore, satellitum rabie: inde et in omnibus gentibus juvenes, senes, feminae, his auspiciis id coram asserere, palam profiteri. In infirmitate illi sua potentiam, in simplicitate sollertiam, in humilitate superbiam, in patientia crudelitatem edomant, confundunt, evertunt: in puritate praesertim dogmatum, summo Dei beneficio, evangelium luci restituunt, in martyrii constantia primitivae ecclesiae fidem quasi redivivam exhibent: adeo ut exiguo tempore solidae nationes a sede Romana deficiant.'

Atqui eodem tempore id, quod in Leone X. affectata tyrannis antichristiana et blasphema superbia Mornaeo aliisque multis esse videbatur, Curia Romana ejusque asseclae legitimum et praeclarum mundi imperium praedicabant ab ipso Christo Pontifici datum. Hi jam tunc somniis suis idem anticipabant, quod Vaticanis decretis ad effectum nuper perductum vidimus: Papam falli nescium sollemniter declaratum, qui divino honore circumdatus, divinis nominibus veterum Caesarum instar appellatus, viam veritatem et vitam se ipsum diceret atque triumphalem priscae Romae majestatem, Martia origine muntis, Jovem suum adorantis, ipsius omnium gentium dominae, christiano involucro commendatam renovaret. Hanc Romam ejusque Jovem Leonem X. Janus Vitalis poëta cecinerat:

Jam novus in terras alto descendit Olympo
Jupiter et sancto laetatur Martia vultu
Roma, triumphales iterum ductura quadrigas.

Ejusmodi somnia motu illo a Saxonia exorto terribilem in modum subito interrupta et perturbata isti sentiebant. Quod Bellarminus Cardinalis Jesuita in oratione Romae habita[1] satis graphice his verbis depingit: ,Quis ignorat pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam mox Germaniam paene totam occupasse, inde ad Aquilonem et Orientem profectam, Daniam, Norvegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumpsisse, tum ad Occidentem et Meridiem,

1) A. 1576. Praefixa est oratio illa tomo I. controversiarum,

pari celeritate delatam, et Galliam, Angliam, Scotiam florentissima quondam regna populasse, ad extremum Alpes transcendisse et in Italiam usque penetrasse.‘ Scilicet sanitatem esse putat Latinum, quem Francogallus ille vocavit, morbum, pestilentiam vero quidquid hujus morbi antidotum est. Quod recte judicatum non esse, vix quisquam, si praesentem gentium Latinarum et Teutonicarum condicionem probe examinaverit, sero hodie contendet. Sed de ea re supra diximus. Jam quidnam Lutherum ad novi illius imperii Romani ecclesiasticis formis induti ingentem molem impugnandam invitum commoverit, diligenter nobis considerandum est.

Primum id memorandum (quod quidem nostratibus omnibus satis notum est), principio illum ne minime quidem Romanae ecclesiae bellum inferre cogitasse. Nihil, quum celeberrimas theses suas publicaret, suspicabatur vel somniabat de futura omnium rerum ecclesiasticarum mutatione. Talem se papistam fuisse dicit, ut contra Erasmum, qui papatum jam saepius audacissime perstrinxerat, scripturus fuisset. Gratus et obediens Romanae ecclesiae filius erat, qui urbem martyrum singulari quondam pietate salutaverat; ne foedissimis quidem, quae illic Julio regnante viderat atque audierat, aulae Pontificiae flagitiis ab hereditaria quasi fiducia obsequioque deterritus erat. Quippe Romanae ecclesiae exhortationibus consiliisque ductus ea, quam ipsa docebat, via peccatorum veniam et christianae vitae perfectionem assequi a pueritia nisus erat. Integerrimis eum moribus fuisse neque malorum facinorum conscientia gravatum, etiam adversarii concedebant. Sed id eum excruciaverat, quod omnes interioris hominis motus cum lege divina congruos reddere non posset. Neque satisfecerat ei decantatum illud solatii carmen: Homo es, pro humana condicione satis es bonus; neque in externis operibus, ex ecclesiae jussu humillima obedientia susceptis, desideratam mentis tranquillitatem invenerat. Monasterii recessus, relicto jurisperitorum ordine petitus, cum omnibus acerrimis vel pietatis, quae vocantur, exercitiis vel scholasticae philosophiae ac theologiae studiis animi procellas non sedaverat. Tunc ab externa ecclesia ad invisibile ejus caput, ad verum Dominum ecclesiae perductus est. Ex fraterculis pius quidam senex eum commonefecit, quanti pretii verbum symboli esset: Credo remissionem peccatorum. Cum Augustino, cujus volumina quotidie per tempus volvebat, altitudinem et humani peccati et divinae gratiae introspexit. Ex continua scripturae sacrae lectione apostolicae fidei simplicitatem ac puritatem plenis haustibus gustavit. In cruce Christi, quae semper et ubique teste apostolo Judaeis scandalum et Graecis stultitia est, veniam

peccatorum, desideratam pacem, novae vitae vires nactus est. Quum enim Sancti Pauli doctrinam de fide justificante altius quam per tot secula vix alius quisquam intellexisset, quasi lux divina affulsit ei verbum illud: Justus ex fide vivet. Id ante eum Erasmus, ut vidimus, recte interpretatus erat, sed totam illius doctrinae vim atque potentiam non perspexerat. Inde Lutherus aptiora et fortiora quam eruditorum princeps arma parata habebat ad impugnandos judaicos et paganos, quos toties ille questus erat, ecclesiae erroros et ad instaurandum spiritualem, quem ille desideraverat, Christianismum. Indefessum nimirum robur divina gratia ei infudit, qua sola confisus est. Cujus gratiae peccatoribus exhibitae immensam magnitudinem Lutherus cum Augustino aliisque summis occidentalis ecclesiae doctoribus, ex quibus Thomam Aquinatem et Thomam Bradwardinatem nominasse sufficit, ita tantum digno modo comprehendi posse putavit, ut cujusvis hominis aut aeterna salus, aut aeterna pernicies ab absolutae divinae praedestinationis decreto penderet, resistendi divinae gratiae aut ei obsequendi arbitrium penes hominem nullum esset, eumque in sensum certos quosdam scripturae locos cum summis illis viris interpretatus est. Quam sententiam ab Erasmo impugnatam etiam eas ecclesias, quae Lutheranarum nomen ab adversariis impositum acceperunt, postea duce Melanchthone rejecisse constat; sine interno divinae gratiae adjumento ad justificantem fidem perveniri non posse neque ad eam rem quidquam valere vel singulorum hominum vel ecclesiae merita, recte docere perrexerunt. Hac doctrina, ex apostolicis scriptis rite hausta, Judaismo et Pharisaismo Christiana specie renascentibus opposita, firmissimo spiritualis christianismi fundamento, ii omnes cum Luthero nitebantur, qui ecclesiae reformationem, quum Roma pertinaciter eam respueret, sine Roma et contra Romam tentandam esse persuasum habebant. De hac igitur doctrina, male etiam nunc intellecta, nonnulla hoc loco nobis videntur dicenda esse.

Fidem justificare, Lutherus cum Paulo ita accipit, ut fides apprehendat gratiam justificantem, id est gratiam in Christo oblatam, qua Deus pro infinita misericordia sua justificat sive justum declarat (haec enim ex fonte hebraeo et graeco indubia justificandi notio est) et peccati reatu absolvit omnes, quicunque creatricem divini spiritus vim intimo animo sequentes poenitentiam sincere agunt vereque credunt evangelio. Sic interior quaedam hominis mutatio perficitur, quae antecedat oportet, ut vere bona opera perficere ille possit. Quare Lutherus in praeclarissimo libello, quem ut papae traderetur ‚de christiana libertate‘ latine scripsit, ‚Bona opera,‘ ait ‚non faciunt bonum

virum, sed bonus vir facit bona opera.' Addit hanc similitudinem: ,Episcopus sacer templum consecrans, pueros confirmans vel aliud quippiam officii sui faciens, non consecratur iis ipsis operibus in episcopum, immo nisi ante esset consecratus episcopus, nullum istorum operum quidquid valeret essentque stulta et puerilia et ludicra. Ita Christianus per fidem suam consecratus bona facit opera, sed non per haec magis sacer vel Christianus efficitur.' Ibidem duo ponit axiomata verbis pugnantia, sed optime concilianda, de quibus egregius historiae investigator, illustrissimus Jurisconsultus, Vitus Ludovicus a Seckendorf, haec quondam scripsit: ,Utinam isthaec, ita ut Lutherus ea explicavit, omnium Christianorum animis insiderent,' nimirum haec: ,Christianus homo omnium dominus est liberrimus, nulli subjectus. Christianus omnium servus est officiosissimus, omnibus subjectus.' Libertas est ea, de qua Christus in evangelio Johannis et saepius Paulus loquuntur. Cujus libertatis nomine Lutherus multos abuti dicit, quippe qui omnia sibi statim licere arbitrentur neque ulla alia re liberi et christiani videri velint, quam contemptu et reprehensione caerimoniarum, traditionum, legum humanarum. Veram autem libertatem et eandem esse liberam servitutem, ex grato erga Deum animo provenientem, quasi quis dicat: ,Huic tali Patri, qui me suis his inaestimabilibus divitiis obruit, cur non liberaliter, hilariter, toto corde spontaneoque studio faciam, quaecunque scivero grata et placita coram eo esse. Dabo itaque me proximo meo, quemadmodum Christus sese praebuit mihi.' Et postea: ,Christianus liber factus sic dicet: Ego hoc et hoc faciam, quod per homines mandatum est, non quod illo mihi sit opus ad justitiam aut salutem, sed quod in hoc morem geram papae, episcopo, communitati illi et illi magistratui, aut proximo meo ad exemplum; faciam et patiar omnia, sicut Christus mihi multo plura fecit et passus est. Et quamvis tyranni vim vel injuriam faciant, hoc vel illud exigentes, non tamen nocebit, donec contra Deum non fuerit.'

Haec omnia ut certissima persuasione teneret, Lutherus tum verbo divino nitebatur, tum experientia, quam interiorum illarum tentationum et afflictionum, de quibus diximus, quasi fructum fuisse ipse confitetur. Quare in monasterio quondam vir piissimus et candidissimus, Johannes Staupitius, Augustinianorum in Germania Vicarius Generalis, consolans eum et magna de eo auspicans, majore quam ipse sciebat jure ei dixerat: Haud temere te exercet Deus. Neque tamen Lutherus propter spiritualem illum christianismum vel quantum ecclesiae deberet oblitus est, vel minore ei amore addictus erat.

Nequaquam spernebat externas ejus caerimonias et instituta, sed in interno illo Christianismo majus aliquid tenebat atque certius, extra omnium hominum etiam summorum hierarchiae principum voluntatem atque libidinem positum. Diversam materiam, aeterno ecclesiae fundamento ab hominibus superstructam, vel durabilem, vel igne comburendam, cum apostolo christiana libertate dijudicare magis magisque didicit.[1] Similiter atque Erasmus tunc sperabat fore, ut si evangelicam veritatem una cum multis aliis aequalibus docèret, errores quasi sua sponte paulatim evanescerent. Ut ad eos fortiter convincendos et impugnandos publice prodiret, a patronis eorum coactus est. Boni enim pastoris munere et animarum cura, quam susceperat, officium ei impositum est, ut cum indulgentiarum nundinationi, cujus turpitudinem Leone mortuo etiam multi scriptores Romanenses confessi sunt, tum mendaciis, quibus illae ad extorquendam plebi pecuniam exornabantur, evangelicam veritatem publice opponeret. Hanc quum adversarii ut haeresin calumniarentur et ad Pontificem ejusque legatos haud frustra recurrerent, de curia Romana tamen nihil aliud Lutherus initio praedicavit nisi id, quod jam antea multos probissimos viros eosque acerrimos pontificiae dignitatis defensores praedicasse vidimus. Papalis potestatis divinam originem cum Erasmo non ex mente quidem fabulae illius concessit, quasi Christus Petro, Petrus successoribus imperium ecclesiae et mundi tradidisset, verum historico qui nunc dicitur sensu singularem papae auctoritatem non negavit, quoniam apostolus omnes potestates, quae sint, a Deo ordinatas esse doceat. Quum vero jam tunc sanando Romanae curiae morbo ne piissimus quidem Papa par esse videretur, Lutherus Leonem X., a quo cum Erasmo multisque aliis optima quaeque exspectaverat, Danielem in Babylone, Ezechielem inter scorpiones vocavit. Quumque bullam, qua haereseos ab eo damnatus erat, antequam publicaretur legisset, instante Leonis cubiculario et nuntio Miltitio, epistolam ad illum scripsit, qua animi sententiam et affectum testaretur. Hanc libello de christiana libertate composito praefixam Miltitio tradidit, quam secum Romam ferret. Ita satisfaciendum christiano officio, eventum Deo relinquendum credidit. Ex epistola, nobilissimae mentis monumento, pauca hic exscribentur.

‚Cave, mi Leo pater, cave Sirenes istos audias, qui te non purum hominem, sed mixtum Deum faciunt, ut quaevis mandare et exigere possis. Non fiet ita nec praevalebis. Servus servorum es, et prae omnibus hominibus miserrimo et periculosissimo loco. Non te

1) 1 Cor. 3, 12—15.

fallant, qui te Dominum mundi fingunt, qui sine tua auctoritate nullum christianum esse sinunt, qui te in coelum, infernum, purgatorium posse aliquid garriunt. Hostes hi tui sunt et animam tuam ad perdendum quaerunt, sicut Isaias dicit: Popule meus, qui te beatum praedicant, ipsi te decipiunt. Errant, qui te supra concilium et universalem ecclesiam elevant. Errant, qui tibi soli scripturae interpretandae jus tribuunt, suas enim hi omnes impietates sub tuo nomine statuere in ecclesia quaerunt, et proh dolor multum per eos Satan profecit in tuis praedecessoribus. Summa: nullis crede qui te exaltant sed iis qui te humiliant. — Impudens forte sum, tantum verticem visus docere, a quo doceri omnes oportet. Sed aemulor Sanctum Bernardum in libello de consideratione ad Eugenium, omni pontifici memoriter noscendo. Neque docendi, sed purae fidelisque sollicitudinis studio hoc facio. Quum enim sciam te versari et fluctuari Romae, id est medio mari infinitis periculis undique urgente, et ea te miseriae condicione laborantem, ut etiam cujusque minimi fratris minima ope indigeas, non videor mihi absurdus, si interim majestatis tuae obliviscar, dum officio caritatis explevero: nolo adulari in re tam seria et periculosa, in qua si amicus esse et plus quam subjectissimus tibi non intelligar, est qui intelligat et judicet.'

Haec Lutherus. Quae num Leo cum adjuncta commentatione unquam legerit, et si legerit iratusne an ridens rejecerit, compertum non habemus. Molestae veritatis magis, quam Lutherus scribens cogitaverit, Leonem impatientem fuisse certum est. Ipse quidem Miltitius bullam damnatoriam, utpote quae nondum promulgata esset, abrogari vel moderari posse jactabat, sed dum Lutherum ad scribendum impellit, Saxoniae Electori consilium dedit, ut Cardinalibus, inprimis nepotibus qui vocabantur, pecuniam mitteret.[1] Quod quam indigne probissimus Princeps tulerit, facile intellegitur. Promulgata paulo post ipsa bulla est, quae, uti etiam Erasmus saepius testatur, nascens ecclesiae discidium insanabile fere reddidit. Haec quasi oleum illud erat, pyrae additum, cujus imagine in mimo supra memorato tragoediae catastrophe depingitur. Revocare sententias ex ipso evangelio haustas Lutherus salva conscientia non poterat, pro virili parte tyrannidi antichristianae resistere indubii officii erat. Vitebergae solemni actu symbolico bulla illa exusta est, per totam Europam, haud raro una cum adjectis Hutteni notulis ex parte ingeniosissimis, avide lectitabatur.

1) Seckendorf l. c. p. 99 ex Miltitii litteris in archivo Saxonico conservatis.

Cum Lutheri litteris semper comparabitur, comparata semper sordebit. Elegantissimi papae monumentum illa est, a Curia ei, ut nomen subscriberet, quasi dictatum, barbaro et argumento et stilo horrens, inanium declamationum tumore intolerabile, non minus denique ridiculum quam impium. Cujus rei pauca quaedam exempla, adjectis et nonnullis Hutteni notulis, hic expromere visum est.

Post multas orationis ambages damnantur quadraginta fere Lutheri sententiae, partim paradoxae parum religiose excerptae, partim ejusmodi ut disputari de iis possit, partim christianissimae. Ex quibus hanc unam, etiam posthac Curiae imprimis semper exsecratam afferre sufficit: ‚Haereticos comburi est contra voluntatem spiritus.' Narrat Leo, se compluries Lutherum oblato salvo conductu invitasse ut Romam veniret sine metu aliquo (quem perfecta caritas foras mittere debuisset) ac Salvatoris nostri apostolique Pauli exemplo non in occulto, sed palam loqueretur. Ad haec Huttenus: ‚An in occulto locutus est, qui totam paene Europam praedicationis suae auditu implevit?' Idem de oblato salvo conductu: ‚Fatetur Leo periculum esse in accessu.' Addo quod ipse pontifex in bulla sua Hussi combustionem justissimam fuisse praedicat, quam spreto salvi conductus sacramento factam esse bene novit. Nunc nihilominus, paterna sua caritate erga Lutherum haud semel gloriatus, iterum plenissimum ei salvum conductum promittit, si profitendae obedientiae causa Romam venire velit. Ad haec Huttenus: ‚Tunc scilicet liceret interficere tibi praedicatorem veritatis. Non absque causa toties allicis Lutherum. Apage sis caritatem tuam, Leo, quam scimus qualis sit.' Sin vero intra sexaginta dies omnes sententias illas non revocaverit Lutherus, Pontifex futurum esse declarat, ut diris exsecrationibus (quas large effundit) et ille et fautores ejus feriantur. De ea re mandat tum Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis, tum Regibus, Imperatoribus, Electoribus. Utrisque addit innumera fere dignitatum ecclesiasticarum et civilium nomina, quae ne taedeat lectorem, hic omittimus. Ita nimirum deum terrae, qui et in coelum et in infernum potentiam habeat, se exserere studet. Denique talem tantamque bullam sexcentis nominibus extollens hanc ejus finem facit: ‚Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam damnationis, reprobationis, rejectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, confessionis, condemnationis, subjectionis, excommunicationis et anathematizationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Pauli et Petri, apostolorum ejus, se noverit incursurum.'

Hanc bullam ingenio ac lingua barbaram cum Christi spiritu parum concordare, sanioris mentis Christiani Romanocatholici nunc non poterunt non confiteri. De qua si nuper scriptores aliqui mitius iterum judicaverunt, equidem hos non accurate illam legisse putaverim. Vix ea suo tempore inter eos, qui Lutheri rem improbabant, aliis ac barbaris et sophistis, qui jure vocabantur, placere potuit. Arrogantiam, qua Leo summum mundi imperium apertissime sibi vindicabat, multi principes atque magistratus ridebant, ipsa Sorbona Parisiensis non agnoscebat. Sed nemo fere nisi privatim et occulte obloqui audebat. Nemo, si quid publice contra curiam monuit, ea qua necesse erat perspicuitate et severitate usus est. Lutherus ut palam condemnatam veritatem evangelicam palam defenderet officio haud dubio coactus est. Scilicet exceptis novis istis viris obscuris, qui cum Leone X. impudenter contendere non dubitant, comburi haereticos esse ex voluntate divini spiritus, ne inter Vaticani quidem concilii asseclas, si rem suis animi oculis religiose examinare ausi fuerint, quisquam infitiabitur, contra ejusmodi opinionum monstra Lutherum ut christianae veritatis vindicem prodiisse. Quod constare concedent, licet aliis in rebus periculose eum errasse credant. Quum vero ejus adversarii crassis istis sententiis acerrime defensis errores erroribus fulcire niterentur, ad longiores semper fines controversia atque veri et falsi dijudicatio promota est. ‚Velim, nolim', inquit Lutherus in fronte libelli de captivitate Babylonica, ‚cogor in dies eruditior fieri, tot tantisque magistris certatim me urgentibus et exercentibus.' Neque tamen sine animi haesitatione ac repugnantia eousque paulatim provectus est. Invitus primum in ecclesia illa, quam tanta pietate amplectebatur, invitus in tot praeclarissimis praeteritorum seculorum viris ea introspexit, quae cum disertis Christi et apostolorum verbis pugnarent. Horruit, ut Spalatino scribit, ubi antichristianam totius Romanae curiae indolem divinare incepit. Cujus tam invicto hucusque imperio, a tot mundi proceribus sustentato, si solus ipse bellum inferre auderet, ridiculus paene esse sibi videbatur. Aliquoties summo propter eandem solitudinem dolore affectus est. Saepissime, ubi novi aliquid evangelio repugnans et contrarium in Pontificiorum doctrina et moribus invenisse sibi visus erat, non modo de dubitationibus suis, verum etiam de se ipso dubitavit. ‚Vide', inquit, ‚in meo casu, quam difficile sit eluctari et emergere ex erroribus totius orbis exemplo firmatis et longa consuetudine velut in naturam mutatis.'[1] In permultis hominibus ejus-

1) Praef. ad tom. I Jenens.

modi inveteratos errores insanabiles esse magis magisque animadvertit. Si pars tantum Christianorum a corrupta curia descisceret, magnum ecclesiae et reipublicae discidium fore praesensit. Sed haec omnia divinae providentiae committenda esse intellexit. Ipse ad quaevis patienda pro Christi evangelio promptus erat. Quod ad scrupulos illos attinet, tum quam vehementer se movissent, tum quamobrem in iis non substitisset, postea Erasmo ingenue confessus est. Qui quum jam invectus in eum esset, quod consensum tot sanctorum, martyrum, patrum, conciliorum perrumpere non vereretur, bono animo respondens, ‚Fateor, mi Erasme,' inquit, ‚non immerito te istis omnibus moveri. Ego ultra decennium istis sic motus sum, ut nullum alium arbitrer esse, qui aeque sit istis permotus. Eratque mihi incredibile ipsi, hanc Trojam nostram, tanto tempore, tot bellis invictam, posse aliquando capi. Et testor Dominum in animam meam, perseverassem, etiam hodie sic moverer, nisi urgeret me conscientia et evidentia rerum me in diversum cogeret.'

Hujus utriusque rei invicto robore cum Luthero permulti alii, si non pariter, at similiter movebantur eodemque inviti ex parte ferebantur. Videbant haud pauca, quae Romana curia ad vindicanda imperii sui jura mordicus tenebat, sine ullo dubio falsa atque ementita esse, sicuti illo tempore Laurentii Vallae de ementita Constantini donatione libellus, quem ut revocaret vi quondam ille coactus erat, ab Hutteno denuo editus haud exiguum mortalium animis stuporem incussit. Inde primum ex viris doctis, tunc ex illitteratis alios anxia dubitatio de divinis rebus invasit, alii cum ethnicis sive Ciceronianis, qui dicebantur, omnem religionem abjecerunt; longe plures, quamvis non eodem omnes mentis candore atque vigore, inter christianismum et humanas traditiones, inter ecclesiam ejusque praesentem formam distinguere et veritatem in evangelio quaerere coeperunt. Quippe in tanta omnium rerum confusione id factum est, quod Erasmus his verbis expressit: ‚Quam potens res et quam amabilis sit evangelium, declarant haec tempora, quibus conspicimus orbem ad auditum evangelii nomen velut ex lethargo expergisci et veternum excutere.'[1] Et alio loco hoc memorabile ejusdem effatum legimus: ‚mundus fatali desiderio evangelicae veritatis nunc fertur, nec odiose resistendum est.' Huic desiderio ut satisfaceret Lutherum maxime idoneum esse, vir omnium sagacissimus statim cognovit et quo erat aperto animo ingenue ac large con-

1) Epp. XVIII, 25.

fessus est. Itaque haud parum contulit ad multos in republica litteraria viros insignes, etiam exteros, ei conciliandos. Illius libellos quosdam summis laudibus extollebat, eos nimirum, quibus ‚spiritualis Christianismus' simpliciter expositus erat. ‚Optimum quemque et evangelicae doctrinae proximum minime esse infensum Luthero' testatur; ‚bullae vero saevitiam omnes probos offendere.' Talia quum Friderico Sapienti Electori scriberet, hoc simul inseruit splendidissimum de ipso Luthero testimonium: ‚Certe vitam hominis nemo qui novit improbat, quae quum longissime absit ab omni suspicione avaritiae aut ambitionis, et morum innocentia vel apud Ethnicos favorem invenit.' Memoratu dignum id est, quod Erasmus, quem Grotius nihil non vidisse dicit, tunc animadvertit, Lutherum, sincerum evangelii praeconem, etiam meliores quosdam ethnicos sive Ciceronianos, ab evangelio alienos, in sui reverentiam inclinasse. Vita nimirum congruebat cum oratione docentis neque oratio in labris sed in pectore nasci videbatur. Itaque factum est ut permulti vel docti vel indocti Lutherum, quidquid de singulis quibusdam ejus sententiis censebant, evangelicae veritatis causam contra ejusdem oppressores suscepisse persuasissimum haberent.

Ipsi vero adversarii ejus, honoribus et potentia florentes, Caesaris atque longe plurimorum Principum auxilio gloriantes, invidia et injustitia sua auxerunt illius auctoritatem. Eo magis enim nobilissimorum virorum admiratio atque amor ei contigit, propter invictum illum imperturbatumque animum, quo tantam causam solus initio sustinere ausus est. Hunc, inquit Theodorus Beza Francogallus, ‚hunc non Caesares, non reges, non fulmina ex arce Tarpeja vibrata, non innumerabilium sophistarum phalanges vel tantillum terruerunt.' Melanchthon saepius admonet, heroicis naturis adnumerandum eum esse, per quas ingentes interdum subitasque rerum humanarum mutationes Deus efficiat. Addit nisum eum esse sacra ancora, id est auxilio Dei. Quare pro Christi causa mori quovis momento paratus, non dubitavit, quin Deus, si necesse esset, decem quotidie Doctores Martinos creare per eosque vindicare causam illam posset, quidquid contra eam acturi essent ‚omnes Henrici, episcopi atque adeo Turca et ipse satan.' Haec tanta animi fortitudo vere christiana ab omnibus christianis jamdudum agnita et praedicata esset, nisi obstitissent fabulae ac mendacia de Lutheri persona, doctrina, historia ab adversariis sparsa et a multis credita, de quibus suo loco nobis dicendum erit.

Erant sane in magno viro, quae ab initio in justas reprehensiones incurrerent. Talia nobis infra plus semel attingenda erunt. Habet nimirum unusquisque, id quod optime sua lingua Francogalli

exprimunt, virtutum suarum vitia. Lutherus ad pugnam spiritualem divinitus vocatus erat. Erasmus ,veteris inscitiae mystas,' quos vocat, in republica litteraria quidem omni auctoritate privaverat, sed illi a curia, cui utilissimi erant, adjuti in ecclesiis, apud vulgus plurimosque magistratus summum locum suum tuti servabant. Lutherus demum illos in multis ecclesiis, apud multos et populos et magistratus de loco suo dejecit. Sic in universum orbem christianum beneficia illa contulit, quibus nunc inscii etiam multi acerrimi ejus osores fruuntur. Quippe prudentiores omnes facile vident, quid et apud Latinas gentes et alibi obscurorum illorum virorum successores, cum portentis suis Lurdensibus ac Marpingensibus et cum Petro Arbues canonizato vel hodie valerent, nisi Protestantismi atque culturae ab eo profectae ratio aliquatenus habenda esset. Quod pessimi quidam medii aevi errores nunc apud ipsam Romanam curiam verbis non re vigent, id Luthero, id fortitudini animi et constantiae ejus magna ex parte debetur. Sed revera fortiter pugnando asperitatis cujusdam et acerbitatis consuetudinem ille contraxit, saepe cum rustico agrestique orationis colore conjunctam. Id etsi jure vituperatur, tamen monendum est, antea Lutherum tanquam exsecrandum haereticum a praefractis et obduratis veritatis contemptoribus conviciis saevissimis petitum fuisse eosque haud frustra passim apud vulgum ineptias suas tanquam christiani nominis victoriam decantasse, ita ut pro illorum temporum ingenio, praesertim quum etiam imperitae multitudinis oculos, istorum praestigiis praestinctos, aperire necesse esset, ipsius veritatis causa duro nodo durus deberi cuneus videretur. Quem in finem quum aliorum deceptores quam fortissime illudendos esse putaret, faceta salsaque eorum irrisione utebatur, modo ingeniosa, modo satis rustica et atroci, jocandi libidine justo longius saepe abreptus. Sed quales adversarii fuerint, ne obliviscamur. Istorum scripta pauci nunc legunt; qui attentius legerint, permulta se illic invenisse concedent, quae catholicae veritatis loco ponere atque defendere meliores nunc etiam Romanocatholicos puderet. Ceteroquin Lutherum quoque similiter atque summos ecclesiae Patres, in tot tantisque disceptationibus atque altercationibus haud semel lapsum esse atque peccasse et interdum inveteratos errores oppugnantem in oppositos errores incidisse, eundem vel ubi non erraverit passim incautis, nonnunquam sordidis et male paradoxis verbis usum esse ne acerrimus quidem illius defensor variis ejus libris accurate perlectis infitiabitur; etiam admirabilem, qua polluit, constantiam interdum in pervicaciam quandam degenerasse saepe concessum est. Quisquis, si eodem animi robore divinitus dato contra tot

tantaque monstra et ipsi soli pugnandum esset, sese cautius et purius agendo peccati expertem futurum esse gloriari audet, lapidem in illum jaciat. In iis vero, quae maxime rem causamque continent, Lutherum christianam veritatem secundum normam verbi divini in apostolicae aetatis puritatem atque sanitatem restituisse, nos cum patribus nostris contendimus et a nobilioribus adversariis, ut religiose denuo universam controversiam examinent, postulamus.

Id nimirum multi meliores atque eruditiores Romanocatholici jam praeteritis temporibus saepius agnoverunt, Lutherum initio summo jure et bona conscientia eos oppugnasse, qui pessimorum quorundam abusuum et errorum, inprimis etiam ementitarum historiarum et sanguinariae adversus eos, quos errare putabant, crudelitatis patroni erant. Sed nunc ut id quoque cum Erasmo concedant postulamus, Lutherum non tantum contra singula ecclesiae damna processisse, sed etiam principe illo reipublicae litterariae fortius atque acrius contra judaismum quendam et paganismum per ecclesiam propagatum simplex evangelium vindicasse. Si illum privatas opiniones mox admiscuisse ipsi cum Erasmo putant, si ad haereticos errores eum delapsum esse Erasmo severiores judicant, hoc in medio pro tempore relinquamus: agnoscant id tantum quod supra diximus. Tunc recordati, quot falsae res contra Lutherum a Romanensibus mordicus defensatae sint, fortasse similiter de illo judicabunt atque Salvianus quondam sentiebat de Germanis, quos, laudandos propter sinceram pietatem, Romanorum culpa haereticos esse praedicavit. Certe cum egregio scriptore Nisardo, quem ubi de Luthero agit non ab omni praejudicata opinione liberum esse dixerim, memores erunt, haud frustra nomen illud apud plures Europae gentes magnum haberi et optimis viris carissimum esse. Intellegent, etiam in furore suo Teutonico eum sincero summarum sanctissimarumque rerum studio moveri. Asperrimos fere omnium libellos contra duos Henricos, Anglum et Brunsvicensem, tam mendaces quam crudeles tyrannos, vibravit, quos a christiana religione, cujus zelum prae se ferrent, remotissimos esse viderat. ‚Non magnum est, inquit, si ego regem terrae contemno et mordeo, quando ipse nihil veritus est regem coeli suis sermonibus blasphemare et virulentissimis mendaciis profanare.‘ ‚Quis sim et quo spiritu et consilio in istas res raptus sim, illi commendo, qui scit haec omnia suo, non meo arbitrio libero gesta, quamvis et ipse mundus id jamdudum sensisse deberet.‘ Papa Angliae regem Defensoris Fidei titulo ornavit ejusque scriptum tam praeclarum esse pronuntiavit, ut ‚Spiritum Sanctum ei affuisse appareret.‘ Lutherus intimo animi dolore affectus exclamavit. ‚O

miseram ecclesiam, quam mendacio defendere oportet.' Hunc ejus animum etiam Saxoniae Electores quique iis a consiliis erant reverebantur, quamvis nimis violentum verborum in eo impetum saepenumero improbarent. Sic vir candidissimus, Pontanus cancellarius, Joannem Constantem, apud quem Georgius Dux propter illatas sibi injurias questus erat, commonefecit litteris, ,quam bona sinceraque mente semper fuisset Lutherus; certo fidum eum esse virum.'[1]

Neque aliter Melanchthon de amici sui asperitate locutus est in oratione latina quam post illius mortem in templo habuit. Applicat ad eum, quae scripta sunt de iis, qui Hierosolyma quondam restauraverunt, altera manu eos aedificasse, altera gladium tenuisse. Vituperatoribus ,respondeo', inquit, ,id, quod Erasmus saepe dixit: Deus dedit huic postremae aetati propter morborum magnitudinem acrem medicum. Quumque tale organum adversus hostes veritatis superbos et impudentes excitarit (ut ad Jeremiam inquit: Ecce dedi verba mea in ore tuo, destruas et aedifices) et voluerit eis tamquam hanc Gorgonem objicere, frustra expostulant illi cum Deo. Nec regit Deus ecclesiam humanis consiliis, nec vult organa sua prorsus similia esse. Illud autem commune est, ut mediocria et moderata ingenia impetus ardentiores minus probent. Vidit Aristides Themistoclem ingenti motu animi res magnas suscipere et feliciter gerere: etsi autem felicitatem gratulabatur reipublicae, tamen incitatum illius animum ex eo cursu revocare studebat. — Nec ego hoc nego peccare interdum vehementiores impetus: nemo enim in hac naturae infirmitate sine labe est. Interim si quis in ecclesia, ut Paulus inquit, recte militat, retinens fidem et bonam conscientiam, Deo placet et a nobis venerandus est. Talem fuisse Lutherum scimus. Jam quis est, cui quidem notus ille fuit, qui nesciat, quanta humanitate praeditus, quanta hujus in congressibus familiaribus suavitas, quam minime hic contentiosus vel rixarum amàns fuerit. Et adjunctam tamen omnia gravitatem habuerunt eam, quae in tali viro esse deberet.' Haec aliaque similia Melanchthon de Lutheri animo locutus nonnulla de iis addidit, quae illius ingenii propria erant. Sic et in oratione, quam multo cum luctu nec sine lacrimis habuit, et in Lutheri vita postea breviter adumbrata ejusdem imaginem ut historiae scriptor primus depingere aggressus est. Quem quum multi deinde secuti sint, etiam nos pro fine nobis proposito idem conabimur.

1) Seckendorf l. c. II 10.

Magnitudo Lutheri aliqua ex parte etiam infestissimis hostibus, siquidem verae historiae aliquatenus gnari erant, semper affulsit, totam penetrare atque perspicere nunquam potuerunt. Etenim singula recte conspicati, dum adhaerentes humanis virtutibus maculas immodice efferunt, perfectam veri quasi effigiem assecuti non sunt. Id vero magnitudinis fastigium, quod tot res eximiae, quae in diversis mortalibus sejunctae esse solent, in uno eodemque viro consociatae reperiuntur. Sic similiter atque in propheta illo a Melanchthone dicto, quem tamquam ‚columnam ferream et murum aëneum' Deus perversis ecclesiae Israeliticae ducibus opposuit, etiam in Luthero velut invicti roboris temperamentum tenerrima quaeque vigebat animi affectio. Caritate quoque fortem et heroem se praebuit. Pestilentia Vitebergae saeviente fugam detrectavit, aegrotis et morituris consulens; verbis et exemplo tum Melanchthonem, tum alios dolore atque angore oppressos mire saepius corroboravit. Cujus rei multa exempla praesto sunt; sufficit epistolas illas praeclarissimas memorare, quibus anno sui seculi tricesimo amicis in conventu imperii Augustano versantibus spiritus addidit. Miseros et pauperes libentissime largissimeque sublevabat; eorum gratia etiam temporis sui pretiosissimi parcus non erat. Licet infinitis negotiis atque laboribus distractus, tamen viro dubitationibus vel tentationibus vexato, matronae aegritudine atque luctu confectae litteras consolatorias scribere nunquam gravatus est. Quae enim singulis destinata erant, ea minoris non faciebat, quam quae ab innumeris lectoribus excipiebantur. Neque scriptis suis futuram nominis immortalitatem, sed suorum aequalium usum et aedificationem persequebatur. Suos libros oblivione obrui voluit, ut sacrae litterae eo diligentius legerentur.

Hic vir, qui caritate et conscientia ad tot varias res suscipiendas permotus est, totus ad agendum natus esse videbatur. Quamquam ut homo in dijudicandis hominibus interdum erravit (cujus rei exempla infra videbimus), tamen intimi amici etiam id maxime in eo admirabantur, quod omnium, quibuscum vivebat, animos, sensus, voluntates sagacissime perspiciebat. Nihilominus inerat in eo aliquid, quo a tractandis rebus mundanis retinebatur et ad internam mysticorum tranquillitatem quaerendam trahebatur. Quum jam altissima nobilissimaque consilia secutus inter vehementissimas vitae communis tempestates versaretur, societatis humanae condicionem, qualis tunc erat, in agendo respicere paulatim demum didicit. Ad summas gravissimasque res perficiendas, ad mortalium animos permovendos, ad multiplices vitae formas mutandas et renovandas invitus fere neque ulla vel sui ingenii fiducia vel gloriae cupiditate perductus est. Antecesserat longa et labo-

riosa interioris hominis agitatio, qua veritatem et justitiam vel magis in intimo animi recessu quam in monasterii asylo persecutus erat. Et ad illa arcana quasi ipsius mentis penetralia etiam postea ex omnibus hominum turbis ac tumultibus, quos nullo unquam fractus terrore fortiter sustulit, denuo semper se recepit. Narrat Melanchthon, se saepius eum invenisse, quum lacrimans precationes suas pro tota ecclesia dixerit. Sumpsisse enim eum fere quotidie certum tempus ad psalmos recitandos, quibus sua vota gemens ac lacrimans miscuerit, ac saepe dixisse se succensere istis, qui aut propter ignaviam, aut propter occupationes dicerent satis esse solo gemitu precari; ideo formas nobis divino consilio praescriptas esse, ut lectio mentes accenderet: immo ut vox etiam profiteretur, quem Deum invocaremus.

Simul autem inter summos ecclesiae doctores vix unus eodem jure atque Lutherus dici potest nihil humani a se alienum putasse. Licet modestissimo semper victu contentus fuerit et per plures interdum dies, spiritualibus rebus occupatus, omni fere cibo abstinuerit, tamen non in monastica ascesi, sed in probo ac legitimo rerum naturalium usu christianam perfectionem positam esse docuit. Ipse cum apostolo didicerat iis contentus esse quae adessent, scivit ‚satiari et esurire, abundare et penuriam pati'. Ascesin quandam ut bonam atque utilem disciplinam externam laudavit; coelibatum spontaneum in singulis hominibus ad colendas liberius res spirituales conducere posse aeque atque Paulus judicavit. Abominandos coacti coelibatus fructus, in ipsa sede Romana tunc maxime conspicuos, et nefandos votorum temere susceptorum abusus jam Erasmus ostenderat, Lutherus omne fictum operis supererogatorii meritum gloriamque fortius atque apertius quam ille sustulit, votis falsa superabundantis justitiae opinione nuncupatis neminem teneri docuit. Id ipse, amicorum quorundam dubitationes neglegens, inito matrimonio declarare coram orbe voluit. Quod nisi facere ausus esset, hujus viri virtuti deesset aliquid. Etenim inter tot varia negotia atque pericula singulare boni patrisfamilias exemplum christianis praebuit omnibusque vitae domesticae officiis egregie satisfecit. Nunquam oblivioni dabuntur tenerrimi affectus, quibus heros intrepidus indomitusque terroribus dilectissimae filiolae mortem tulit vel quasi infanti infans factus filiolo modo pulcherrimam de coelesti horto parabolam, modo fabulam Aesopicam enarravit. Aliquando cum Wolfgango ministro suo artem tornandi discere coepit, et corporis exercendi causa, et ut cum Paulo apostolo sibi suisque victum, si opus esset, manu parare posset. Etiam in humillimo domestici laboris genere Christianum et se ipso et domino suo dignum se prae-

bere posse saepissime monuit. Adjecit non minus in magistratu civili, quam in munere ecclesiastico, quantivis hoc aestimandum esset, christianae vitae perfectionem posse illucescere. Neque enim singulorum tantum hominum salutem, verum etiam omnia sanctissima societatis humanae vincula respiciebat Lutherus. Ut familiam atque amicos, ita tum civitatem suam, in cujus tutela erat, tum patriam Germanicam, tum universam quoque (id quod plures ejus libelli ostendunt) rempublicam christianam sincero studio amplectebatur. Quamquam hanc Erasmus cum tot optimis variarum gentium viris per multos annos arctissime conjunctus quasi praesentiorem habebat. Ad accuratius judicandum de publicarum rerum condicione, qualis suo tempore erat, deque iis viris, qui illis gerendis tunc praeerant, Lutherus paulatim demum vitae experientia informatus est. Quantopere observandi alacritate et sagacitate tunc excelluerit, jam ex una psalmi centesimi et unius [1] interpretatione praeclarissima videre licet.

Pervenimus ad eam ingenii amplitudinem, qua Lutherum ad provehendas diversissimas doctrinas et artes, ad excolendum quidquid ejusmodi in humanae naturae viribus positum est, permultum adjuvasse apparet. Quod vel suo exemplo vel aliorum animos incitando perfecit. Atque hac re Erasmi simillimus est. Ab eodem, quod ad classicae antiquitatis studia pertinet, totus pendet; sunt quaedam in quibus eum superat; inprimis id ipsius proprium, quod ad adducendum novum Germanicarum litterarum aevum plurimum contulit. Uterque humani ingenii vires, quantum fieri potest, augere et multiplicare studet, sed ita ut Christi regno illae omnes inserviant; tot doctrinis artibusque singulos homines ad adipiscendam salutem carere posse, universam ecclesiam carere iis non debere contendunt; spreto Christo omnem eruditionem et culturam frigere, immo perdere homines persuasum habent. Id quoque utriusque viri commune quod errorem, stultitiam, stupiditatem etiam irridendo impugnare non dubitant, Erasmus facetiis Atticis, elegantibus, in re seria nimis interdum ludicris; Lutherus sale passim acriore et agrestiore. Denique idem, quod de Erasmo supra commemoravimus, de Luthero nobis dicendum est, quo magis varia et diversa dona Deus interdum in uno magno viro conjuncta esse voluerit, eo difficilius huic esse omnia ita temperare, ut ad certam quandam aequabilitatem et quasi concentum conveniant; justitiae et aequitatis esse tam insignia Dei organa non secundum ea quae assecuta sint,

1) Secundum Hebraeos; in versione Alex. et Vulg. est ps. C.

sed secundum ea quae persecuta sint judicare. Hoc animo Lutheri studia, quibus ingenium ejus se manifestavit, descripturi sumus.

Qua in re inde sine dubio proficiscendum nobis est, quod ille, sui temporis signa recte intellegens, nobiliores classicarum litterarum patronos, inprimis Erasmum, ut magistros libentissime secutus est. Itaque quidquid verae et sanae humanitatis in illis studiis inerat, cum vera et sana pietate christiana consociare nitebatur. In hanc rem jam adulescens, quum universitatis Erfurtensis civis esset, incumbere coeperat. Illic musicum quidem et philosophum eruditum prae ceteris ab amicis habitum eum esse Crotus Rubianus memorat. Nihilominus etiam elegantioribus litteris eum tunc se dedisse certum est. Teste Melanchthone ‚pleraque Latinorum scriptorum monumenta, Ciceronis, Virgilii, Livii et aliorum, legerat, neque ut pueri verba tantum excerpentes, sed ut humanae vitae doctrinam aut imaginem; ut erat memoria fideli et firma, pleraque ei lecta et audita in conspectu et ob oculos erant.‘ Quare non mirum, quod nonnullis librorum quos latine composuit locis, ubi operae pretium ei visum est, aliquem veterum scriptorum colorem ingeniose reddit. Quamquam in universum, solis rebus intentus, nervosam potius quam elegantem latinitatem exhibere studuit. Graecas litteras, quarum magistrum Erfurti nondum invenerat, multis annis post addidicit; neque praeter Novum Testamentum legisse multa Graeca videtur; nonnulla tamen legerat. Quod ipsi ex hac parte deerat, a Melanchthone plenissime possideri admodum laetabatur. Summi momenti esse Graecorum maxime monumenta quam diligentissime perquirere, quasi praesagiente animo divinabat.

Praeterea vero intima illa animi contemplatione, ex qua sola etiam ad agendum idoneas vires hauriebat, uti Deum ac res divinas ita universam creaturam amplecti conabatur, quippe quae, licet peccato maculata, origine et prima substantia sua bona esset. Et dialecticae sagacitatis, et mysticae profunditatis, qualem in Taulero et in ‚Germanicae theologiae‘ libello amabat, latos quasi campos acri intentoque animo permensus erat. Praeter antiquas linguas et litteras etiam domesticam vulgi sapientiam, in proverbiis, jocis, narratiunculis conspicuam, requirere et adhibere solebat. Historiis et praeteriti et praesentis temporis delectatus est easque ingeniosissime haud raro attulit et applicavit. Ad credendos superstitiosos quosdam rumores cum plurimis aequalibus justo facilior erat, astrologica somnia contra summorum tunc ingeniorum auctoritatem rejiciebat atque ridebat. Summis rebus occupatus ne minimas quidem neglegebat; quod et epistolae ejus ostendunt et tot praefationes libris varii argumenti ab aliis compositis

praemissae. Ipse aliquando inter gravissima negotia libellum de Germanorum nominibus propriis latine conscripsit.[1]

Etiam in amplectendis variis perfectae pulchritudinis simulacris, quae effingere homines multiplici variarum artium industria nituntur, eadem ille, quam diximus, ingenii amplitudine erat. Picturae operum, quotquot dabantur, haud incuriosum se praebuit; iis, qui propter iconolatriae abusus omnes pictas tabulas aedibus sacris ejicere voluerunt, fortiter restitit. Musicae artis, inprimis sacrae, a puero amantissimus erat. De cujus indole et formis plus semel tam ardentibus iisdemque tam aptis verbis loquitur, ut eum peritissimum illius fuisse jam inde appareat. Delectabatur Gregoriano qui dicitur cantu et hymnis ac responsoriis ad figurati toni leges redactis. Ipse in lineas sive notas componere canenda aut composita corrigere doctus erat; eos, qui hac arte prae ceteris tunc excellebant, summi faciebat. Sic impetravit aliquando a praestantissimo Bavariae Ducis musico, ut verba psalmi quarti ‚In pace dormiam et requiescam' et quae sequuntur artificiose composita sibi mitteret. Ex ejusmodi canticis sacris, quum tristitia et tentationibus affligeretur, solatium petebat; talia una cum convictoribus et filiis post coenam modulabatur; musicam artem quasi alteram theologiam esse praedicabat. — Interdum jussit musicos etiam ex veteribus poëtis carmina canere. Sic aliquando, id quod narrat Matthesius, qui coram audierat, accinente Philippo suprema Didonis verba cantata sunt. Tunc dixit Lutherus: ‚Bone Deus, quam est miserabilis condicio paganorum hominum, qui sic miseram animam exhalant; uti poëta exeunte libro mortem Turni his verbis describit:

Vitaque cum fremitu fugit indignata sub umbras.'

Neque tamen, quae vere humana et excelsa apud veterum poëtas inveniuntur, parvi faciebat. Juvenis Virgilio et Plauto priores partes detulit; postea Melanchthone duce Homerum legere summo gaudio coepit; quod in his studiis longius progredi gravissimis negotiis prohiberetur, valde doluit.

Simul meliora Germanicae poëseos specimina, quae satis rara nactus est (quoniam splendidissima medii aevi carmina tunc oblivione obruta erant) minime neglexit. Ipse classicis nostris poëtis propter praeclara cantica quaedam sacra, nunquam peritura, jure adnumeratur. Praeterea cum in iis, quae pedestri sermone composuit, multi loci insunt uberrimum ingenium poëticum spirantes, tum in sacrorum bibliorum versione haud minus feliciter tenerrimos quam excelsissimos poëseos

1) Hunc solum librum ἀνωνύμως edidit (a. 1527).

Hebraicae sonos ex ipso fonte, cui multum opera dederat, germanice reddidit. Quod tam magnifice eum perfecisse Goethius judicat, ut paucissima sint, quae melius eloquenda suscepturus sit. Quantum ipse huic Lutheranae sacrarum litterarum versioni in fingendis carminibus debuerit, saepius confitetur.[1] Ex hoc potissimum fonte ille et alii summi scriptores recentioris dialecti Germanicae thesauros illos hauserunt, quos admiratus nuperrime Italorum poëta quidam, egregius suavissimi sermonis sui domestici artifex, Germanicam linguam Graecae instar omnipotentem vocavit.[2]

Quippe Lutherus etiam prosae orationi nostrae summum roboris et pulchritudinis exemplum proposuit, ad quod vix ante Lessingium propius aliquis iterum accessit, quod hodie quoque nemini neglegendum esse Jacobus Grimm monuit. Neque tam immensa ejus de vernaculo sermone merita praestantissimos ejus aequales fugerunt. Ex quibus Sleidanus dicit, Lutherum in Germanica lingua, quam plurimum ornaverit et locupletaverit, primam laudem obtinere, vertisse e Latino sermone, quae verti non posse putarentur, significantissimis uti verbis maximeque propriis, et unica voce rem interdum ob oculos ponere.

Harum rerum, sicuti omnium quae supra de Luthero scripsimus, largissima documenta in illius operibus in promptu sunt. Haec post mortem demum ejus paulatim collecta (quae quidem magnam partem non ab ipso conscripta, sed ex ore loquentis ab aliis in chartam conjecta sunt) ingentem molem praebent multitudini nunc inaccessam. Limae laborem Lutherus, si bibliorum versionem excipias, similiter atque Erasmus, perraro adhibuit; suis aequalibus officium quam celerrime praestare studuit. Multa in scriptis ejus jure vel reprehenduntur, vel tamquam a nostrae aetatis condicione nimis aliena seponuntur; permulta dignissima sunt, quae etiam nunc a viris prudentioribus religiose ponderentur; omnia si probe excutiantur, amplum illud ingenium ad diversissimas partes suscipiendas aptissimum jam stilo prae se ferunt.

Hujus rei Erasmus, postquam Lutheri adversarius exstitit, tam insignis, quam invitus et inscius testis erat. Qui in hyperaspiste suo illius eloquentiam, etsi ex solis Latinis scriptis de ea judicat, summopere admiratus, vim ejus, alludens ad ea quae Horatius de Pindaro praedicat, praeclaris his verbis describit: ‚Novi impetum tuae orationis et torrentem illum ingenti fragore de monte decurrentem ac saxa truncosque secum rapientem.‘ Sed mirum in modum erravit Erasmus,

1) Werke, Ausgabe letzter Hand V, 32; VI, 64.

2) ‚Questa nobile lingua, omnipotente come la Greca.‘ Bernardino Zendrini.

quum totum ita Lutherum comprehendisse sibi videretur. Invenerat in libro contra se scripto alios locos, in quibus oratio lenius fluit, antiquarum litterarum sapore imbuta, ad elegantiorem latinitatem accedens. Hanc ejusdem scriptoris esse non posse Erasmus pro certo habuit. Melanchthoni, quod ejus ‚logodaedalos' fuisset, vehementer iratus est. Sed ne hoc quidem, quod vana suspicione sibi finxerat, sagacissimo viro ad explicandum multiformem exosi libelli stilum sufficere videbatur. Praeter Melanchthonem alios Lutheri amanuenses fuisse hallucinando credidit. Quare de iniquissima pugna querens, ‚Mihi uni', inquit, ‚cum multis res est, et si cum uno, cum Geryone tamen. In uno libro varias voces diversasque manus sentio. Cum phalange pugnandum mihi est linguis, eruditione, conviciis armata.'

His omnibus splendidissimum profecto exhibetur testimonium de multiformi ipsius Lutheri ingenio. Cujus varietas tanta erat, quantam ne Erasmus quidem, licet ipse ad usurpandas admodum varias sermonis formas idoneus, in uno homine inveniri posse putabat. Ceterum utriusque viri eloquentiam, id quod in scriptoribus ad commovendos aequalium animos natis semper fere conspicimus, in dicendo non minus quam in scribendo eluxisse constat. Solus alteruter quidem orator erat; cujus nominis laudem mereri se non posse alter, ut supra memoravimus, probe intellexerat. Sed ingeniosa utriusque viri colloquia et apophthegmata, quamvis admodum diversa inter se essent, pariter fere praestantissimorum aequalium admirationem excitaverunt. Latius hac ex parte per universam Europae rempublicam litterariam Erasmi gloria patebat, quem in classicis litteris non minus quam in sacris perpetuo versatum Attica illa confabulandi gratia et festivitate cum evangelico sale conjuncta splenduisse vidimus. Altius Lutheri colloquia, et privata et publica, magnae populi Germanici partis multorumque peregrinorum animos penetraverunt. Cujus sermones etiam familiarissimos superque mensam factos nonnulli, qui coram eos audiverant, litteris mandaverunt; postea sine justo discrimine collecti sunt. Unde factum est, ut et haud pauca verba apocrypha vel male intellecta admiscerentur, et alia foras efferrentur, quae intra parietes familiariter enunciata partimque justo incautius et inconsultius projecta inimicis obtrectandi ansam darent. Qua de re ingeniosus quidam Anglorum scriptor judicavit, vix ullum magnum virum tam periculosum experimentum tanta gloria sustinuisse, etenim quidquid in colloquiis illis jure reprehenderetur, tamen in universum ea omnibus, quicunque sine praejudicata opinione eos legissent, Lutherum grandiorem et cariorem semper et reddidisse et redditura esse. Revera totus hic in illis talis invenitur qualem descripsimus,

tum ingenio profundo, amplo, multiplici, quo omnia humana ad divina refert, tum animo excelso fortique pariter atque leni et tenero. De iis quae in salsis ejus dictis et vituperanda et excusanda sunt supra verba fecimus. Ceterum, id quod in Romano quodam laudatum quondam est, ‚utroque genere leporis excellebat, et eo quod in perpetuitate sermonis, et eo, quod in celeritate atque dicto est.' Singularem promptitudinem argute convenienterque respondendi jam aequales in eo admirabantur. Multa ejus apophthegmata in historiae annalibus manebunt. Vim verborum ejus testati sunt hostes, sicut Cajetanus Cardinalis de eo exclamasse coram Staupitio fertur: ‚Ego nolo amplius cum hac bestia loqui; habet enim profundos oculos et mirabiles speculationes in capite suo.' Ex amicorum numero Bucerum inducimus, nequaquam servilem Lutheri sectatorem, qui quum in colloquio Heidelbergensi illum audiisset, haec de eo scripsit: ‚Mira ejus in respondendo suavitas, in audiendo incomparabilis longanimitas; in dissolvendo Pauli agnovisses acumen, non Scoti, adeo brevibus eque divinae scripturae penu depromptis responsis in sui admirationem facile cunctos adduxit.' [1]

Itaque Lutherus in colloquiis privatis et publicis easdem virtutes exhibuit, quibus egregium oratorem eundem factum esse constat. Quod nemo fortasse acutius exposuit, quam qui acerrimis ejus obtrectatoribus adnumerandus est, Varillasius, cujus verba infra ponam. ‚Nemo eum in studio philosophiae et theologiae superavit, nemo in arte concionandi aequavit. Perfectissima in eo erat eloquentia, rationis humanae et robur et debilitatem penitus detexerat noveratque aditus, per quos penetrari posset. Nulli auditorum affectus tam varii vel inaequales erant, quos non indagaret et sedare aut excitare posset, prout opus esse putabat; et quando materiae subtiliores erant, quam ut argumentis persuaderi posset auditor, vincebat tamen eum figurarum efficacia. Hoc regnum in affectus ex cathedra in conversationes etiam transferre sciebat; movebat animos, non alterabat, suasque opiniones tacite et insensibiliter iis inspirabat; denique elegantia stili Germanici triumphabat in eos, quos eloquentia sua commovere coeperat, aut conversationis amabilitate veluti incantaverat. Nemo lingua patria, nec vivo eo nec post eum, melius aut delicatius locutus est aut scripsit.'

Haec ‚demtis exaggerationibus ex ore inimici acceptari posse', praeclarus historiae Lutheranismi scriptor recte monuit. [2] Supra modum nimirum augens id quod in Lutheri eloquentia artis humanique con-

---

1) Ex Buceri autographo apud Scultetum (editio Hermanni von der Hardt p. 25). 2) Seckendorf I, 8, 8 add. 5.

silii erat, Varillasius non intellexit pectus, quod illum disertum fecit. In conciliandis, excitandis, inflammandis hominum animis illum vere magnum oratorem fuisse optime vidit, omisit eum, quidquid hac ex parte sicuti aliis in rebus valeret, ad verbi divini auctoritatem atque potentiam promovendam contulisse. Id clare perspexit candideque testatus est Philippus Melanchthon. Qui, quum sermo incidisset de variis ingenii dotibus ad plenam Sacrae Scripturae interpretationem necessariis, quae plerumque singula singulorum virorum propria essent, ‚Doctor Pomeranus', inquit, ‚est grammaticus, ego dialecticus, Doctor Jonas orator, Doctor Martinus omnia in omnibus.'[1] Neque alia Justi Jonae sententia erat, quum de Luthero jam mortuo diceret: ‚Quidquid voluit potuit.' Talia verba revera, quatenus omnino de mortalibus, de illo pronuntiari fas erat. Sic animi illius robori ad perficienda, quae divina providentia ei mandata erant, ingenii vires non defuerunt.

VIII.

Erasmo, licet a bonis litteris profecto in iisque semper aliquo modo versanti, simul tamen aeque ac Luthero instaurandam puriorem quandam simplicioremque doctrinam, quae ad Novi Testamenti normam dirigeretur, cordi fuisse supra demonstratum est. Hanc, ut vidimus, a viris eruditis, ad quos solos se convertit, ad universum populum paulatim transituram esse sperabat. Id ipsum vero ut subito fieret, Lutherus, ingenii ubertate, acie, robore eximius, adjuvante Deo effecit. Etenim omnes fere res gravissimas, quas ille peragendas esse docuerat, Lutherus peregit. Sacram scripturam non tantum ex Graecis, sed etiam ex Hebraicis fontibus (hac ex parte etiam illum eruditione superans) germanice vertit, idque, si ad summam rerum spectes, tam praeclare, tam perspicue, ut Melanchthon hanc versionem plus lucis afferre lectori quam plerosque commentarios censeret. Sic factum est, id quod Erasmus optaverat, ut Laici a scholastica eruditione alieni, pio animo sacra scripta lectitarent, ut ‚stivam tenens arator aliquid sua lingua decantaret e psalmis mysticis, ut textor assidens telae nonnihil ex evangelio modulans solaretur laborem.' Cui rei Lutherus egregie profuit canticis illis spiritualibus, quas vernacula lingua eum composuisse memoravimus. In primis vero, ut populus non modo oblatis libris, verum etiam viva voce et in scholis, et in aedibus sacris institueretur, impense operam dedit. Sincerum evangelium, quod ut

1) Mathesius in concione XV.

ubique praedicaretur Erasmus admonitionem, consilium, praecepta laudabili studio adhibuerat, Lutherus ipse coram populo usque ad ultimos vitae dies incredibili assiduitate praedicavit multisque aliis ut idem munus susciperent perillustre exemplar factus est. Hi omnes jam ubique, licet variis viribus varioque successu, idem agebant, quod Erasmus antea in singulis tantum laudare potuerat: nimirum ‚Christum pure docebant, non hominum jactabant aut ostentabant argutias.'[1] Judaismum et paganismum, quos cum tot superstitionibus et abusibus per ecclesiam serpentes Erasmus inter reipublicae litterariae socios saepissime perstrinxerat, Lutherus heroica qua praecellebat animi fortitudine ita impugnavit, ut malorum illorum patroni non tantum coram populo evangelium edocto confusos et perculsos se sentirent, sed etiam quominus adversarios suos opprimerent jam passim a multis magistratibus impedirentur. Et hoc ipsum quoque efficiens Lutherus eandem viam persecutus est, quam magnus ille reipublicae litterariae princeps monstraverat. Is enim non minus civitatum quam ecclesiae principes ad emendandam pro viribus christianarum rerum condicionem cohortatus erat; quod officium, quum a sacerdotio neglegeretur, ad magistratus pertinere dicebat.

Sine dubio gravius aliquid est ea, quae cujusdam aevi res postulant, fortiter perficere quam accurate indicare. Sed etiam iis viris, qui aliis ad agendum natis necessariam ad id scientiam praebuerunt, sua laus manet. Quare nos Philippo Melanchthoni assentimur, qui, quum heroicum Martini sui ingenium ut donum ad mutandam mundi faciem divinitus datum altius quam alii plurimi perspiceret et rectius celebraret, tamen ingrati animi esse dixit, quod multi, quantum deberetur Erasmo, obliviscerentur. Neque aberrant a veritate quae veteres illi versus de Roterodamo praedicant:

Illius scriptis primum via strata Luthero
Creditur, et lampas, docte Philippe, tibi.[2]

Lutherum sane ad incipiendum ingens reformationis ecclesiasticae opus non ita pervenisse putamus, quasi perlectis Erasmi commentationibus ea, quae illic passim ad sanandos ecclesiae morbos proponebantur et postulabantur, exsequenda sibi sumpsisset. Ridiculi erant, qui tunc temporis inter obscuros monachos talia somniabant et effutiebant. Lutherum, id quod supra tetigimus, ut fidelem ecclesiae pastorem, animarum sibi commissarum curam gerentem, sola conscientia urgebat,

1) Verba Erasmi: epp. II, 10 a. 1516.
2) Seckendorf l. c. III, 136.

ut perniciosissimo indulgentiarum abusui, tunc vere intolerabili facto, publice occurreret; protrahebat eum postea invitum in latiorem quasi scenam eadem conscientia, cogens eum, ut veritatem, quam interioris animi experientia assecutus cum evangelio ac ratione congruam cognoverat, contra ecclesiae optimates, ejusdem veritatis revocationem poscentes, firmiter teneret atque defenderet. Sed ut ab his initiis ad reformandam ecclesiam longius procederet, ea via, quam Erasmus passim significaverat, ingredienda ei erat; neque id illo aevo, quo cultura vere humana cum puriore religione conjungenda a nobilissimis ingeniis ubique efflagitabatur, feliciter fieri poterat nisi assumptis variae ac multiplicis, quam Erasmus obtulerat, eruditionis auxiliis. Hanc ex illius scriptis Lutherus, ut in epistola, quam primam ei misit, ipse fatetur, per satis longum tempus quotidie fere hauriebat; hanc ex eodem fonte largiter haustam praestantissimi socii ei afferebant.

Quae omnia ita se habere facile apparet. Etenim id primum in promptu est, Lutherum, quum initio pro pietate sua pervulgatas fabulas et ementita documenta, quibus divina curiae Romanae auctoritas nitebatur, pro veris accepisset, paulatim Erasmi maxime scriptis excitatum et edoctum ad saniorem illam rerum historicarum contemplationem pervenisse, qua jam in disputatione Lipsiaca usus est. Ipse multo post Erasmi mortem satis accurate recordatur, quantam in se vim libellus ejus exercuerit, quo de Husso Constantiae cremato sed non refutato locutus est. Immo quum memorat, se haud longe quondam abfuisse a scribendo contra audacia Erasmi de papatu judicia, nemo dubitabit, quin simul stimuli inde in animo relicti tunc meminerit.[1] Quae enim ille contra nimios Pontificiae auctoritatis et potentiae vindices, veritatis historicae parum curiosos, protulerat, eo graviora erant, quo magis argumenta sua a solida rerum gestarum notitia repetebat et quo clarius apparuit, eum non hostili in ipsam sedem Romanam animo moveri, sed modestiorem quendam ejus primatum, in historico quod nos dicimus jure positum, defendere, quippe quem cum veritate et cum ecclesiae salute solum consistere posse existimaret. Eodem animo etiam Lutherus Papae auctoritatem agnoscere paratus erat, donec curiam ejusmodi modestam dignitatem respuere nec nisi antichristiano imperio super omnes terrae thronos elato contentam fore pedetentim intellegeret. Tunc spreto adversariorum furore veritatem evangelicam imperterritus propagare perrexit. Cui veritati ipse et scriptis et viva voce ita inserviit, ut cum simplici ac populari evan-

1) Lauterbach's Tagebuch p. 108.

gelii praedicatione semper eruditae cujusdam theologiae scholastica simplicioris ac purioris studium conjungeret. De hoc maxime theologiae genere, quod cum omnibus bonis litteris consociatum Vitebergae florebat innumerorumque juvenum undique advolantium animos penetrabat, idem dici poterat, quod Erasmus in epistola ad Leonem X., quum Graecam Novi Testamenti editionem alteram ei mitteret, gloriatus est: jam non e putribus lacunis, sed e purissimis fontibus Christi et apostolorum doctrinam hauriri. Revera nisi Vitebergenses magnam partem Erasmi vestigia pressissent ejusque ingenii ac laborum fructibus sapienter usi essent, illorum theologia nunquam talis, qualis facta est, fieri potuisset. Neque qui hoc non de ipsis rebus, sed de sola methodi ratione ac forma dici posse contendunt, recte judicant. Etenim erant quidem inter utramque partem certa quaedam theologumenorum discrimina, de quibus infra nobis dicendum erit. Neque quisquam prudens parvi faciet, quaecunque ipse Lutherus pro magno ingenio suo ad excolendas varias theologiae disciplinas nova et praeclara contulit. Nihilominus eum initio multis in rebus Erasmo duce usum esse, ea quae ex hujus theologia supra congessimus satis superque ostendunt. Id adversarios non fugisse tam callidissimus Aleander, quam stupidissimi monachi testes sunt. Neque id Lutherus tunc negavit, sed grato animo confessus est. Sic in priore egregii commentarii, quem in epistolam ad Galatas scripsit, editione saepius ad Erasmi ut summi theologi sententiam provocat. Et in litteris, quas illo tempore ad eum misit, amplissimis verbis gratias ei agit, quippe qui ‚perpetuo sibi loquatur in cubiculo suo'; petit, ut se, fraterculum in Christo agnoscat, ejus certe studiosissimum et amantissimum'; salutat eum Andreae Carolostadii nomine, qui ‚totus Christum in eo veneretur.' Simul testatur, quam prorsus non tantum in evangelii, sed etiam in bonarum litterarum studio cum eo consentiat; in his quod ipsi desit supplere Philippum Melanchthonem, qui, quum pro aetatis calore omnibus omnia fieri et facere ardeat, litterarum nimia insania valetudinis acceleret jacturam. Quare insignium laudum memor, quibus Erasmus illum adolescentulum ornaverat, haec verba addit: ‚Tu officium feceris, si per litteras hominem monueris, ut se nobis et bonis litteris servet; nam hoc capite salvo nescio quid majus spe nobis pollicemur.'[1] Erasmus ad hanc epistolam, quam christianum spirare animum dicit, pari amicitiae fraternitatisque affectu respondit. Neque coram aliis hominibus, quamvis jam tunc nimiam quandam animi acrimoniam in

1) Erasmi epp. VI, 3. 4.

eo vituperaret, parcus ejus laudibus erat. Sicuti semper sine invidia praeclara ingenia recens ex obscuro emergentia praedicare et digito monstrare solebat, sic et Lutherum ut insignem ac fortem evangelii praeconem, qualem posceret aetas, iterum iterumque agnovit, idque non caute vel frigide, sed acriter ac saepe ignitis quasi verbis, quorum exempla supra dedimus pluraque infra suo loco addemus.

Magna tunc spes piissimis praeclarissimisque viris, inprimis Germanis, affulgere videbatur. Gratulabantur multi exteri Germaniae hos duumviros, indole diversos sed ad eundem finem tendentes, magna praestantissimorum ingeniorum multitudine circumdatos et adjutos. Et erat temporis spatium, quo in ipsa Germania longe plurimi, qui ab alterius parte stabant, etiam alterum socii instar respiciebant et admirabantur. Id praecipue monendum est, haud paucos, qui, Erasmum jamdudum ut astrum Germaniae secuti, ipsi vel inter aequales fama eminebant, vel spectantibus futurae gloriae spem excitaverant, Lutheri initia summo gaudio et favore contemplatos esse. Sic animatus tunc in eum erat vir probissimus Zasius, immortalis memoriae jurisperitus, sic nobilissimus Norimbergae patricius Pirkheimerus, sic summus ejusdem civitatis artifex Albertus Durerus, sic Latinorum poëtarum clarissimus Eobanus Hessus, sic Zvinglius, Oecolampadius, Glareanus, Huttenus, Crotus Rubianus, Capito, Jonas. Qui omnes aliquando duos illos ut fortissimos candidissimosque ejusdem causae propugnatores venerabantur. Splendidissimae ubique ingenii dotes, Deo ipso annuente, ad societatis christianae emendationem jamdiu frustra expetitam prospere conjunctae esse videbantur. Non mirum igitur, quod hujus temporis memor multo post Lutheri mortem Philippus Melanchthon amabilem illam, qua quondam ‚eruditorum virorum sodalitium‘ viguerit, concordiam praedicat. Se cum multis aliis appropinquantem auream quandam, prout inter mortales dari possit, aetatem somniasse dicit, ubique nimirum reflorescentibus litteris et expergiscente evangelio.

Neque ipsi magni illi viri, quos duces ceteri agnoscebant, a tanta exspectatione alieni erant. Erasmus ab unitis classicae culturae et spiritualis Christianismi viribus exorituram novam aetatem jampridem divinaverat. Nunc vero optime ipse intellexit, ad id efficiendum, quod maxime necessarium esse saepissime monuerat, ut nimirum verus et purus Christus ubique praedicaretur, neminem plus inter aequales valere quam Augustinianum illum Vitebergensem, cujus verba brevi tempore universam fere Europam personaverant. Id initio summo sese gaudio et ingenti spe implevisse, multo etiam post mutatis jam temporibus saepius confessus est. Id ipsis in litteris illis, quibus

ad Lutheri epistolam supra commemoratam respondet, sine adulatione sed satis aperte significat. Videbat eandem causam, quam ipse sustineret, ab illo fortiter agi, eandem partem monachalem tum sibi pariter atque illi infestissimam esse, tum propter mirabile studium, quo Papam omnipotentem et falli nescium declarare nitebatur, a curia summopere foveri. Sed nunc maxime magnis illis, quae superiore capite descripsimus, auxiliis fretus, Curiam a perversis istis asseclis separari et ad concedendam sinceram ecclesiae emendationem perduci posse firmiter tenebat. Neque de ea re propter unam vel alteram victoriam sophisticae istius, quam dicebat, partis statim desperandum esse censebat. Romae per seculorum decursum jam saepius res in pejus et in melius mutatas esse, ex historiis optime noverat. Quam novam faciem novus Papa rebus Romanis induere posset, post Julii II. mortem vidisse sibi videbatur. Praeterea cum multis aliis magnarum synodorum post schisma papale Constantiae et Basileae actarum memor sperabat fore, ut vera ecclesiae reformatio illic frustra tentata a futuro novo concilio generali perageretur. Quamquam enim non ignorabat, quantum pars monastica ab omni ejusmodi rerum christianarum emendatione abhorrens Romae valeret, tamen nunc longe ea fortiorem esse veritatem existimabat, non tantum a Luthero cum magno orbis applausu fortiter atque audacter vindicatam, sed etiam a tot omnium fere gentium episcopis, qui et bonarum artium et purioris pietatis christianae patroni erant, strenue sustentatam. Itaque non stultam spem esse putabat, fore ut ducente divina providentia melior aliquis Pontifex cum viris illis conjunctus, urgentibus et ipsis atque adjuvantibus christianarum gentium principibus, mutanda mutaret, abusus et superstitiones tolleret, immoderatam potentiam mundanumque fastum sua sponte deponeret et evangelii libertatem Christianis redderet. Satis prudens vir erat ad intellegendum, quam ‚ad homines impossibilia‘ haec viderentur, sed secundum Christi verbum omnia apud Deum possibilia esse recordabatur. In ecclesia christiana, quae una esse et manere debeat, ab hominibus ita semper omnes res gerendas esse docet, quasi id, quod ex Dei mente sit, etiam adjuvante Deo perfici possit; fiduciam in Christo solo ecclesiae domino ponendum, quem saepius inter exorientes sui aevi tempestates magnum choragum dicit ad bonum exitum omnia tandem perducturum.

Hoc igitur animo Erasmus Lutherum, licet fuerint in hoc, quae ab initio ipsi ut nimis violenta et horrida displicebant, per aliquot annos probe fortiterque adjuvabat. Cautius quidem interdum, quam desideraveris, de eo locutus est, neque totam ejus causam suam facere

voluit, sed quatenus indubie justam eam putabat, succurrere ei, ubicunque occasio dabatur, officii duxit. Et Lutherus, quamquam de peccato humano et gratia divina non satis alte Erasmus sentire ei videbatur, tamen quantum in rebus ad religionem et theologiam pertinentibus illi deberet non oblitus, summa reverentia illius auxilium expetivit et acceptavit. Non confidebat quidem humanis subsidiis, sed ea, quae quasi divinitus ei offerebantur, aspernari vel neglegere stultitiae fuisset. Fugere enim non poterat ejus sagacitatem, quot post Melanchthonem eximii ex illius quasi schola adjutores et fautores sibi accessissent, quantum contra monachos sibi inimicissimos eruditorum principis judicium valeret apud omnes viros eruditos, quam ingens denique etiam apud Imperii Status, inprimis apud Electorem Saxonem illius valeret auctoritas. Itaque Erasmus et Lutherus in eodem fine persequendo socii non tantum aliis, sed etiam sibi ipsis per aliquod tempus esse videbantur.

Plus vero, quam Lutherus clare intellegebat, Erasmus et ipsi et reformationis ecclesiasticae negotio prodesse poterat. Hic enim multo ante illum, quanta et doctrinae et juris emendatione in ecclesia opus esset perfecte perspexerat; simul quanta ad illam efficiendam sapientia et circumspicientia uti oporteret, quanta ejus rei difficultas esset plane cognoverat. Magnum aliquid est in Luthero, quod hanc difficultatem non curat, immo initio vix animadvertit, solo verbo divino omnia perficienda esse persuasum habet, sui muneris nihil esse putat nisi falsas opiniones digito monstrare, simplex Christi evangelium praedicare, impavidum veritatis contra ejusdem osores testimonium dare. Itaque quum ad comitia Wormatiensia vocaretur, nihil adhuc in ecclesiae ritibus, formis, constitutionibus mutaverat, quamvis multa mutanda esse paulatim et agnosset et declarasset. Eadem omnia fere, licet cautius et mitius, jam antea passim indicaverat Erasmus. Nunc fortius et severius talia a Luthero moneri non improbabat, sed temperantiae et prudentiae fines ille transgredi ex parte ei videbatur. Utque a monendo ad agendum cum prospero eventu transiretur, temporis et hominum, quales erant, rationem habendam esse putabat. Id vir ad consilia danda quam ad res gerendas aptior melius tunc atque accuratius quam Lutherus intellegebat. Hic vero idem postea demum, nec sine sua et rerum publicarum damno, experientia doctus didicit, quum et a Pontifice et a Caesare rejectus ad Concilium generale, per quod universa ecclesia reformaretur, semper denuo quidem provocaret, sed pro tempore ipse ad reformandas singulas tantum ecclesias cogeretur. Unde, quum magna Germaniae et Europae pars evangelicam veritatem

ab Erasmo et Luthero pariter vindicatam non agnosceret, ortum est quod etiam Lutherus noluerat, magnum schisma per secula duraturum.

Id ab initio timens Erasmus, simulatque per partem monasticam bullam illam damnatoriam extortam a Leone videt, cunctando rem restituere nititur. Lutherum quocunque modo potest ad moderationem ac patientiam et ipse hortatur et per alios hortandum curat. Simul vero omnibus intentis viribus per eruditos viros in republica litteraria sibi conjunctos cum apud Curiam, tum apud Caesarem efficere studet, ut bulla illa suspendatur et causa Lutheri attentius quam antea et religiosius (quam ad rem satis longum tempus concedi vult) denuo perquiratur. Haec Erasmi studia in comitiis Wormatiensibus et ad summum quodammodo culmen pervenerunt, et irrita facta sunt. Jam enim Lutherus necessitate quadam eo perductus erat, ut Papae non tantum bullam sed etiam jus canonicum publice sperneret et aboleret. Papatus vero, rejectis fidelissimis monitoribus, nequaquam se collegit, sed eos secutus est, a quibus ad detrectandam omnem seriam reformationem instigabatur. Quae quomodo facta sint enarrabimus. Erasmus magnum sui aevi discidium, in quo ab utraque parte et jus et injuriam esse censebat, Lutheranam tragoediam vocare solitus est. Etiam de Erasmica tragoedia loqui fas esse videbimus.

IX.

Lutherus nisi urgente conscientia excitatus esset, libenter in angulo suo latuisset. Quum propter animas sibi commissas contra singulos abusus illis perniciosissimos exoriretur, causam ipsi Pontifici haud ingratam suscipere sibi videbatur. Hac ex parte se errasse paulatim demum nec sine magno dolore sensit. A Cajetano Cardinali ad Papam, a Papa male informato ad melius informandum, denique a Papa ad Concilium universale provocavit. Ne id quidem ex judicio multorum aequalium, etiam Sorbonae Parisiensis, ipsius Papatus legitimam dignitatem sustulit. Cum comitiis Germanicis, illius seculi anno octavo decimo Norimbergae congregatis, Lutherus Curiae et ecclesiae Romanae discrimen posuit.[1] Neque a Curia Papae personam non destinxit. Verumenimvero ii, a quibus propter impugnatos crassissimos indulgentiarum abusus confestim haereseos accusatus est, simul Pontificis potestatem, ut non solum supra omnia mundi regna elevatam, sed etiam in ipso purgatorio dominantem, stupida illa incontinentia intemperantiaque praedicaverunt,

1) Provocat Lutherus ad illa comitia: Br. ed. de W. 1, 333.

qua eos maxime sedis Romanae dignitatem evertisse Erasmus saepius queritur. Hi Lutherum, ut novo haereseos crimine prorsus eum perderent, ad oppugnandum publice Pontificis imperium trahere studuerunt. Neque is a tanto flagitio, quod istis quidem videbatur, abhorruit, sed contra Eccium in colloquio Lipsiensi palam clareque id pronuntiavit, quod quondam ab Erasmo caute significatum iracunde ipse tulerat, quod vero quam recte se haberet paulatim perceperat. Nimirum jam intellexit, cum primatum Romanum inde a quadringentis fere annis[1] contra Christi verbum in tyrannidem Romanam et in regnum hujus mundi, ‚duo gladios' usurpans, magis magisque degenerasse, tum papatum, quatenus ut gubernatio mere ecclesiastica et spiritualis in salutem Christianorum adhibenda statui posset, non divino jure niti, quasi Christus Petro et Petrus episcopis Romanis supremam vim gubernandi omnes ecclesias dedisset, sed humani juris esse, non aliter atque Caesarum regumque potestatem, latiore tantum sensu secundum Paulum apostolum ‚a Deo ordinatum'. In his rebus investigandis Lutherus ad ‚urgentem conscientiam' accessisse significat urgentem ‚evidentiam rerum', in Novo Testamento et in historia ecclesiae obviam. Non mirum, quod de singulis rebus parum eousque exploratis erravit. Sed permulta eorum, quae nos tertio capite de historia papatus breviter indicavimus, jam ille ex fontibus diligentissime sagacissimeque hausta aliquatenus perspexit. Ex Sancti Pauli epistolis luce clarius vidit, ecclesias, ad quas ille scripsit, nihil de Petro Christi vicario doctos esse. Ex Eusebii historia a Rufino latine versa, ex Cypriano et Augustino aliisque Patribus cum Latinis tum Graecis, ex actis concilii Nicaeni clarissime cognovit, illis seculis longe plurimos Christianos ne cogitasse quidem de oboedientia Petri sedi debita atque nullo tunc respectu Papae ut summi ecclesiae moderatoris habito et episcopos esse constitutos et concilia convocata, inprimis etiam concilium, quod summi aestimaretur, Nicaenum. Unde Lutherus conclusit, primatum Romanum non esse nisi humani juris. Etenim si divini juris esset, omnibus temporibus id credere et profiteri necessaria christianismi pars

1) Hos annos Lutherum non a Gregorio VII., sed a collectis decretalium libris reputasse, J. Koestlin (I, 250. 788) contra Rankium adnotat; cf. Luthers Br. 1, 262, ubi per errorem ‚nondum 400 anni' pro ‚nondum 300 anni' inde a Gregorio IX. mortuo supputati sunt. Fortasse Lutherus initio de Gratiani decreto, 400 annis ante collecto, cogitaverat. Ceterum supra (p. 129) Erasmi verba a. 1523 scripta memoravimus, quo ‚his 400 annis' ethnicismum et judaismum quendam in ecclesia praevaluisse dicit. Nescio an hic jam antea de ejusdem temporis ratione aliquid scripserit.

fuisset; quam qui omisissent et suppressissent, haereseos culpam contraxissent. Ego vero, inquit, ‚doleo ex ista re tantum fieri quaestionis, quum ego Romano Pontifici non negem primatum, nisi quod antiquos Sanctos et Apostolos nolim haereticos fieri ob novum hunc fidei articulum, quem ipsi non tenuerunt.‘ ‚Hanc enim potestatem omnes constituendi et omnia faciendi si tribuo Pontifici jure divino: Hieronymum, Augustinum, Cyprianum, Athanasium, Gregorium (Nazianzenum) et omnes orientis episcopos haereticos fecero; qui nunquam sub eo fuerunt, nec episcopi sub eo constituti.‘ [1] Harum igitur rerum evidentia fretus Lutherus in colloquio Lipsiensi primatus Romani jus humanum reverenter quidem agnovit, jus divinum ab Eccio non minus sophistice quam mordicus defensum tam fortiter oppugnavit, ut veritas bonae conscientiae fiducia audacter proclamata tunc etiam Georgium Ducem, attentum totius disceptationis auditorem, Eccio faventem, intus tangeret. Qui postea ambos disputatores in convivio exceptos alloquens, ‚Sive hoc‘, inquit ‚sit jure divino sive humano, Romanus Pontifex est et manet Summus Pontifex.‘ Eccius vero, postquam antea amicitiam erga Lutherum simulavit, jam saevo ejus odio imflammatus cum scripto libro, quo divinum papatus jus denuo defenderat, Romam. properavit ibique cum Cajetano, Prieriate, aliis conjunctus Leonem ad spernendas jurisperitorum suorum dubitationes [2] et ad edendam bullam illam damnatoriam perpulit, qua secundum parabolam, quam supra memoravimus, oleum camino addens inceptum incendium inexstinguibile reddidit.

Facile conjicias, quam aegre Germanorum probissimi eundem Eccium tulerint, jam protonatarii et nuntii papalis dignitate insolenter gloriantem, cum bulla sua in patriam reversum, ut veritatis divinae atque humanae defensorem illum, quem disceptatione vincere non potuerat, vi prosterneret eumque et ipsum et praeclarissimos viros aliquatenus cum eo consentientes, nisi sacrificium intellectus offerrent, ex mandato Pontificis anathematis fulmine percelleret. Plane intellexit Lutherus, quam recte illius malam fidem et theatralem vaniloquentiam Zasius et Erasmus jam antea descripsissent, quam justa fuisset insignium virorum admonitio dicentium: ‚Cave, Luthere! experto crede! homo iste nihil nisi fictio est et simulatio.‘ [3] Revera Eccius cum Aleandro, omnium Pontificiorum tunc fortasse callidissimo, et eodem

1) Briefe 1, 206. 219 (a. 1519).

2) Ranke 1, 298.

3) Seckendorf I, 88. Erasmi epistolam de Eccio, cujus mentionem facit Lutherus, supra memoravimus p. 135.

nuntio atque in proclamanda bulla socio, dignus fabularum et rerum fictarum, quibus divinum papatus jus fulciret, patronus erat. Hoc enim consilio in illo libello suo pro veris multa, quae falsa ineptaque esse Erasmus aliique jamdudum ostenderant, proterva fronte repetiverat. Illic Petrum per quinque et viginti annos Romae episcopum fuisse, Sanctum Hieronymum jam Cardinalis Romani munere functum esse iterum contendit; ad Pseudodionysum Areopagitam, ad falsum concilii Nicaeni canonem, quem Lutherus in Graeco textu non esse monuerat, ad alia ejusdem generis plura iterum provocat. Audacter igitur jactatis talibus rebus, quae jam tunc eruditioribus hominibus risui erant, vel nequissimi homines Medicei illius Pontificis favorem ac gratiam nanciscebantur, quem ut bonum pastorem, Christi vestigia sequentem, pacem, libertatem, veritatem reduxisse Huttenus[1] paucis annis ante litteris praedicaverat. Immo post inceptas contentiones ipse Lutherus questus erat, quod adversarii ‚ad terrendum unum fraterculum dirasque suas tyrannidas stabiliendas tot manifestis mendaciis sacrum Leonis X. nomen profanassent conspurcassentque.'[2] Nunc magis in diem ipsum hunc Papam, non aliter atque decessores ejus, nominis splendorem maculis aspersisse vidit. Cum tanto dolore et horrore, quanto pauci fortasse aequalium, Laurentii Vallae librum legit de efficta et ementita Constantini donatione. ‚Deus bone', inquit, ‚quantae seu tenebrae seu nequitiae Romanensium: et, quod in Dei judicio mireris, per tot secula non modo durasse, sed etiam praevaluisse atque inter decretales relata esse tam impura, tam crassa, tam impudentia mendacia inque fidei articulorum (ne quid monstri desit) vicem successe! Ego sic angor, ut prope non dubitem Papam esse proprie Antischristum illum, quem vulgata opinione exspectat mundus.'[3]

Et profecto spiritus haud minus antichristianus quam in ipsis commentis istis, in fine quoque cui inserviebant et in modo, quo fidei articulorum instar vulgo imponebantur, conspicuus erat. Scilicet ad augendam potentiam, honorem, divitias, luxuriem tum Papae tum satellitum ejus omnia ista vel excogitata, vel, si error ac stupiditas ea genuerant, callide saltem posthac adhibita erant. Antichristi autem proprium ex loco Danielis (in capitis IX v. 39 et 43) etiam id maxime putabatur, ut omnes terrae divitias ad se traheret. Quali denique

1) Opp. 156 s. in epistola, qua a. 1516 Laurentii Vallae opusculum Leoni X. dedicavit.

2) Briefe 1, 243 (pluribus mensibus ante colloquium Lipsiense).

3) Ibidem p. 420.

vita a Christianismo alienissima in aula pontificia opes undique congestae consumerentur, Lutherus praesens quondam viderat; quam sordidis consiliis atque institutis ipsae opes congererentur, pro innocentia sua tunc ignoraverat. Postquam anno seculi duodevicesimo in comitiis Augustanis incredibiles Curiae Romanae machinae et fraudes, quibus per delegatos suos Germanorum pecunias corradebat, iterum detecta et palam facta sunt, Lutherus initio etiam tum animo fluctuat, annon gravissima quaedam foedarum illarum rerum testimonia falsa vel suppositicia sint; quasi dubitanter Cardinales ‚avaritiae legatos' vocat; ipsum Pontificem, ‚cujus facilitate avarissimi homines in suae voraginis libidinem abutantur', excusare studet. Sed jam pedetentim etiam hac in re inveterata Romanae ecclesiae reverentia cedit ‚evidentiae rerum'. Jam passim in homine verissime Germano fervida nascitur erumpitque indignatio in ‚Romanas istas lernas', quae suos populares velut ‚barbaros, bardos, buccones' ludant atque derideant.[1] Tali affectu agitatus provocat ad futurum concilium, refutat cum alios obtrectatores, tum Prieriatem palatii papalis magistrum (quem ut plane bardum homuncionem depingit Erasmus), causam suam germanice populo suo exponit, disputat cum Eccio. Interea clarius in dies videt, etiam illam de indulgentiis doctrinam, quam non ipsa ecclesia sed tantum Dominicani statuerant, inprimis pecuniae e Germania converrendae causa tot argutiis et fictionibus pertinaciter a Romanensibus defendi. Latere amplius non potuit, Papam aliquantum argenti indulgentiis comparati privato usui destinasse, praeterea eundem Alberto archiepiscopo Moguntino partem praedae eo acrius faciendae concessisse, ut haberet, unde debitum sibi accepti pallii pretium penderet. Huic igitur turpissimo quaestui non tantum stupidissimus ille Prierias ejusque similes disputationibus suis patrocinabantur, verum etiam Cajetanus Cardinalis, inter suae aetatis theologos eruditione et sagacitate insignis, studiis biblicis Veteris et Novi Testamenti deditus in iisque ab angusto Eccii ingenio diversus et ad liberiorem Erasmi methodum accedens.[2] Sed miseram rem nisi misere gerere non potuit. Argumentis e sacra scriptura vel ex ipsa re sumendis destitutus, sola constitutione quadam papali extravagante, quae dicitur, nitebatur, ut credendum ostenderet, meri-

1) Br. 1, 140. 188. 137. 191. Cf. Waltz in: Sybel, hist. Ztschr. 41, 240 ss.

2) Diestel, Geschichte des A. T. p. 277 (cf. Koestlin I, 224). Addo quod Cajetanus cum Hieronymo libros V. T. apocryphos a canonicis sejunxit. Gabriel Prateolus haereticis eum adnumeravit. Pallavicinus (VI, 17, 2) id justo severius esse dicit: pavonem non esse judicandum ex pedibus sed ex pennis.

tum Christi esse thesaurum ecclesiae, quem dispensare indulgentiis jus pontificium esset. Immo idem Cardinalis in colloquio cum Wenceslao Linccio, si indulgentiarum impugnationem revocaret Lutherus, totam causam componi posse ait; cetera moderationem et interpretationem admittere. Quod quum Staupitio narratum esset, Utinam Cardinalis, inquit, notario et testibus praesentibus illa dixisset, ut constaret, Romae pluris aestimari pecuniam quam fidem.

Romanenses vero, quo minus eorum, quibus veritas cordi erat, intellectui et conscientiae doctrina sua satisfacere poterant, co impudentius vi rem conficere studebant. Risui iis erat quod Erasmus dicebat, Germanos doceri velle, non cogi. Ipsi Cajetano, qui tam paterna benevolentia fraterculum monachum excipere initio visus est, a Curia mandatum erat, ut eum aut urgeret ad revocandum, quidquid contra indulgentiarum nundinationem dixerat, aut apprehensum secum Romam duceret, quod Maimbourgio Jesuita teste sine dubio fecisset, nisi Lutherus, priusquam coram Legato compareret, suadentibus amicis litteras commeatus a Caesare impetrasset.[1] Postea eorundem amicorum consilio Augusta clam aufugiendum ei erat, quoniam Romanenses commeatus fidem haereticis non servandam esse jampridem docuerant. Quid vero ei, Romam profecto, imminuisset, dubium non erat. Scilicet statim post publicatas Lutheri theses Hochstratenus Dominicanus Inquisitor alta voce clamaverat, hunc haereticum ferro et igne esse exstirpandum. Universa obscurorum virorum factio consenserat. Quod Lutherus docere ausus est, ejusmodi violentiam etiam in haereticos adhibitam contra veteris ecclesiae, sacrae scripturae, spiritus sancti sententiam esse, id haereseos quasi duplicatio aestimabatur. Hoc igitur Leo X. in bulla sua, hoc postea Pallavicinus in historiis velut summum Lutheri flagitium condemnat. Quo furiosiorem vero fanatismum Pharisaicum adversarii prae se ferebant, eo certior Lutherus factus est se verum Christianismum contra Judaizantium et Paganizantium errores, antichristianismo viam parantes, defendere. Quantum in ecclesia iidem errores jamdudum valuissent, etiam in concilio Constantiensi, quod plurimi adhuc fecerat, apparere vidit. Fraudem atque injustitiam, qua Hussus illic rogo traditus erat, summum flagitium fuisse, jam in disputatione Lipsiensi profiteri non veritus est. Haud multo post lectis quibusdam ipsius Hussi libris cognovit, plurima illic cum Paulo et Augustino plane concordare. Se prae stupore

1) Maimbourg historia Lutheranismi I, 19, ubi legitur: ‚nisi monachus iste satis astutus litteras commeatus ab Imperatore impetrasset.‘

nescire ait quid cogitet videns, veritatem evangelicam apertissimam jam publice plus centum annis ante exustam pro damnata haberi nec licere hoc confiteri. ‚Vae terrae!‘ inquit.[1] Ipsis vero talibus verbis Lutherum Bohemi poenam promeruisse Hochstrateni et Prieriates jactabant.

Tanta mendacii, avaritiae, tyrannidos colluvie, cujus pauca exempla dedimus, antichristianismum Romanum, quem Sanctus Bernardus nascentem castigaverat, ad fastigium quoddam provectum, in famosis maxime indulgentiarum defensoribus manifestum fuisse, nullus probus et christianus historiae investigator hodie infitiabitur. His igitur rebus magis magisque indignatus Lutherus anno millesimo quingentesimo vicesimo duos libellos composuit, quibus quum primum universam ecclesiam funditus reformandam esse contenderet, etiam vehementius quam iis, quae antea scripserat, aequalium animos excitavit et commovit, alterum ad Caesarem nobilitatemque Germanicam de christiani status emendatione scriptum, alterum de captivitate Babylonica, qua ecclesiam a curia inclusam esse ostendit. Quos libellos, nisi qui justam illam indignationem comprehendat ac sentiat, recte judicare non poterit. Ad justam et sanctam iram in homine, tot infandis adversariorum calumniis obruto, aliquid furoris Teutonici, quo nonnullis locis ipse sobriam judicii temperantiam transgressus est, accessisse nos non negamus. Sed quidquid ejusmodi est, apostolicae veritatis et christianae prudentiae fortitudinisque luminibus longe superatur. Indefessus eodem anno et verbum Dei publice praedicavit, et insignes quosdam tractatus scripsit plebis aedificationi pie inservientes: de pluribus psalmis, de bonis operibus, de decalogo, de libertate christiani hominis. Scripsit nobilissimam quoque epistolam illam ad Leonem X. supra memoratam, in qua se ab initio sperasse declarat, fore ut gratiam ejus iniret, quum strenue et acriter pulsaret carcerem, quo a Curia ipse Pontifex cum universa ecclesia inclusus esset; actum enim esse de Curia, quippe quae consilia odisset, reformari metueret, furorem impietatis suae mitigare nequiret, denique Babylonis apocalypticae instar insanabilem se praeberet. Curiam enim etiam tunc a Papae non tantum persona sed etiam munere separavit. Quippe et episcopatum et Romanae sedis primatum non tolli sed reformari voluit, utriusque jure humano, quatenus reipublicae christianae conduceret, servato. Quod quomodo efficiendum esse putaret, libello illo de emendando statu christiano satis accurate demonstravit, de reficiendis multis variisque damnis singulatim

1) Briefe 1, 425.

loquens. Ceterum cujusvis populi christiani ecclesiam sub suo Primate et consistorio liberrime constituendam esse censuit; Papam, deposito omni fastu et imperio humano, pastorem vere christianum fieri voluit, sic et ipsi et Cardinalium collegio, ex piis eruditisque viris constituendo, etiam posthac summam quandam dignitatem et auctoritatem tribuendam esse, qua ad christianae reipublicae salutem, inprimis ad servandam omnium primatium ecclesiarumque concordiam sapienter uterentur; quum vero Pontifex vinctus a Curia talem veram reformationem nunquam admissurus esset, cum eo agendum esse secundum verbum Christi, qui contra singulos homines peccantes, si privatam admonitionem sprevissent, universam ecclesiam appellandam esse docuisset.[1] Quare Lutherus Caesarem, principes, nobilitatem Germaniae hortatur, ut quidquid penes ipsos sit faciant ad congregandum concilium christianum et liberum, neque sacramentis Pontifici dictis neque decretalibus papalibus obligandum. Ne concilium quidem generale falli nescium esse antea declaraverat; ipsos Papistas ostenderat risui habuisse conciliorum fidem, quum nuper servili suo concilio Lateranensi id sustulissent, quod a concilio Constantiensi decretum esset, concilium esse supra Papam. Immo se timere dixerat, ne quando Pontifex per vile adulatorum concilium dominus et conciliorum et universae ecclesiae falli nescius declararetur. Quae ejus verba, quum revera, ut aliquis dixit, quasi vaticinium sint eorum, quae nos facta esse nostris diebus vidimus, digna sunt quae etiam hic afferantur. ‚Videmus nostro seculo surgere', inquit, ‚nocentissimos adulatores, qui summum Pontificem ultra concilia elevent, scilicet ut uno concilio per alterum reprobato, nullum nobis certum relinquatur, tandem omnia una conculcet unus homo Papa, idem supra concilium et infra, supra, dum potest damnare, infra, dum accipit a concilio auctoritatem tamquam a majori, qua fiat supra concilium. Sunt quoque qui Papam non posse errare et supra Scripturam esse impudentissime jactitant, quae monstra si admissa fuerint, Scriptura periit, sequenter et ecclesia, ac nihil reliquum erit nisi verbum hominis in ecclesia. Sed quaerunt hi adulatores invidiam, deinde ruinam et perniciem Romanae ecclesiae.'[2] Haec omnia timebat Lutherus, sed prohiberi ea posse ac debere credidit. Quare errant, qui eum non sibi constitisse putant, quum iterum iterumque ad concilium generale provocaret. Semper

---

1) Matth. 18, 15—17.

2) Apud Loescherum in actis reformationis II, 549. Cf. Kolde, Luther's Stellung zu Concil und Kirche p. 36.

enim tenebat, saepius conciliorum ope veritatem divinitus esse vindicatam et Christum futuro quoque tempore tali concilio, quo magis a solo ejus verbo et spiritu penderet, eo certius ad sanandam miseram ecclesiam suam usurum esse.

Hoc igitur a divina providentia exspectabat, quae suo tempore idoneos ad id exsequendum viros velut electa instrumenta sua adhibitura esset. Sibi in ea re nihil mandatum esse credidit, nisi ut verbi praedicatione et veritatis testimonio viris illis quasi viam praepararet. In ecclesiae institutis, quamvis insint, quae probari non possint, tamen non vult quidquam a singulis et privatis hominibus novari. Etiam in praeclaro libello de libertate christiana iis, qui scientia alios praecellunt, caritate cavendum esse dicit, ne illis rebus praepostere mutatis debiles offendant. Sed Romanae tyrannidi, quo impudentior grassabatur, eo fortius et apertius resistere non dubitavit. Elapso tempore, quod Luthero ad revocandas sententias suas prior bulla damnatoria reliquerat, imminebat altera, quae condemnationem perfectam redderet. Hanc ille ita praevenit, ut priorem bullam una cum juris pontificii codice in rogo extra urbem composito coram invitatis academiae civibus magnaque plebis multitudine cremaret. Quod eum nequaquam subitario et tumultuario animi affectu, sed communicato cum amicis jureconsultis egisse proximi seculi egregius quidam scriptor conjectavit.[1] Jam antea Seckendorf significaverat, conscio Friderico Electore, cui libellus ad nobilitatem Germanicam scriptus non displicuerat, omnia facta esse. Neque quin huic per Spalatinum ipse Lutherus rei notitiam praebuerit dubito.[2] Sed de sollemnis illius actus consilio ac jure multa hucusque disputata sunt. Quare quid nobis videatur, paucis exponendum putamus.

Provocavit Lutherus ad id, quod in Actorum Apostolorum capite undevicesimo narratur, Ephesi permultos viros magicis artibus antea

---

1) Moshemii hist. eccl. p. 576.

2) Hoc recte vidit Waltz in: Ztsch. f. Kirchengesch. II p. 118, cf. p. 122 s. Ex Spalatini epistola d. 3. m. Dec. scripta, quam totam illic publicavit, jam antea Seckendorf (I p. 114 Add. II) gravissima quaedam argumenta attulerat. Hoc toto nexu (quem Waltzius l. c. p. 122 in nota 4. non satis considerasse videtur) clarissime indicat, Spalatinum ex Electoris mandato antea egisse cum Luthero et de hoc colloquio per litteras illas Principi suo relatu digna referre. — Ceterum Lutherus eodem d. X. m. Dec. quo bullam cremavit, rem gestam Spalatino non sine festivitate ephemeridos stilo brevissime nuntiat. Quod De Wette (Br. 1, 531), colloquii illius nescius, admodum miratur (cf. verba ejus: in einem sonderbaren zeitungsähnlichen Ton).

deditos, quum ad Christum conversi essent, magnam librorum magicorum copiam, quam grandi pecunia sibi comparaverant, publice combussisse. Quo facto sollemniter testati sunt, et libros illos, quoniam superstitionis, mendacii, fraudis instrumenta atque incitamenta fuissent, condemnandos esse, et se ipsos nihil amplius cum illis rei habere. Sed eodem seculo apud paganos Romana tyrannide factum est, ut prorsus alio consilio admodum diversi generis libri in comitio et foro urerentur. Sic serviles Caesarum, qui tunc imperium orbis affectabant, ‚delegati in monumenta clarissimorum ingeniorum saeviebant.' ‚Scilicet illo igne', inquit Tacitus[1], ‚vocem populi Romani et libertatem Senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur.' Eodem consilio postea Papae Romani libros sibi exosos comburendos curabant. Horum ‚ipsam memoriam perdi'[2] volebant. Id magnam partem apud Italos et Hispanos, aliquatenus apud Francogallos per tria fere secula perfecerunt. Quot illic nobilissimorum ingeniorum monumenta oblivione obruta hucusque jacuerint, nunc videre coepimus. Quam diversus vero Lutherus, quum libros quosdam combureret, ab istis memoriae exstinctoribus fuerit, facile patet. Bulla ista damnatoria, quam ab amicis suis latine et germanice edi laeto animo animadvertit, postea in nulla operum ejus editione desideratur. In juris Pontificii libris juxta malas res etiam bonas inveniri semper agnovit, neque eos a professoribus Vitebergensibus explicari atque critice tractari unquam vetuit. Sed praevalere in illis ea dixit, quae superstitionem, fraudem, antichristianam illam quam descripsimus tyrannidem foverent; eidem spiritui bullam damnatoriam et fanatica adversariorum scripta inservire. Hoc combustis iis omnibus declaravit. Magister quidam rogum praeparavit et, postquam Lutherus codicem juris papalis, alii alios libros imposuerunt, omnia incendit, quibus flagrantibus Lutherus etiam ipsam bullam in ignem injecit. Erat actus symbolicus ad illius temporis ingenium accommodatus et facile ab omnibus intellectus.

Revera longe gravior, quam bullae, librorum juris pontificii exustio visa est, qui post sacram scripturam omnium sanctissimi a multis habebantur.[3] Namque bullam quandam publice spernere tunc etiam apud eos, qui Romanae ecclesiae fidem praestabant, non tam inauditum erat, quam apud nostros Romanenses hodie aestimatur. Multis locis etiam episcopi diploma pontificium per Nuntios allatum procla-

1) Agricola c. 2.
2) Cf. Tacitus eodem loco.
3) Teste Pallivicino I, 25, 25.

mare vel noluerunt vel non ausi sunt; Guilelmus Bavariae dux revocandum illud esse Eccio declaravit; quantopere Curiae odium inter Germanos illo auctum esset, ipsi Nuntii, cum Eccius tum Aleander, testes erant. Hic, una cum Caesare iter faciens, plus semel neminem nactus, qui auderet ipsum excipere, ad vilia sordidaque hospitia aegre divertit.[1] Lutherus vero, quamquam ejusmodi indignationis publicae testimoniis gavisus est, tamen nihil magni iis effici posse vidit. Neque multum profici putavit jureconsultorum quorundam arbitriis a Caesaris parte stantium, qui totum pontificii juris codicem ratum habentes, in Leonis bulla singula tantum ut Caesareo juri repugnantia rejecerant. Ipse Decretorum Decretaliumque errores et commenta ad ecclesiae historiam pertinentia accuratius quam illi noverat atque vehementius oderat; totum jus illud canonicum, quatenus istis maxime rebus Romana tyrannis antichristiana niteretur, cum saniore societatis christianae condicione stare non posse, persuasum habebat; quod quam recte judicaverit, cum omnia sequentia tempora, tum nostra ostendunt. Etenim ne 'apud Romanenses quidem gentes canones illos omnes tolerari posse videmus. Itaque Lutherus totum jus Pontificium abolendum esse censuit idque publice declarare christiani officii duxit.

Hoc animo actum illum sollemnem peregit et postero die coram academiae civibus, quibus psalterii librum explicabat, viva voce interpretatus est. Eodem consilio scriptum commentariolum edidit. Quo libello totum jus pontificium eo tendere demonstrat, ut Papa sit deus terrestris, vim exercens etiam in coelestibus, super omnia spiritualia et secularia elatus, omnium rerum dominus, cui nemo audeat dicere: quid facis? Id luculenter probat triginta propositionibus ex juris illius libris egregie electis, plures addere paratum se esse significans. Illic doceri ostendit, Petrum oboedientiam, quam magistratibus deberi monet, non ad se ipsum et successores suos referre, sed ad solos sibi subditos; Papae esse potestatem judicandi de omnibus, ipsum, etiamsi peccatis suis innumeros homines ad inferos trahat, ab omnium judicio esse exemptum, eundem omnia jura habere in scrinio pectoris; quare quidquid constituerit ratum esse. Castigat impudentiam, qua illic ex ementita Constantini donatione imperium mundi papale derivetur. Addit Papas, id quod inprimis se ipsum ad justam iram moverit, nunquam adversarios suos apostolorum exemplo sacra scriptura et ratione refutasse; quin immo ex historiis se convincere eos posse, quoties adversarios vel

1) Pallavic. I, 24, 12, qui haec et similia narrat ex Aleandri epistolis in Vaticano servatis (cf. I, 23, 4), nuper a Friedrich editis.

dolo circumvenerint, vel vi oppresserint, trucidaverint, combusserint. Propterea libros, quo tam pestiferam potentiam fulciant, dignos esse censet qui comburantur, etiamsi singula insint meliora. Id de Gratiani decretis diserte confessus totum tamen eo detortum esse dicit, ut ecclesiae noceat et Papam in antichristiana sua et impia tyrannide confirmet. Hoc toto igitur jure pontificio sublato ecclesiam in capite et membris reformari vult ab universali concilio, ad quod ipse iterum provocaverat. Romanae sedis primatum, si ab omni corruptione antichristiana purgata fuerit, etiam nunc non recusaturus est. Neque desinit a corrupta Curia et corrupta Pontificii muneris condicione ipsam praesentis Pontificis, litterarum patroni, personam aliquo modo discernere, de quo semper adhuc Erasmus aliique eximii viri benigne judicabant. Confidere se ait, ipsum Leonem multa improbare, quae decessores ejus decretis et decretalibus suis constituerint; sin vero non improbet, ne id quidem se curare. Sese enim ut baptizatum Christianum, ut juratum theologiae Doctorem, ut rite vocatum evangelii praedicatorem obligatum esse ad veritatem, quidquid eveniat, testandam.

Hujus testimonii singulari illo sollemnique actu edendi ipsi adversarii causam ei attulerunt. Eccius ex mandato pontificio datis ad academiam Vitebergensem litteris ab ea postulaverat, ut bullam proclamaret et Lutherum nisi damnatas sententias revocaret ejiceret. Hoc academia neglexerat. Lutherus vero, quum iterum iterumque aliis locis libros suos a Romanensibus cremari audivisset, necesse putavit palam declarare, cur Vitebergae jura et mandata pontificia contemnerentur. Id quum eo, quem diximus, actu perficeret, haud invito quidem Electore suo fecit, sed ejus potentia se niti non posse optime noverat. Quare quovis momento, si hostile Caesaris consilium praevaleret, ad subeundum exilium vel mortem promptus erat. Nec vitam suam multi faciebat, quasi ad magnas adhuc res peragendas destinatus esset, sed tantum viam se munire putabat majori cuidam Dei organo, quale tunc efflorescens amici juvenis Melanchthonis ingenium ei esse videbatur. Ipse saepius eodem tempore, sicuti etiam postea, moriendi pro evangelica veritate desiderio flagrabat.[1] Quod non frustra fore confisus cum Simsone se comparabat, qui moriens plures Philistaeorum quam vivus perculisset, quumque Hochstrateni mortem ei undique minitarentur, versum illum fecit:

Pestis eram vivens, moriens ero mors tua, Papa!

1) Briefe 1, 535.

Simul vero pro ipsius Papae Cardinaliumque personis intimo animo Deum orabat, ut poenitentia propter Curiae mendacia, avaritiam, effusum sanguinem illis data eos servaret. Nimirum quod in iis oderat, nihil erat nisi antichristianimus et sinceri evangelii inimicitia. Quare valde errant, qui Lutherum puerili ultionis studio bullam decretaliaque cremasse cum Jesuita quodam garriunt. In utraque parte exteriorem comburendi libros actum eundem fuisse, interiorem facinoris vim ac significationem prorsus diversam, supra ostendimus. Lutherus vero, qui in heroismo suo christiano lepores et sales non spernebat, externam illam similitudinem ironice prae se tulit. Ad oculos demonstrare se voluisse incendiariis Papistis dixit, non esse magnarum virium libros exurere quos confutare non possent.[1] Et commentariolo Germanico, quo rei gestae causas intimas tam serio quam fortiter brevi explicavit, festive haec Simsonis verba subscripsit: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis. Ceterum non Martinum, humilem peccatorem, sed Christum, ‚sanctum Dei'[2], male ab adversariis tractatum graviter tulit. Contra hunc verum et sincerum Christum, quem ipse libris suis praedicasset, illos igne ac gladio saevire testatus est. Id ut sollemniter declararet, bullam pontificiam in ignem mittens haec verba addidit: Quia tu conturbasti Sanctum Domini, ideo te conturbet ignis aeternus.

Judicialis igitur actio erat, non in singulos homines, de quibus Lutherus judicium deo remittebat, sed in antichristianum spiritum Romae dominantem intentata. Pauci fortasse ejus aequales propter insitam Romanae ecclesiae pietatem tam repugnanter et dolenter quam ipse illius primatum pro insanabili ejus corruptione impugnare aggressi sunt. Quare paulo post quam actione illa universo imperio papali aperte bellum indicavit, Staupitio confitetur, ‚trepidum et orantem se ad ausum illud accessisse, sed postea laetiorem fuisse quam ullo alio totius vitae suae facto.' Nimirum judicium, quod de Romana curia Augustinianus monachus coram orbe tulerat, non fortuita unius hominis cogitatio erat, sed veritatis christianae ex tenebris emergentis judicium sequentibus aevis confirmandum. Jam medio seculo praeterito Moshemius scripsit, quisquis heroicam illam Lutheri actionem animumque, quo eam perfecisset, probe consideraverit, eum perspecturum esse, cur eam viri sapientes et libertatis Germanicae amantes ex ipsis Romanocatholicis aequo animo tulissent. Nunc inter hos non desunt, qui illius actionis vel grato animo mentionem facere audeant. Et plures posthac erunt. Sed ad narrandas res gestas redeamus.

---

1) Briefe 1, 532. 2) Marc. 1, 24.

Mense nondum praeterlapso nova Pontificis bulla, qualis exspectabatur, prodiit. Hac Lutherus, quoniam sententias suas non revocaverat, nulla addita condicione denuo excommunicatus est, interdictum, quod dicitur, in omnia loca, in quibus ejus doctrina deprehenderetur, publicatum est omnibusque sacerdotibus mandatum, ut intra tres dies, accensis et exstinctis atque conculcatis candelis excommunicationem publicarent et contra haereticos intrepide concionarentur. Sed etiam hoc edictum pontificium cum terroribus suis in Germania ubique fere effectu caruit. Flagitavit ipse Pontifex a comitiis tunc Wormatiae congregatis, ut illud simpliciter exsequerentur. Sed dubitatum est a multis, num illa morem ei gestura essent. Paratus quidem ad id esse videbatur Imperator juvenis, Carolus V., Aquisgrani recens coronatus, qui primus stimulante Aleandro Nuntio in terris suis Burgundicis Lutheri libros cremari jusserat. Inerat in eo, licet Germanica subole, aliquid morbidi illius ingenii Hispanici, quod in nobilissima natione, mire mixtis fanatismo et astutia, postea Lojolam ejusque sectam procreavit. Ejusmodi Caesaris animus instigabatur ab Hispanorum cum eo Wormatiae commorantium plurimis, quorum princeps, Fridericus Albae Dux, quum novae haereseos excidium postularet, Pallavicino teste ‚videbatur furentibus modis agitari et extra se impetu pietatis exsilire.‘[1] Hi omnes adhibitis, ubi opus esset, rogis ac gladiis, oboediendum Pontifici esse censebant. Sed obstabant imperii principes et status, propter ipsam Germanicam libertatem postulantes, ut Lutherus audiretur. Haec enim praevalebat inter eos sententia. De negotio agi ad universam Germaniam pertinente omnes persuasum habebant. Quidquid in Lutheri doctrina adversarii impugnaverant, id nemo, ne Fridericus Sapiens quidem, defendendum suscepturus erat. Diversissimae de iis rebus eruditorum virorum ferebantur sententiae. De tot singulis controversiis judicare eorum, qui in comitiis aderant, longe plurimi nec volebant nec poterant. Sed consentiebant plerique, Lutherum ut virum Christianum et Germanum multa recte contra Curiales monuisse neque his, quippe qui ipsi sontes et rei essent, judicium de illo committi fas esse. Optaverit fortasse aliquis, ut ille similiter atque Erasmus pro tempore nihil aliud nisi compescendam per imperium ac magistratus partem curialem et monasticam sibi proposuisset, cetera omnia, inprimis universae ecclesiae reformationem paulatim efficiendam, Concilio Generali, ab omnibus fere desiderato, reliquisset. Lutheri nimirum impetus, qui solam veritatem et conscientiam sequebatur,

1) His verbis concelebrat eum Pallavic. I, 24, 7.

humanis rationibus licet gravissimis retineri non poterat. Curiam, quo accuratius ejus corruptionem perspiciebat, eo acrius, quidquid inde eventurum esset, publice insectandam censebat. Quod in ‚Captivitate Babylonica' et in commentariolo post exusta decreta Pontificia scripto tanta cum vehementia egit, ut de illius emendatione jam prorsus desperare et abolito omni primatu papali singulas tantum ecclesias, nullis externis institutis et legibus inter se conjunctas, reliquas facere videretur. Sic tota simul externa ecclesiae unitas, longe plurimis aequalium jure ac merito sanctissima, periclitari, immo dissolvi videbatur, praesertim quum Lutherus etiam Concilia Generalia errare posse et errasse ostenderet. Non mirum, quod et multi, qui haud paucas ejus sententias admodum probaverant, ultra justos terminos eum ferri putaverunt, et Pontificiis suae causae patrocinium aliquanto facilius factum est. Neque enim astutia carebant, qua illum jactatis imprudentioribus quibusdam ejus verbis ut dirum ipsius ecclesiae hostem depingerent, suam vero nequitiam praetexta reipublicae christianae cura tegerent. Semper quidem Lutherus summam veteris ecclesiae Romanae reverentiam et Romani Pontificis, dummodo evangelium ne impediret atque episcopus iterum nec tyrannus esset, oboedientiam adhuc profitebatur. Verum ejusmodi professio jam jamque satis rara et languida facta est; crescebant et ingravescebant quae eam tollere videbantur, saeva judicia de insanabili curiae Romanae antichristianismo. Talia si aliquo modo repressisset Lutherus, si fortius ac distinctius, quam eum fecisse videmus, potestatem papalem non abolendam sed reformandam esse declarasset, si denique necessariam in ecclesia doctrinae, rituum, legum mutationem tam clare quidem, sed etiam tam caute et modeste quam Erasmus exposuisset et futuro Concilio Generali commisisset, Wormatiae longe plurimorum plausum ferre poterat.[1] Nam ejusmodi consilio ipsorum Comitiorum illic congregatorum decreta nonnulla egregie favebant. Etiam Georgius Saxoniae Dux aliique Vitebergensibus infestissimi non minus acriter quam Lutherus corruptam Curiae et Ecclesiae Romanae condicionem querebantur ejusque reformationem per concilium universale efficiendam desiderabant. Neque ab ejusmodi sententiis ii, qui juveni Caesari erant a conciliis, abhorrebant, nisi quod politicae rationes apud eos plus, quam veritatis et justitiae curae, valebant. Praecipue in Italicis rebus ad Papae animum utiliter flectendum et a Francogallorum parte avertendum Lutherana causa uti studebant. Id Wormatiae clare per-

1) Cf. Ranke, Deutsche Geschichte etc. I, 332.

spiciens Aleander nuntius haud parum angebatur[1] verbo quodam, quod Cevrius, summus tunc Caroli consiliarius, dixerat, Caesarem ita se gesturum esse erga Pontificem, uti Pontifex erga Caesarem se gereret. Neque minus ille Joannem Glapionem Franciscanum timebat, qui, quum Caesari esset a confessionibus, apud eum omnibus fere aliis auctoritate potentior erat. Is enim curiae haud valde addictus esse dicebatur; non modo cum multis aliis ecclesiae reformationem postulabat, verum etiam restituendum puriorem quendam et interiorem christianismum docebat, judaisticis et paganis illorum temporum erroribus oppositum. Hac ex parte totus Erasmi vestigia premebat, immo ejusdem viri, quem ipsum plurimum apud Caesarem valuisse vidimus, gravissimus apud hunc interpres erat. Id Wormatiae longe pessimum periculum esse Aleandro videbatur. Inde potissimum fieri posse exploratum habuit, ut victrix eorum sententia esset, qui neglecta Papae bulla Lutherum praesentem audiri ejusque sententias examinari in comitiis volebant. Neque vanam Pontificis ministro formidinem ipse eruditorum Princeps attulit, cujus mentem jam pridem et familiari consuetudine et lectitatis ejus scriptis et aliorum narrationibus inspexerat. Hic enim et ipse, appropinquantibus comitiis Wormatiensibus, ad consilia illa omnibus Pontificiis exosissima apud Caesarem ejusque ministros fovenda, quidquid auctoritate et rerum experientia valebat, strenue adhibuerat. Erasmus revera ea via, qua utinam Lutherus tunc ingressus esset nonnulli optaverunt, eodem tempore ingredi conabatur. Nimirum jam primum immodicam Pontificis et Curialium potentiam amice et sine tumultu temperari ab Imperio et Principibus voluit, tunc necessarias in ecclesia mutationes adjuvante et ipso, postquam ad moderationem revocatus esset, Luthero prudenter praeparandas et per Concilium Generale peragendas esse censuit. Quae omnia, quanto sagacius et excogitata et ad praesentem rerum publicarum condicionem accommodata erant, tanto plus terroris callido et perspicaci Aleandri ingenio incusserunt. Quare Erasmo maxime obviam eundum esse judicavit. Itaque factum est, ut in comitiis Wormatiensibus haud minus fere Erasmi, etsi publice ejus mentio non fiebat, quam Lutheri causa ageretur. Vicit illic nuntiorum dolosissimus eruditissimum reformationis ecclesiasticae universalis gradatim efficiendae patronum. Non tam prorsus quam cupiverat ejus auctoritatem apud curiam Romanam perdidit. Verumtamen tam suspectum apud eam illum reddidit, ut, si

1) Diserte id dicit Pallav. I, 24, 6.

a Romana ecclesiae unitate palam deficere nolebat, jam multo difficilius quam antea succurrere Luthero posset.

X.

Erasmus, quum Luthero contra saevos ineruditosque adversarios subvenire fas haberet, initio ipsum Leonem X. illi conciliare conatus est. Hoc animo alteri editioni Novi Testamenti Graeci ad Pontificem missae adjecit epistolam[1], qua non tantum theologiam e purissimis Christi et apostolorum fontibus hauriendam praedicat, verum etiam ipsum Papam caute quidem et modeste sed satis aperte sanctissimi officii admonet atque cum suo et litterarum negotio simul Lutheri causam, licet nomen ejus non memoraverit, impense commendat. Quid alii scribant ipsis videndum esse ait; se alienum servum non judicare, qui suo Domino stet aut cadat. Dolet amarulentis contentionibus labefactari tranquillitatem studiorum et rei christianae, atrocibus utriusque conviciis pugnam crudescere, dentatis libellis ac reciprocantibus maledictis tumultum in rabiem exire. Sed nobilissimo animi candore et libertate longe majorem culpam in Lutheri adversariis esse praedicat. ‚Praetexunt', inquit, ‚horrenda nomina, haereses, antichristos; jactitant periclitari religionem christianam, quam ipsi scilicet suis humeris sustinent, atque his tam odiosis admiscent mentionem linguarum ac politioris litteraturae. Haec, inquiunt, horrenda dictu, nascuntur ex poëtica, nam hoc vocabulo traducunt, quidquid ipsi non didicerunt. — Nemo non labitur alicubi nisi qui homo non est. At decet humanos lapsus, si tales sunt ut non oporteat ad eos connivere, christiana lenitate corrigere. Nunc depravant et quod recte dictum est, saepe et quod non intellegunt; si quid parum arridet, seditiose quiritantur apud crassam et indoctam multitudinem. Haec aliquoties parvis initiis orta, saepenumero vastissimum gignunt incendium. — Proinde mihi videtur Tua Sanctitas rem factura Christo longe gratissimam, si contentionibus hujusmodi silentium indixerit.'

Hoc Erasmus, qui jam antea per amicos Romae aliquid valentes similia suaserat et hortatus erat, paulo post disputationem inter Lutherum et Eccium Lipsiae factam Pontifici proposuit. Paucis ante mensibus ipse Lutherus, reverentiam suam erga ecclesiam Romanam testatus, litteris Leoni promiserat, se indulgentiarum materiem deinceps relicturum penitusque taciturum esse, modo et adversarii sui vanas

1) De d. 13 m. Aug. a. 1519.

ampullas continerent.[1] Sed iterum iterumque eum provocaverunt. Hos ipsos Erasmus saepius dicit ‚saevam supraque modum horribilem bullam mitissimo Papae extorsisse.' Id acerrimis Curiae propugnatoribus scribere audet. Sic in epistola ad Rosemundanum Lovaniensis academiae moderatorem data[2] bullam illam monachorum πτωχοτυράννων saevitiam sapere judicat; se frustra admonuisse memorat, ut primum diligenter legerentur scripta Lutheri, deinde libris editis et disputationibus refellerentur et, omissis contentionibus, veritati consuleretur; ‚nunquam probavi', inquit, ‚neque probaturus sum, quenquam sic clamoribus apud populum opprimi, priusquam libri sint lecti et excussi, priusquam admonitus sit qui errat, priusquam redargutus sit argumentis et Sacrae Scripturae testimoniis.'

Post bullam vero illam per Legatos Pontificios in Germania proclamatam Erasmus ad restituendam pacem ecclesiae nihil amplius a curia Romana sperari posse vidit nisi urgentibus atque prementibus christianis principibus ac populis. Itaque praecipue a Carolo Caesare, ut reipublicae christianae prospiceret, petendum esse existimavit. Illum a clericis quibusdam ad ejusmodi negotium parum aptis pendere cognovit, neque tamen illic deesse alii ei videbantur, qui cum Glapione meliora suaderent. Sui officii esse putavit, quidquid pro viribus et indole sua posset, experiri, ne Carolus caecis Pontificis satellitibus obsequens oppressa veritate regni initia macularet, sed ut Curiam Romanam ad causam omnium tunc temporis gravissimam, quam isti nefarie praecipitaverant, denuo ac religiosius tractandam cogeret. Quod ita effici voluit, ut propter communis rei christianae salutem necesse id esse ipsi ecclesiae proceres intellegerent, Pontificis dignitati autem, quam maxime fieri posset, parceretur. Huic eos maxime officere dicit, qui, quo suum regnum stabiliant, ‚clamoribus, tumultibus et adulationibus agant negotium Pontificium.'

Ad haec omnia persequenda Erasmo splendidissima se obtulit occasio. Quum enim ex eorum numero esset, qui jurati consiliarii Caesarei appellabantur, et ipse ad instantia comitia Wormatiensia invitatus est.[3] Duo susceperat praestito juramento officia, Caroli dignitatem augendi et ecclesiae commoda promovendi. Utrumque nunquam neglexit. Sed honorem illum ea tantum condicione acceperat, ut si videretur consultum, ex Brabantia digredi alio posset, pro bonis litteris

1) Br. 1, 233 ss. de d. 3 m. Mart. a. 1519.
2) D. 18 m. Oct. a. 1520.
3) Epp. XXIII, 6.

promovendis.[1] Quantopere aulae commercium fugerit, supra vidimus. Se neque factiones ambire posse ait, neque ingerere semet, neque alium cubito protudere.[2] Sed ubi vocabatur, officii memor erat. Jam de quibusnam rebus suffragium ejus Wormatiae exspectaretur clare apparuit. Quippe nemo dubitabat, quin futurum esset, ut etiam Lutheri causa illic ageretur. De hac palam coram Caesare imperiique ordinibus sententiam dicere prae ceteris Erasmum decere videbatur. Verum enim vero tunc maxime patuit, quantum indole a Luthero differret. Hic ab infestissimo Imperatore veluti reus Wormatiam vocatus, spretis omnibus periculis eam vocem tanquam ipsius Dei sequendam sibi existimavit. Erasmus, quamquam summo cum honore ut judex vocatus erat, venire recusavit. Multa videlicet impedimenta, quae superare nullo modo posset, videre sibi visus erat. Timebat in tanto hominum confluxu pestilentiam, qua paulo ante in simili conventu Coloniensi, in quo invitatus adfuerat, perterrefactus erat. Condonandum est aliquid seni, non tanta animi vi praedito, ut aegrotanti, quod saepe queritur, corpusculo imperaret. Sed imperasset fortasse, nisi multa quoque alia eum retinuissent. Intolerabile viro umbratico erat vel cogitare de futura quondam necessitate in illustrissimo coetu sermocinandi vel disputandi. Nam si de Lutherano negotio illic dicendum sibi esset, optime sciebat fore ut haud pauca se dicere oporteret permultis ingratissima; tunc Aleandrum, quem optime noverat, non aliter, quam stultissimos monachos, probro sibi versurum esse, quod Luthero ipse et viam praeparasset et elogio favisset. Ea vero, quae in Lutheri sententiis improbabat, in scholis atque inter viros eruditos, quam coram universo populo tractari maluit; de nonnullis quid judicandum esset, sibi ipsi nondum constare familiaribus confessus est. Quare si huic negotio Wormatiae praesens se involveret, sibi persuasit fore ut neque Luthero ejusque causae prodesse, neque ipse summum periculum effugere posset. Longe et majore sapientia et meliore spe acturus sibi videbatur, si non corpore sed ingenio praesens ipse quantum fieri posset incognitus illic id efficere studeret, quod solum justum et reipublicae christianae salutare esse putabat. De quo consilio quidquid judicamus, id nobis concedendum est, mira eum circumspicientia illud persecutum esse. Viam sibi praeparaverat litteris ad Papam, Campegium Cardinalem, Albertum Electorem Moguntinum, Gattinarium Caesaris cancellarium[3], Georgium Saxoniae Ducem,

---

1) H. von der Hardt, hist. lit. reformationis I p. 108.
2) Epp. XIV, 11. 3) Erasmi opp. III, 1411.

alios datis. Deinde in comitiis Wormatiensibus sententiam suam et duobus judiciis scriptura datis et per viros idoneos asserere studuit, auctoris nomen vero occultandum tam diligenter curavit, ut non tantum aequales sed per longum tempus etiam posteros prorsus ipse lateret. Ne clarissimus quidem Seckendorf, qui utrumque scriptum in tabulario Vimariensi inter acta Wormatiensia invenerat, de auctore quidquam divinavit. Postea res paulatim perspecta est; nostra demum memoria, quidnam eruditorum princeps e longinquo in comitiis illis efficere conatus sit, quidnam revera effecerit, accuratius investigari coeptum est.

Ex duobus illis judiciis alterum Erasmus una cum Joanne Fabro Dominicanorum Priore Augustano composuit.[1] Hic solus nomen suum subscripsit, sed et in argumentis et in sermone Erasmi ingenium facile cognoscitur. Omnia illic eo spectant, ut magistratus civiles, inprimis Germanici, propter instantia ingentis discidii pericula sui officii quam gravissime moneantur. Quanta pericula illa essent, nusquam eodem tempore tam clare quam illo judicio expositum est. Jam ibi adumbrata sunt, quae Erasmus postea toties pronuntiavit, ‚ab utraque factione de rebus ecclesiasticis certante, nisi lites spiritu vere christiano componerentur, summas calamitates per secula forsitan duraturas, cum universae reipublicae christianae, tum Germaniae imminere; ex altera parte metuendos esse tumultus in imperio, qui Gallorum astutia facile augerentur, gaudium hostium Germaniae, deminutionem obsequii erga magistratus, principum quorundam, immo et Caesaris discrimen, ex altera parte timendam offensionem populi, augmenta tyrannidos et saevitiae, oppressionem veritatis ejusque publicae praedicationis. Quare etiam nunc post bullam damnatoriam necesse esse, ut Martinus audiretur; sic sperari posse fieri ut omnia prospere cum Deo succederent. Neque id sedi Romanae detrimento fore; quoniam de pace orbis christiani ageretur, quae promovenda omnino esset, Papam cum suis hac vice ad patientiam componere se debere. Caesaris et principum esse tam perplexis rationibus ita prospicere, ut excellentissimos doctissimosque viros arbitros convocarent. Contra Arium, Sabellium, Nestorium sic quondam actum esse; neque unquam illis temporibus tantas res soli Papae aut cuivis alteri credita; neque Romam citatos esse, qui de doctrinae erroribus delati fuissent, nec

1) Confundi non debet cum J. Fabro Leutkirchensi postea episcopo Viennensi. Cf. Seckendorf I, 145. Foerstemann p. 66. Woker de Erasmi studiis irenicis p. 23 s.

ibi condemnatos esse, sed in conciliis, id quod pateat ex prioribus quatuor synodis generalibus. Itaque ut Lutherus rite audiretur, a Caesare et Electoribus locum et tempus commodum eligendum esse, viros idoneos cum optima securitate convocandos; expedire etiam semestre spatium concedi, ut viri docti omnia legere et expendere possent, ne quid inconsiderate fieret in re tam gravi et ad totam ecclesiam pertinente.'

Cum hoc judicio Erasmus Fabrum, ad celeberrimum Peutingerum Caroli consiliarium misit, addita epistola commendaticia, qua admodum prudenter exposuerat, quidquid egregii viri animum ad faciendum quod res postularet monere posset. Gravissima rerum publicarum pericula iterum depingit, magistratuum officia significat; nec vero omittit monere, quam frustra in hac causa omnes laborent qui alium scopum sibi proponant atque Christi gloriam. ,Saxum illud', inquit, ,hinc atque hinc tundi potest, cui inscriptum est illud mysticum elogium: Novit Dominus qui sunt ipsius. Quidquid a spiritu Christi proficiscitur, non potest humanis praesidiis opprimi, quantumvis prematur; quidquid humanis consiliis tentatur, temporarium est, quantumvis ardentibus studiis agatur, quantumvis operoso molimine ad perpetuitatem communiatur.' Adjicit sui similium non esse de Pontificum diplomatis judicare, sed a multis in bulla, quam contra Lutherum nuntius Pontificius attulerit, mansuetudinem mitissimi Christi desiderari. Quare Lutheri causam arbitris doctis, integris et ab omni suspicione alienis delegandam esse; non quod Pontifex sit cogendus in ordinem et alieno subjiciendus arbitrio; sed quod sperandum sit Leonis pietatem sponte volentemque facturam, quae ad publicam christianae religionis tranquillitatem conducant. Hujus consilii rationes Joannem Fabrum, pro meritis suis commendatissimum, copiosius coram expositurum esse; quae si placuerint, ipse Peutingerus suae prudentiae consilium adjungat, ut in Wormatiae conventu statuatur aliquid, quod omnibus bonis approbetur.[1] Quae omnia frustra non fuisse apud Peutingerum certum est. Hunc enim Wormatiae inter eos fuisse constat, qui summo studio nitebantur, ut Lutheri sententiae non specie sed serio audirentur et examinarentur. Neque dubitari potest, quin ille ad conciliandos huic rei cum alios, qui Caesari a conciliis erant, tum ipsum Caesarem ab initio vires intenderit.

Id ut prospere succederet, Erasmus auxilium laturus alterum illud quod diximus judicium ipse conscripsit et sine nomine spargendum

1) Epp. XIII, 30.

curavit. Quod quanam via factum sit adhuc in obscuro est. Judicii illius, quale Wormatiae legebatur, duplex erat inscriptio. Altera ipsius Erasmi erat, haec continens verba: ,Consilium cujusdam ex animo cupientis esse consultum et Romani Pontificis dignitati et christianae religionis tranquillitati.' Supra hanc ignotus quispiam posuerat alteram his verbis expressam: ,Consilium doctissimi cujusdam, magnorum Principum monitu praecipue ad hoc munus invitati, quomodo sublato imbecillium offendiculo commode sedari queat Lutherani negotii tumultus.'[1] Quae verba ad quorumnam Principum monitum jure referantur hucusque non patet. Ponendum est Carolo imperatori, qui Erasmum ad Comitia Wormatiensia invitaverat, consilium illud ejusque auctorem cognitum fuisse. Quamquam nihil de ea re diserte traditum est, quin immo multo post Erasmus scripsit, tentasse se per litteras Caesaris et Cancellarii Gattinarii animum, si paterentur arcanis epistolis dari liberum consilium; responsum esse ad cetera, ad hoc nequaquam. Atque vix dubitari potest, quin Wormatiae Caroli consiliarii idem Erasmi consilium illud cum Friderico Sapiente aliisque Principibus scriptum communicaverint; sed neque Fridericus neque alii auctoris nomen divinasse videntur. Invenitur sine auctoris nomine inter opera Lutheri.[2] Etiam Romam scripti notitia quaedam pervenit ibique cognitum est, illud ,clam ab Erasmo elaboratum esse.'[3] Idem denique consilium apud Helvetios quoque sine nomine mox innotuit, unde miro errore factum est, ut primus Vadianus et post eum multi alii Zvinglium auctorem fuisse putarent.[4] Ex his omnibus vero apparet, quam singulariter multorum animos commentariolus ille tetigerit. Cujus gravissima argumenta nobis hoc loco exscribenda sunt.

Reverentiam erga sedem Romanam praefatus Erasmus se in praesentia non expendere dicit, qualia sint quae scribat Lutherus, sed tantum admonere ut consideretur, quid conducat ecclesiae tranquillitati.

---

1) Hanc alteram inscriptionem jam Wormatiae legit Pontanus. Cf. Foerstemann p. 67.

2) Ed. Viteb. Lat. II, 123^{b}.

3) Pallavicinus I, 23, 8. Qui perpauca ex eo affert. Addit Lutherum illud edidisse.

4) De Vadiano testimonio cf. Wirz, neuere helvet. K. Gesch. I, 185. Vadianum etiam recentior operum Zvinglii editor secutus est (Opp. III, 1). Etiam Seckendorf, quamquam Pallavicinum legerat, non agnovit auctorem consilii (I, 145). Hoc ut Erasmianum primus edidit H. von der Hardt hist. litt. ref. I, 103 ss. (qui falso illud a. 1519 scriptum esse putavit). De Erasmo auctore dubitari nullo modo potest. Cf. Gieseler, K.-Gesch. III, 1, 87.

Maximam partem praesentis mali imputandam esse illis, qui de indulgentiis et potestate Romani Pontificis ea praedicaverint eaque scripserint, quae nullae doctae piaeque aures ferre potuissent; ut, quod ad hujus tumultus initium attineat, Lutherus videri possit pio studio zeloque religionis christianae incitatus fuisse. Porro quod postea acerbius coeperit scribere, etiam eos qui non excusent, dicere tamen acerbissimis quorundam irritationibus et conviciis non omnino sine causa illum fuisse concitatum. Libris illius nondum lectis, clamatum eum esse apud multitudinem haereticum, antichristum, schismaticum; non revictum, quum ipse offerret se quemadmodum et nunc se offerat ad omnem disputationem, sed tantum damnatum; idem post disputationem Eccianam etiam scholas Coloniensium et Lovaniensium egisse, sed ita, ut ipsae in articulis non consentirent iisque praecipuis. Deinde personas, per quas res hactenus acta sit, tales esse, ut merito possent haberi suspecti, quoniam suum negotium egerint, in Lutherum sua tenuitate contentum non cadere talem suspicionem; neque vitam illorum neque doctrinam talem esse, ut illorum judicium debeat habere grave pondus, praesertim in re tanta. Modum igitur procedendi adversus Lutherum merito improbari ab optimis et doctissimis quibusque viris, etiamsi Lutherus scripsisset plane haeretica; bullam vero, quae adversus eum publicetur inclementius, etiam iis displicere, qui Romani Pontificis dignitati faveant, quod resipiat odium impotens quorundam monachorum; unde magnam oriri suspicionem, esse qui nativa Leonis lenitate facilitateque abutantur.' — Tunc transit ad demonstrandam reformationis cujusdam ecclesiasticae necessitatem, quam rem non minus audacter quam caute ita tractat, ut, quamquam totam Lutheri causam decernendam sibi non assumit, tamen illum, si sapienter et spiritu vere christiano cum eo actum fuerit, multum fortasse universae ecclesiae profuturum esse significet. ,Nullus', inquit, ,ignorat, vitam christianam rebus paulatim in deterius prolabentibus, multum degenerasse ab illa sincera Christi evangelica doctrina, adeo ut nemo non fateatur, opus esse publica aliqua et insigni legum ac morum instauratione. Igitur ut non est temere tentandum aliquid, ita non est temere oblatrandum iis, qui bono studio monent aliqua, etiamsi liberius id facere videantur. Atque ut extra omnem controversiam sit, prorsus a vero aberrasse Lutherum, tamen erat humanitatis theologicae, primum admonere hominem fraterne, deinde r e f e l l e r e s o l i d i s a r g u m e n t i s e t S a c r a e S c r i p t u r a e t e s t i m o n i i s, atque ita revictum, si nollet resipiscere, ita tractare, ut solemus membrum deploratum. Nunc exurendis libris fortassis aliqua ex parte divelletur e bibliothecis, sed

interim illius opiniones infixae sunt animis plurimorum, quum eas videant non refelli. — Habent et Laicorum felicia ingenia suum judicium. Sunt tot eruditi viri et iidem boni, quorum ut quisque sincerissimus est ac veritatis evangelicae tenacissimus, ita Lutheri libris minime est infensus. Hujusmodi ingenia doceri cupiunt; cogi nolunt neque debent. Asinorum est cogi tantum, tyrannorum cogere. — Videmus Lutherum apud omnes vitae integritate commendari, et sic esse infixum animis hominum, praesertim Germanorum, quamquam et apud alias nationes, ut, quisquis est integerrimi judicii, hoc est maxime semotus ab his rebus, quae solent judicia corrumpere, minimum infensus sit Luthero. Nemo non fatetur, sese ex illius libris factum esse meliorem, etiamsi quaedam fortasse merito displiceant. — Novimus Germanorum animos, videmus Bohemiam tot annis pertinacem. Audimus quotidie graves multorum querimonias, negantium diutius ferri posse Romanae sedis jugum. Quod si res geratur odiose ac violenter, qui prudentia valet facile divinabit, quis rerum tumultus possit hinc exsistere, quum frequenter ex levioribus initiis videamus orta perniciosissima mundi dissidia. — Quin et mundus videtur, veteris ac nimium ad sophisticas argutias prolapsae theologiae pertaesus, sitire fontes evangelicae doctrinae et huc videtur irrupturus vi, nisi fores aperiantur, adeo ut, etiamsi displiceat Lutherus totus, tamen oporteat innovari theologiam scholasticam.'

Quae sequuntur eorum similia sunt, quae per Fabrum Peutingero consideranda ipse proposuerat: ,Caesaris et Principum christianorum esse prospicere, ut negotium Lutheranum disquirendum et decernendum electis viris eximiae doctrinae spectataeque probitatis et integritatis committatur, in quos nulla cadat suspicio, vel quod metu aut spe velint adulari Romano Pontifici contra veritatem evangelicam, vel quod adversae factioni humano studio faveant: his perlegendos esse Lutheri libros et postea Lutherum coram audiendum. A Pontifice impetrandum esse, ut ob veritatem evangelicam et pacem orbis christiani de suo jure nonnihil concedat admittens virorum illorum de tanta causa arbitrium, quoniam ita hominum suspicioni consulatur, apud quos fortasse ipsius Pontificis judicium minus ponderis habiturum sit, quod ob indulgentias ac primatum suo negotio favere possit videri. Quae omnia si minus placeant, causam illam ad proximum concilium generale remittendam esse, quod etiam ob multas alias causas postulare videatur status reipublicae christianae multis modis corruptus. Nam intempestivum videri rem tam arduam velut obiter agere Wormatiae in tanto principalium negotiorum tumultu, praesertim quum res jam un-

dique satis dubiae sint, ut non expediat addere novorum tumultuum materiam. Praeterea convenire, ut haec nova Caesaris inauguratio faustis ominibus peragatur, ne hujusmodi rebus odiosis reddatur funesta et inauspicata.' Denique finem faciens judicii, 'Hoc consilium', inquit, 'nolo cuiquam praejudicet, tantum animo simplici, quod mihi videtur optimum factu, dixi. Praesertim quum ad id a summis principibus et profanis et ecclesiasticis fuerim invitatus. Opto ut vincat evangelica veritas et omnia cedant in gloriam Jesu Christi. Amen.'

Haec igitur omnia Erasmus a Caesare Imperiique ordinibus Wormatiae congregatis religiose reputari voluit. Vix illic alius quisquam, nisi forte totus Luthero assentiens atque deditus, grandiora nobilioraque de eo praedicare poterat. Neque quisquam, ne Luthero quidem excepto, tam audacter et accurate de necessaria ecclesiae reformatione ibidem locutus est. Immo Erasmus per litteras lectoribus suis Wormatiensibus talia dixit, qualia Wormatiae non dixisse Lutherum postea poenituisse videtur. Etenim timebat 'ne amicorum consiliis cedens spiritum suum nimis illic remisisset et pressisset neve idolis illis exhibuisset Eliam quendam.'[1] Talem Erasmus sane scriptis suis caute compositis se non praebuit. Verumtamen abusus in ecclesia, qui Eliam quendam reformatorem requirerent, satis audacter significat. Non tantum morum et caeremoniarum emendatione opus esse, sed mutandas etiam leges ecclesiae et universas doctrinae ecclesiasticae rationes ingenue ac libere proclamat; Lutherum contra ea, quae de indulgentiis et Romani Pontificis potestate prorsus intolerabilia christiano animo docerentur, suo jure bonoque animo surrexisse, diserte confitetur. Si quid minus recti Lutherus egregiis scriptis suis admiscuerit, hoc iisdem praesidiis examinari vult, ad quae ille toties provocaverat, nimirum solidis argumentis et sacrae scripturae testimoniis. Ne haec causa injuste et inique contra veritatem evangelicam dirimatur, universae reipublicae christianae plurimum interesse ostendit. Ejusdem causae tales arbitros proponit quales Lutherus saepissime flagitaverat. Eos si a principibus dari non placuerit, cum Luthero rem procrastinandam esse censet ad proximum concilium generale, emendandae universae ecclesiae causa valde necessarium. Bullam Leonis damnatoriam extortam potius de ejus manibus quam sponte datam videri significat, cui rei simile aliquid saepius Romae a partibus quibusdam magno ecclesiae incommodo perpetratum esse postea Clemens XIV. ipso celeberrimo, quod diximus, Brevi declaravit. Quare

1) Briefe II, 50. 165.

Erasmus Caesari principibusque suadere studuit, ut bullam illam, qua Lutherus excommunicatus erat, donec res religiose examinata esset, suspendendam curarent. Id enim amice impetrandum esse existimavit a Pontifice, quippo qui, illis cum reverentia urgentibus, ut debitum honorem apud gentes servaret, veritatem evangelicam et pacem orbis christiani suo juri canonico non posset non anteponere. Quam sapienter denique Erasmus monuerit, ne Wormatiae inter tot alia negotia gravissima illa causa obiter et odiose tractata novorum tumultuum materies spargatur, ea quae postea facta sunt satis superque illustrant.

Equidem profecto, quo saepius judicium illud perlegi, eo magis scriptoris nobilissimum et animum et ingenium admiratum me esse fateor. Neque eum majora, quam quae ullo modo effici potuissent, molitum esse dixerim. Nimirum in comitiis Wormatiensibus et multas res et multos egregios viros tali ecclesiae reformationi, qualis jamdiu desiderata erat, admodum favisse supra vidimus. Quam reformationem qui illic expetebant, multo plus fortasse valuissent, si Erasmus sapientissima illa consilia, quae absens sine nomine misit, praesens dedisset, explicasset, vindicasset. Ne id quidem necesse erat, ut coram summo ac splendidissimo Imperii conventu, similiter atque Lutherus, ipse loqueretur. Hoc pro indole sua et valetudinis infirmitate praestare fortasse nullo modo poterat. Magnas tamen res peragere licebat, dummodo praesens in minoribus coetibus et eximia prudentia ac circumspicientia, et ingenti auctoritate, qua eum apud permultos spectatissimos viros praesentes floruisse constat, scriptorum illorum consiliorum argumenta sustentasset. Sed ne id quidem ausus est. Propter causas supra dictas vel solius nominis auctoritatem consiliis addere absens noluit. Eorum, quae tunc temporis Erasmus e longinquo pro re evangelica tentaverat, ipse Lutherus nunquam vel levissimam notitiam habuit.

Quae quum ita sint, nihilominus virum illum ex obscuris quasi latebris verborum lumina haud frustra emisisse contendimus. Quae majora se effecturum esse speraverat, ea hostilibus artibus impedita sunt, nonnulla tamen eum effecisse apparebit. Quamquam enim consilia ejus a nemine tam praeclare, quam ab ipso, defendi poterant, tamen Wormatiae non deerant illis defensores, ingenii et eruditionis nequaquam expertes. Ex quibus longe plurimum valere videbatur Joannes Glapio Franciscanus supra memoratus, a quo maxime Caesar inspirari et tunc et postea[1] ferebatur, quippe cui non tantum a consiliis ille sed

1) Cf. Luther's Briefe II, 213.

etiam a confessionibus esset. Hic eodem tempore cum Erasmo litterarum commercio junctus[1], ,divinam ejus venam' admiratus est, de ecclesiae condicione, de reformationis necessitate, de Lutherano negotio idem atque ille judicavit. Per hunc igitur Erasmus Caesarem se submonuisse testatur, ,nihil profici in tanta causa vulgaribus remediis, hoc est palinodiis, carceribus et fasciculis.'[2] Neque alius judicii illius, quod conscriptum miserat finis erat. Quare conjecerit aliquis, per Glapionem illud Carolo traditum esse. Id certum, Wormatiae Glapionem licet etiam cautius Erasmo atque occultius, prorsus Erasmianas sententias protulisse. Uni eum Georgio Pontano, Friderici Sapientis Cancellario, totum animum suum illic effudisse scimus, similia tamen se apud ipsum Caesarem ejusque consiliarios locutum esse ipse illi affirmavit. Per eundem Pontanum etiam Fridericum adire compluries conatus est, is vero ejusmodi clandestinum colloquium, multa quidem cum urbanitate, recusavit. Quaecunque Glapio cum Pontano egerat, hic statim Germanice scripta cum Electore communicavit; ceterum tam tacite habita sunt omnia, ut ne Spalatinus quidem, consiliarius Friderico familiarissimus, quidquam de iis etiam postea resciverit.[3] Neque ante Seckendorfium, qui ex archivo Vimariensi ea deprompsit, ullus scriptor eorum mentionem facit, excepto Pallavicino qui aliquam eorum ex tabulario Vaticano notitiam habuit. Nos eorum, quae Glapio sermocinatus est, argumenta gravissima hic interponemus, ut quam plane plurima cum judicio illo ab Erasmo conscripto congruant, lecturis appareat.[4]

Colloquii initium Glapio fecit dicens, se lectis Lutheri scriptis prioribus ex animo laetatum esse; germen enim nobile et recens se in corde Lutheri ortum observasse, quod jam surculos et palmites emiserit et utilissimos fructus promiserit ad ecclesiae emolumentum. Illa quidem, quae Lutherus monuisset, etiam alios intellexisse, neminem vero spiritum illum impetrasse, cujus ope plenam veritatem exprimere auderet. Primis ejus thesibus contra indulgentias paucos tantum viros doctos non esse adstipulatos; summopere sibi placuisse libellum ejus de libertate christiana, qui magnum judicium, magnam artem spiritumque exhibeat. Itaque Martinum, id quod ex omnibus fere ejus

---

1) Erasmus id testatur in epistola, quam anno post ad eum dedit (Epp. XIX, 110), quae una ex commercio illo litterario servata est.

2) Epp. XX, 23 ad Ferdinandum Caesaris fratrem XII cal. Dec. a. 1524.

3) Id ex epistolis et commentariis epus recte concludit Seckendorf I, 143.

4) Foerstemann p. 36 ss. p. 48 ss. p. 52 ss. Seckendorf l. c.

libris clarissime pateat, felicem finem sibi proposuisse aliosque timidiores, ut eundem finem persequerentur excitasse, nimirum ut ecclesia, longo tempore multis abusibus maculata, funditus reformaretur. Tam nobili ausu magnam illum laudem apud viros doctos meruisse; sperandum fore ut ipse Carolus id agnoscat. ‚Ego', inquit, ‚Caesari dixi: Deus flagellabit Caesarem et omnes Principes, nisi sponsa Christi liberatur ab istis oneribus et rugis quibus premitur. Dixi etiam, hunc hominem a Deo missum et illi praeceptum esse, ut sit flagellum propter peccata.'[1] Novissimum tantum Lutheri scriptum ‚de captivitate Babylonica', quod et Erasmo displicuit, vehementissime vituperavit, quippe quo ipse admodum perterrefactus et afflictus esset. Excusavit tamen illud aliquo modo propter iram, ex bulla damnatoria conceptam; concessit etiam, ea quae illic durius dicta essent, ex libello de libertate christiana ita posse explicari, ut bonum et catholicum sensum praebeant. Quae contra Lutherum scripta erant, paene omnia improbare visus est, inprimis, quem novissime acceperat, Ambrosii Catharini libellum; hunc enim viginti fere locis Lutheri mentem non recte percepisse. Quid exspectandum ei esse, si liber ad Lutherum pervenisset? Nunc nullam superesse viam, nisi ut, omissis publicis disputationibus, res in secreto tractetur; alias Diabolum non esse cessaturum ab objiciendis reformationi ecclesiae obstaculis, immo seditionibus et bellis excitandis. Quare se jam Nassovio Comiti, Hollandiae praefecto, dixisse nitendum esse, ut commodo tempore homines doctissimi, sanctissimi, doctrina et vita probatissimi ad causam cognoscendam eligerentur, iisque Pontifex et Lutherus judicium deferrent; neque verendum esse, ut Pontifex refragaretur aut ad Caesarem pertinere rem negaret vel Caesareis actis mandatisque contrarius esset. Subjunxit Glapio, heri in vigilia Cardinalis (ut videtur Moguntini) episcopum quendam dixisse, non opus esse ut Lutherus audiretur, quum libri ejus exstarent; verum se respondisse, maxime audiendum esse, articulos enim quosdam a Luthero ita esse positos, ut alio sensu veri, alio falsi essent. Arbitros vero illos utrique parti ore tenus indicaturos esse, quid probarent aut improbarent; vivam vocem esse spiritum vivum, scripturam spiritum mortuum. Lite pendente utrique parti quiescendum esse; Luthero abstinendum a scribendo, Pontifici ejusque legatis a comburendis Lutheri libris aliisque ejusmodi actibus.' Hoc consilium Glapio Pontano commendavit ad Electorem referendum; sese cum Cevrio et deinde cum ipso Caesare de eo acturum esse. Deum se testari, quantum in

1) Haec Pontanus verbotenus latine scripsit. Foerstemann p. 52.

hac causa et qua mente egisset, ne nobilis merx a Luthero fere ad portum delata submergeretur, sed felix finis quem ille persequeretur obtineri posset; sibi ipsi nihil magis cordi esse quam reformationem ecclesiae, hujus commodam occasionem adjuvante divina gratia nunc dari sub egregio capite Caesare; cujus imperium si ad quinque saltem annos continuaretur, quid praestiturus esset in illo negotio apparitarum esse. Praeterea neminem in toto orbe plus in hac re quam Electorem efficere posse, quia in ditione sua Lutherum haberet et retinere etiam deberet, etenim cavendum esse, ne ille ulla ratione vel Romam vel in alium locum discederet.'

Haec omnia cum conscripto Erasmi judicio tam penitus conspirant, ut quin Glapio illud ob oculos habuerit dubitari non possit. Neque tamen servilis imitator est, sed libere atque ingeniose, prout res poscere videtur, singula quaeque exponit. Qui celeberrimas Lutheri theses ejusque praeclarissimum libellum, quo libertatem christianam vindicat, maxime probat atque laudat, qui in rebus ad reformandam funditus ecclesiam spectantibus insignem quandam bullam Pontificiam prorsus vult neglegi et ad tribunal a Caesare Principibusque constituendum audacter provocat, qui denique in sermonibus suis haec omnia arctissimo aptissimoque vinculo connectit, eum haud prorsus alienam personam egisse, sed quae sua mente serio volverat significasse apparet. Tanto magis apud eum alia nos offendunt, quae in iisdem sermonibus vel animi parum sibi constantis vel malae fidei dant suspicionem. Etenim quum concesserit, ,etiam ea quae in captivitate Babylonica Luthero ex ira et praecipitantia exciderint, non tam prava esse, quin justa declaratione ad sensum bonum et catholicum reduci possint', cur in hac reconciliationis via non acquiescit, sed modo satis ridicule poscit, ut Lutherus illum librum non suum esse profiteatur, modo eum vult vel totum scriptum vel singulos quosdam ejus articulos revocare? Hos scilicet ut falsos se convincere posse gloriatus est, id ut coram Electore aliisque secreto convocatis praestandum sibi permitteretur iterum iterumque petivit. Sed Fridericus ejusmodi colloquium allatis solidis argumentis denegavit. Ipse scribere articulos illos Glapio diu noluit, tandem urgenti Pontano eos ore tradidit calamo excipiendos.[1] Sunt inter hos quae nos quoque improbamus, alia quae pie explicari possunt, plura quae eadem Lutherus jam in prioribus

1) Foerstemann p. 36. Scripsit Pontanus etiam, quae Glapio ,inter pronuntiandum' addidit. Sequuntur articuli illi apud Foerst. latine p. 37 ss. et Germanice versi cum notis ipsius Pontani p. 40 ss.

scriptis, a Glapione laudatis, praecipue in libello de libertate christiana, docuerat. Sed id maxime mirum erat, quod Glapio eandem litem, quam tanto ardore viris doctissimis et ‚in Germania omni exceptione majoribus‘ committi non aliter atque Erasmus voluit, tamen, quasi res levissima esset, coram Electore subito dirimendam sumpsit. Et quod ad ipsos illos praestantissimos arbitros eorumque officium pertinet, id omisit, quod Erasmus cum Luthero semper contenderat, totam controversiam ex scriptura sacra esse componendam. Immo satis frivole de ejus auctoritate disseruit: esse illam sicut mollem ceram, quae duci et tendi posset ad cujusvis libidinem; sibi si fas esset, facile fore opiniones longe acutiores et magis paradoxas ex illa producere; cujus rei exempla quaedam haud admodum seria addidit. Itaque semel factum est, ut ad obtinendam dogmatum certitudinem clavibus Petro datis inniteretur; quod quomodo cum judicio illo, a Caesare principibusque supra Papam et Lutherum constituendo, stare posset, sollicitus non erat. Semel etiam injecto terrore efficere aliquid conatus est: quaesivit, quisnam Luthero praesidio futurus esset, si Caesaris Majestas hodie vel cras vexillum erigeret adversus rebelles [1], praesertim quum in Germania major principum pars ecclesiastici essent. Nonnulla interjecit vix credibilia, quae dubitationem et de ceteris afferre poterant. Sic de Luthero vultu ad ecclesiasticam sanctimoniam composito testari coepit [2], quam vehementer Caesarea Majestas desideraret, ut talis vir cum ecclesia conciliaretur; quippe et illi scripta ejus, antequam ‚Captivitas Babylonica‘ prodiisset, aliquatenus placuisse. Praeterea offendit probissimum Pontanum ipsa illa intimi affectus ostentatio, qua sacerdos aulicus vel Deum testans vel suspirans res quasdam pronuntiaverat. Augebat suspicionem, quod idem eodem tempore cum aliis quoque clandestina conciliabula habuit. Quare quum Pontanus dixisset, Electori nuntiatum esse, apud Caesarem quotidie consultari de eadem causa se non admisso, fassus est Glapio, consultatum esse aliquoties, se tamen una tantum vice interfuisse, quum Pontificii legati vehementer urgerent, ut Caesar libros Lutheri per universam Germaniam comburi juberet, sed Caesarem nondum consensisse. Securum esse Electorem

1) Foerstemann p. 50. Significare videtur Glapion Franciscum a Sickingen et Huttenum, quos paulo post ipse in negotio Lutherano adiit. Addit idem fere puod in Jo. Fabri judicio legitur, ‚Francogallos intestina Germaniae bella libentissime visuros et nihil libentius.‘ (Haec verba et ipsa latina inter Germanica scripsit Pontanus).

2) Ita Seckendorf optime vertit Pontani verba: ‚Als hat er mit einem geistlichen Gesicht angefangen‘ etc.

jubebat de Caesaris gratitudine pro exhibito in electione officio, quod esset tantum, ut nullo tempore oblivioni tradi posset.

Itaque jam ex his Glapionis sermonibus certissima Pontani fide consignatis, quam duplicem personam ille Wormatiae egerit intellegi potest. Talis illic, id quod Spalatinus clandestinorum colloquiorum ignarus testatur, communi fama habebatur. Modo totus ardere evangelii studio, modo descivisse ab eo dicebatur. Alii affirmabant eum Luthero favere, alii summopere eum odisse Lutherum et vehementer territum fuisse, quum adventare eum audiisset. Nihilominus tam ambiguae fidei causam etiam benignos quosdam Pontificis favores fuisse, nos asseverare non auderemus, nisi certissimum ejus rei haberemus testem Pallavicinum. Qui ubi acta Wormatiensia narrat, Vaticanis monumentis fretus de viro illo his verbis utitur: ‚Glapio licet alias animum non usquequaque Romanae curiae addictum prae se gessisset, id tamen temporis aliter se affectum ostendebat, benignis officiis recens a Pontifice delinitus. Et sane in eo negotio singulare probitatis ardorisque specimen dedit. Cum praecipuis haeresis fautoribus privatos magno cum fructu congressus habuit: Caesaris Consiliarios tepentes inflammavit, perplexe cunctantes exstimulavit. Cum obsequentissima subjectione Pontifici praebita eluxit pietas demissionis tenax suique ordinis agnomini consentaneus.‘ Haec confirmantur litteris quas Aleander Wormatia Romam misit. Scripsit enim signis quibusdam gratiae Pontificiae Glapionem multo aequiorem redditum esse rei Romanae. Et postea iisdem mensis Februarii diebus, quibus ille cum Pontano collocutus erat, impense petiit, ut novum Breve Papale ad eum honorandum et conciliandum quam citissime daretur, quoniam plus ille quam ceteri omnes in Lutherano negotio valeret.[1]

Non mirum quod Pallavicinus pro Jesuitica sua de moribus doctrina in homine, cujus animum beneficiis Pontificiis mutatum esse ipse indicat, probitatem, ardorem, subjectionem tam immodice celebrat. Neque dubitaverim, quin illi in conventibus, quos memorat, cum haeresis fautoribus libertatem quandam concesserit accomodandi sese ad illorum sententias, ubicunque utile videretur. Sed id quoque certissimum, neque Pallavicinum neque Aleandrum aliosque Papae ministros, quorum epistolas ille in tabulario Vaticano invenerat, usquequaque totum Glapionis animum perspexisse. Nullus eorum vel aliquatenus divinavit, quam benigne ac splendide ille de Luthero, quam

1) Cf. Aleandri litteras a Friedrich editas in: Abhandlungen der Bayerischen Akademie (hist. Klasse) p. 93. 97 s. 104.

audacter de Papa et Wormatiae coram Pontano, et duobus mensibus post in Ebernburgi arce coram Sickingio, Hutteno, Bucero locutus esset, fide scilicet ab illis omnibus data servandi silentii.[1] Ab arce illa Wormatiam reversus Pontificiis ea tantum narravit, quae sciri ab iis sine periculo poterant. Tunc ipse, si Aleandro credimus, non tantum cum hoc, sed etiam cum Caesare ejusque consiliariis ‚diu noctuque' secreto laboravit, ‚ut et Papae auctoritas semper salva maneret et Lutheri adventus' (qui jam instabat neque prohiberi amplius poterat) ‚in ecclesiae profectum verteretur.'[2]

His magnam partem introspectis et ex fama odiose exaggeratis foedissimam viri jam mortui imaginem depingit Huttenus.[3] ‚Simulando et dissimulando', inquit, ‚vincebat omnes hypocrita egregius et cujus nihil non erat ad fallendum idoneum, aptum et compositum: os, oculi, frons, caput, manus, sermo, incessus, omnia; conformabat se omnibus atque in omnia transformabat; sciebat, quid quolibet loco, quolibet tempore et dicendum esset et faciendum: nihil vere, omnia adhibito fuco et insidiose.' Ex altera parte Erasmus dubitabat, num Glapio tam hostiliter, quam dicebatur, contra Lutherum surrexisset. Certo noverat, illum liberiorem, qualem ipse docebat, theologiam serio amplexum esse sibique saepius cum contra monachorum partem tum contra Aleandrum apud Carolum praesidio fuisse. Hutteno, qui probro ipsi verterat moderatum de illo judicium, his verbis respondit[4]: ‚Quid ille molitus sit aut peregerit in Lutherum nescio; certe quidquid hujus fecit, non meo fecit impulsu.[5] Ego, ut ingenue dicam, quomodo nunquam ausus sum homini toto pectore fidere, ita nunquam gessi in illum inimicum animum. Mihi certe non semel strenuum amicum praebuit apud Caesarem, quod satis habeo compertum. Jam vero festivum est quod homo perspicax ac Lynceus ex uno colloquio nobis sic depingit Glapionem, quasi modios aliquot salis cum illo ederit. Equidem quantum ingenium hominis ex prudentum narratione

1) Cf. Buceri ep. in Zeitschr. für Kirchengesch. 2, 124. Aleander apud Friedrich p. 127 s. 131 s. — Idem de Glapionis colloquiis cum Pontano p. 104.

2) Aleander ibidem p. 132.

3) Opp. ed. Boecking II, 211.

4) Ibidem p. 287.

5) His non contrarium est id quod Erasmus anno post Ferdinando regi scripsit, se Caesarem per Glapionem submonuisse. Nihil enim hostili in Lutherum animo submonuerat. Quin immo Glapioni etiam a. 1522 ut rem huic ipsi probatam scripserat, ‚si quid incideret in quo redarguendum esset dogma Lutheri, id faciendum esse idoneis argumentis et apertis scripturarum testimoniis.'

eque ipsius ad me litteris conjicere potui, Huttenus si decem annis vixisset cum Glapione, nondum pernovisset illius ingenium.' Quod satis acute dictum esse censemus, quoniam Glapione non confidendum fuisse omnes rerum gestarum scriptores consentiunt, quid sibi voluerit hucusque disputatur. Id pro certo affirmari potest, illum Wormatiae, quidquid de dubiis ejus artibus deque corruptrice favoris Pontificii vi judicamus, Erasmicae moderationis partes haud sine aliquo successu egisse et fortissimo versutissimoque Romani fanatismi propugnatori, Hieronymo Aleandro, fortius ac versutius, quam unquam ille opinatus fuerit, obstitisse atque offecisse. Jam igitur et de ipso Aleandro ejusque indole, et de diversis rationibus, quae cum Erasmo ei intercesserunt, quantum res postulat nobis dicendum est.

Hunc virum prae ceteris omnibus Curia elegerat, ,cui tota sollicitudo inniteretur nascentis haereseos evellendae.' Huic semper illa postea acceptum tulit, quod ,in comitiis Wormatiensibus, superatis tot difficultatibus, a manibus omnium Principum Ordinumque Germaniae edictum proscribendi Lutheri velut validissimum telum extorsisset, quod simul haeresim perculleret et Pontificatum communiret.'[1] Eodem animo Aleander per longam vitam, usque ad initia concilii Tridentini superstes summisque a curia honoribus cumulatus, agere perrexit. Neque parvis ad exsequendum munus sibi impositum viribus utebatur. Multiplici scientia aequalibus admirationi erat; Latinis, Graecis, Hebraeis litteris doctissimus trilinguis eruditionis princeps vocabatur; etiam Huttenus dolebat, ,esse in illo quod ei invideretur.' Neque ingenii acumine ac splendore carebat. Verumtamen miro modo bonas artes arceri voluit a rebus ad ecclesiam pertinentibus; in his stricte obsequendum esse statuit traditioni scholasticae; veteres historias quibus illa niteretur nunquam critice examinandas, sed mordicus tenenda quaecunque de Pseudodionysio Areopagita, de Constantini donatione, de ceteris similibus narrabantur. Erant qui dicerent, sic eum simulare studium christianae religionis, a qua corde esset alienissimus; hypocritam esse, sed non Pharisaeum, quia non crederet resurrectionem mortuorum, viveretque perinde atque cum corpore totus esset periturus, scilicet laute laeteque ut Epicureum, licet non sine dignitate.[2] Cui opinioni suffragari postea visum est distichon Graecum satis elegans, quod ab ipso compositum sepulcro inscribi jussit. Hoc enim nulla piae spei mentione facta dicit, ,non invitum se obiisse, quoniam

1) Pallavicini I, 23, 2; IV, 8, 4.

2) Seckendorf I p. 128. Erasmi epp. XXX, 62.

quiescat testis permultarum rerum, quas vidisse pejus fuerit morte.'[1] Ego tamen existimaverim Aleandrum seria fide tenere sibi visum esse talem Christianismum, qualem Roma iterum iterumque procreavit, scilicet in muto erga ecclesiam obsequio positum, ceterum de veritate non admodum sollicitum. Itaque regnum divinum a Christo fundatum in solo imperio Papali praesens conspicabatur, quod imperium ut mundanum etiam mundanis praesidiis fulciendum credidit. Id inde a pueritia, qua Alexandri VI. favorem nactus erat, variis vitae casibus jactatus, ad altiores paulatim gradus in ecclesia provectus, bene didicerat. Quare ad illud imperium propagandum a fraude, corruptione, violentia nunquam abhorruit. Etiam malitiae fortitudine atque audacia usus est. Simul vero ‚per opportunam tolerantiam sibi temperare' poterat. Jactabat multo post, sese cohibuisse se tot annos ne scriptorum acerbitate Lutheranos irritaret, qua usi multi Catholicorum vulnus exulcerassent; in Augustano conventu, ad quem propter morbum missus non fuisset, quum propinqua concordiae spes evanescere coepisset, Melanchthonem suspirasse: Utinam adesset hic Aleander, quocum sat scio nos conventuros.[2] Haec omnia scilicet ille praetendit, quum propter violentiam ejus Ferdinandus rex questus esset apud Curiam. Et revera homo versipellis in sermone, habitu, vitae consuetudine habebat quae ei multorum animos conciliarent. Romae probissimus quondam vir Sadoletus admodum ei favebat. Episcopus Tudensis in epistola ad Erasmum modestiam in viro illo tam mire erudito vere admirabilem summis effert laudibus; humanum ac suavissimum hominem eum esse eaque moderatione, ut non deterius de aliis dicat quam de se velit audire. Ipse Erasmus apud Venetos cum illo juveni arctissima familiaritate conjunctus, contubernium, mensam, lectum communem habuerat, cumque, tenui tunc loco positum, proficiscentem in Galliam, litteris commendaverat. Dicit se ‚cum eo nonnunquam et in mediam usque noctem produxisse doctas fabulas', ‚suspexisse doctrinam hominis, mores amasse, quamquam eos habeat ille suos, nec male visum esse convenire inter utriusque genium.'[3] Illius temporis libenter semper meminit. Immo etiam postquam veterem amicum abalienatum a se cumque stultissima monachorum factione conjunctum non sine stupore cognovit, dicebat, ‚hujus ingenium per se humanum alio perpulsum esse quorundam instigatione'; ‚nisi venenatae linguae utriusque amici-

1) *Κάτθανον οὐκ ἀέκων, ὅτι παύσομαι ὧν ἐπιμάρτυς*
Πλείστων ὤν περ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

2) Pallavicini IV, 8, 4. 3) Epp. XVI, 11.

tiam diremissent. Aleandrum etiam in negotio Lutherano mitiorem futurum fuisse." Quasi vero singulorum tantum hominum calumniae inter utrumque se interposuissent! Oblivisci videbatur Erasmus, imperio illo Romano magis quam christiano, quod haud semel ipse perstrinxerat, etiam viros doctissimos et ingeniosissimos posse corrumpi. Paulatim accuratius eum perspexit. Tunc ut nunquam alium quemquam illum timebat. Sponte sua ad id ferebatur, quod amicus quondam ei scripsit: „Aleandrum ne lacessas, devoranda nobis multa videntur."[1] Tamen haud semel propter cognitam incredibilem ejus perfidiam ira tantopere abreptus est, ut usitatae prudentiae oblitus dire eum lacesseret. Deinde quasi de se ipso perterritus quae acerbe dixerat mitigare studebat. Immo erant, quae satis diu iterum iterumque ad veterem amicum eum traherent. Quotiescunque praesens cum illo collocutus est, mollis ipsius indoles robustae illius audaciae, non superstitiose ut ait veraci[2], resistere nunquam poterat. Hic igitur magis quam usquam alias miscentur in Erasmo insita bonitas et probitas nobilissimusque animus christianus, ad ignoscendas vel cruentas injurias paratus, cum debilitate quadam et timiditate, qua factum est, ut contra mendacem hominem ipse aliquatenus veritatis officium negligeret. Id in iis praecipue conspicuum est, quae post comitia Wormatiensia cum Aleandro egit. Certissime resciverat se ab illo et apud Caesarem et apud Papam ut schismatis Lutherani auctorem et fautorem accusatum esse. Lovanii cum eo, in eodem forte diversorio degens, convenit. Aleander interea cognoverat, quantum Erasmus et Romae et apud Carolum adhuc valeret, simul cum Leone X. hominis pravitatem dissimulare prudentiae duxit; fortasse et veteris amicitiae aliquantulum ad tempus revixit. Juravit igitur, non vivere quemquam amiciorem Erasmo quam esset ipse; si quid vocis minus benignae emisisset, se omnia revocare; aliorum calumniis nimis facilem aurem se praebuisse.[3] Concionatori cuidam adversus illum debacchantem imposuit silentium. Mutuo amplexu sibi invicem conciliati, ambo iterum sicuti juvenili tempore erudite ingenioseque confabulati sunt. Haud multo vero post Aleandri perfidia indubiis fidissimorum hominum testimoniis denuo apparuit.[4] Non mirum quod vel perniciosior quam antea visa est

---

1) Opp. III, 668.

2) Opp. III, 1095.

3) Item tunc juravit Aleander Viveti, se Erasmi dignitatem apud magnates omnes semper esse tutatum. *Er. opp. III, 710.*

4) Cf. Opp. III, 709 (*ep. ad Pirkheimerum a. 1522*).

Erasmo. Itaque quae admodum diverso animo diversis temporibus de illo judicaverat late spargebantur. Unde inconstantiam ejus facile criminatus est Huttenus, nonnullis rebus satis odiose enarratis et explicatis. Cui respondens ille singularem in modum se excusat. Iterare audet quod dixerat, ‚si per linguas virulentas licuisset cum Aleandro perpetuam habere amicitiam, fortasse futurum fuisse, ut minus odiose gereretur Lutheranum negotium nec in tot urbibus renovaretur fumus et incendium, quae res nihil aliud nisi irritasset animos hominum.' Non reprehendendus sibi videtur, quod talem amicum, cujus ingenium etiam a Hutteno laudatum sit, ‚lubens si liceat recuperaverit, ne tantulum quidem ab illo venans commodi.' Tunc pergens ‚Jam finge', inquit, ‚id quod non est, me Aleandro male volenti male velle, sed simulasse amicitiam ne laederet, utque haec specie theologos quosdam omnia molientes compescerem, an mihi indignabitur Huttenus, si vafritie nulli noxia meae saluti consulam? Theologis quibusdam multum subsedit animorum ex illa nostra tam arcta familiaritate paucarum dierum.'[1] Hae callidae agendi rationes, ceterum ab ipso Hutteno minime alienae, jure in Erasmo reprehenduntur; id non omittendum, cum timore simul etiam aliquid melioris spei de Aleandro semper adhuc in eo emersisse. Sic anno post conscripsit ei epistolam admirabilis sinceritatis monumentum, praeteritarum rerum quasi amnestiam proponens invicem dandam.[2] Sed quum hoc quoque frustra fuisset, inde ab eo tempore, quod ad spem illam pertinet, magis magisque animum despondit. Jam antea amico cuidam scripserat, ‚tres esse furias quae odio bonarum litterarum excitarent praesentis aevi tragoediam, Jacobum Hochstratum, Vincentium Alcmariensem, Nicolaum Ecmondanum; his adnumerandum esse alium eo nocentiorem, quod tecte faceret omnia et aliorum frueretur vel abuteretur potius insania.'[3] Hoc judicium semel adhuc ut nimis durum mitigaverat; deinde toties turpiter deceptus ad illud reversus est idemque, quod sciam, per reliquam vitam semper tenuit, nunquam mutavit. Blandum coram, absentem alium istum hominem, quem intra et extra cutem nosceret, significare solebat. Eundem, qui tantam modestiam, comitatem, moderationem prae se ferret, velut μανικὸν furere posse dicebat. Neque id immerito. Furiosi instar Aleander multa adversus Erasmum effudit. Si monachorum quorundam ineptias probavit, dicentium Erasmum Luthero in componendis quibusdam libellis

1) Hutteni opp. p. 285 cf. 207 s.
2) Epp. XVIII, 53.
3) Epp. XX, 32 a. 1522.

‚paulum latinioribus' adjumento fuisse, ipse sane id non credebat. Atque ejusdem generis erat, quod in libello quodam Pontifici scripsit, ‚quum in agricolarum tumultu tot hominum millia trucidata essent apud Germanos, se vehementer admirari Erasmum adhuc vivere, qui totius hujus tumultus princeps et antesignanus fuisset, qui tempestatem saevissimam excitasset, qui maria turbasset ab imo.' [1] Tam mendacem hominem ipsiusque veritatis osorem, quo magis ingenio et eruditione excellebat, eo periculosiorem orbi christiano putabat Erasmus et monachis istis nocentiorem, quibus ipsorum stupiditas aliquatenus excusationi esset. Singulis quibusdam rebus, quas Aleandro Erasmus imputavit, error admixtus est; totum ejus judicium justa posteritas confirmabit.

Haec omnia, pleraque ad seriorem quidem utriusque viri aetatem spectantia sed necessaria ad perspiciendam alterius cum altero rationem, interjicere hoc loco nobis visum est, ut arcanae cuidam actorum Wormatiensium parti, quantum fieri posset, lucem afferremus. Sunt enim illic, quae perfecte nemo intellegat, nisi Aleandrum cum Erasmi absentis ingenio Wormatiae luctantem accurate consideraverit. Id egregie vidit Pallavicinus, qui, ubi primum Aleandrum ut fortissimum curiae propugnatorem induxit, post eum continuo ut vehementissimum ejus intra ecclesiam adversarium describit Erasmum [2], totus in ea re, quas in Vaticano servatas invenerat, litteras secutus. His enim Aleander Juliano Mediceo Cardinali per eumque Papae, Leoni X., res Wormatiae gestas referens in exsequendo munere a nemine tantum quantum ab Erasmo se impediri etiam atque etiam affirmat. Saepius eum conjunctim cum apostatis, quos putat, ecclesiae nominat; ‚Reuchlinianis, Lutheranis aut Erasmistis' (sic promiscue eos enumerat) pariter se exosum esse velut transfugam bonarum litterarum et assentatorem ‚Cortisanorum'. Ipse non aliter quam obscuri viri ‚fomitem malorum esse Erasmum' dictitat; illum et turbasse et turbare magis quam quemquam alium Germaniam ab ortu Rheni ad Oceanum, illum Flandriam inprimis tractusque Rheni subvertisse; ad eundem Saxones provocare, passim pronuntiantes, vera dici a Martino, quippe qui probetur ab Erasmo.

---

1) Epp. XXV, 24 in ep. ad Sadoletum. Cf. XX, 99. Libellus ab amico Roma Erasmo missus erat. Hucusque neminem inveni dubitasse, an revera Aleandri fuerit. Cf. Mazzuchelli, gli scrittori d'Italia I, 1 p. 416. 423. Aleandrum similia et alias dixisse infra videbimus.

2) I, 23, 2. 3 loquitur de Aleandro, I, 23, 4 ss. de Erasmo.

Talia scribens Nuntius, tot negotiis implicatus, mera somnia non captabat. Haud frustra, sicut Erasmus ipsum, ipse timebat Erasmum. Hunc Coloniae Lutheri libros crematurus praesentem adversarium senserat; quid apud Electores quosdam, Saxonem inprimis et Trevirensem, in Lutheri favorem profecisset, partim saltem compererat per emissarios et delatores. Nunc corpore absentem, sed ingenio per alios praesentem, Wormatiae iterum adversarium sentiebat. Quae omnia Julio Cardinali per litteras confessus est. Dicit se semper Erasmo, quid vere de eo sentiat, dissimulasse, ne simul tot hostes Curiae concitaret; Coloniae se illum blanditiis ac laudibus cumulasse; recens, quum apud se ille litteris questus esset propter calumnias ad Caesarem allatas (de iis scilicet Erasmus per Glapionem certior factus erat), se respondisse nihil ejusmodi ab amico timendum esse. Consilium dat Curiae ut et ipsa, quamquam Erasmus revera grande praesentis haereseos fundamentum sit, tamen id dissimulare pro tempore pergat; se talia interim non dicere nisi Domino Papae et Julio Cardinali nonnullisque aliis, qui nimium tribuant Erasmo; sed idem se quondam dicturum esse aperto ore et libris ad defendendam fidem scriptis, quando id res postulaverit atque Papa et Cardinalis permiserint.

Interea Erasmus, ut et imminens sibi periculum averteret et paci ecclesiae inserviret, ad amicos quosdam Romanos, immo ad ipsum Pontificem, litteras dederat. Quae benigne ex parte acceptae sunt; Pontifex Breve, quod dicunt, ei mittere dignatus est. De his rebus Aleander per procuratorem suum Romanum certior factus, haud parvo per aliquod tempus angore cruciabatur. Lamentatur in pluribus epistolis ad Cardinalem scriptis, quod tantum adhuc in Urbe Erasmus valeat. Miratur quod illic non solum credantur, quae iste contra se scripserit, sed etiam Brevia ad eum mittantur. ‚Utinam haec‘, inquit, ‚non sint talia, quale illud erat, quod in fronte Novi sui Testamenti imprimendum curavit. Illo enim Brevi a Domino nostro opus Erasmi approbatur, quo de confessione, indulgentiis, excommunicatione, divortio, potestate Papae aliisque rebus similibus prorsus eadem scripta sunt, quae Lutherus sibi inde assumpsit, et scripta quidem tanto periculosiore veneno, quanto Lutherus cum satiris suis famosisque libellis fide minus est dignus. Ego vero, ubi talia moneo, dicor id facere, quia contentionem habuerim cum Erasmo. Quod fictum et commenticium est; nunc vero propter solum Papam et fidem inimicus Erasmi factus sum. Et tamen illi creditur, mihi non creditur. Utinam Breve Papale, quo respondetur ad ea, quae de me scripserat Erasmus, ubi pro sua consuetudine imprimendum illud curaverit, praejudicium non faciat in

nostrum Dominum et sanctam ecclesiam!' Injectam suspicionem, quasi privato odio et invidia Erasmi stimuletur, etiam duabus aliis epistolis propulsat; narrat et ipse Venetiae se per sex menses eodem cubili cum illo usum esse; sollemniter Deum testatur, ,se propter doctrinam illum amare bono corde, sed magis amare veritatem, fidem et Deum.' Propter hanc scilicet fidem Pharisaicam sibi licere putat mentiri, blandiri, perpetuam amicitiam simulare Erasmo, immo sollemniter affirmare, se nihil contra eum egisse atque agere, eodemque tempore Pontifici per Julium Cardinalem deferre Erasmum, quippe qui cum ,sua secta' spargat ,mendacia in Lutheri commodum et ad deprimendum Dominum Papam partemque orthodoxam.' Quid dicam? in ejusmodi delationis ardore Aleander, alias infimus Curiae assentator et adulator, audacter eam objurgare non dubitat. De Erasmi querelis apud ipsum Leònem X. non male acceptis certior factus, Cardinali scribens, ,Vehementer mihi displicet', inquit, ,plus fidei tribui Erasmi verbis, qui Luthero pejus contra fidem scripsit, quam mihi, qui propter hanc causam dilaniandum me tradidi. Scias Erasmum suo commodo servire sicut mulierem adulteram, quae provenit maritum, ipsum reprehendens.' Adjicit alia convicia.[1] — Haec omnia non facile nec nisi paulatim permoverunt animos Romanorum. Nonnullis denique mensibus post comitia Wormatiensia Aleander apud illos prorsus praevaluit Erasmo. Sed tunc simul a Cardinali monitus est Papae nomine, ut virum illustrem, qui tot haberet sectatores, suaviter in rectam viam reduceret; missae ei sunt Erasmi epistolae Romam datae; laudatus est propter callidam simulationem et dissimulationem et jussus longius ita pergere ac tempus exspectare, ne majore excitato igne res pejores redderet.[2] Hoc animo tunc Aleandrum Lovanii iterum Erasmo amicitiam jurasse supra vidimus.

Ceterum etiam nos agnoscimus animi fortitudinem, qua versutissimus Nuntius Wormatiae, rebus paene desperatis, propositum finem persequi nunquam desinebat. Initio omnibus intentis viribus prohibere studuit, quominus Lutherus, licet a Pontifice condemnatus et excommunicatus, tamen tutus salvo, qui dicebatur, conductu arcesseretur et

1) Cf. in Aleandri litteris, a Friedrich editis, p. 95. 102. 111. 112. 115. 116. Quae illic mixta Latina et Italica lingua scripta sunt, latine reddidimus.

2) Münter, Beiträge zur Kirchengeschichte p. 59. 60. Hic in bibliotheca quadam Italica plenius quam Friedrich mendisque purius epistolarum Aleandri exemplar nactus est. Inde praeter alia exscripsit verba quaedam Italica ex epistolis Julii Cardinalis (de d. XX m. Aug. et d. XXVII m. Sept. a. 1521), quorum argumenta supra posuimus.

audiretur. Queritur causae sibi commissae adversari coelum et terram, praesertim vero totam Germaniam, ex cujus decem partibus novem magna voce Luthero acclament, decima saltem aulae Pontificiae mortem postulet. Ad Cardinalem scribens furiosis verbis uti non veretur; negotium susceptum exsecrandum sive ‚maledictum‘ appellat, Fridericum probissimum Electorem basiliscum et vulpem, spectatissimos viros, qui similiter sentiebant, bestias; omnium Germanorum capiti Diabolum stultas et abominandas opiniones indidisse praedicat. Coram frequentissimo Comitiorum conventu se orationem habuisse gloriatur tam imperterritum, quasi lectionem legisset viginti puerulis. Exagitatis scilicet Lutheri articulis quibusdam, quos mereri ait, ut centum haereticorum millia ob illos comburerentur et allatis argumentis partim satis astute excogitatis, partim perridiculis, Caesari imperiique ordinibus persuadere conatus est, non pertinere ad eos Lutheri causam sed Pontifici relinquendam esse; praesertim Caesari ignominiae fore, si iste, a Pontifice condemnatus, a Laicis coram audiretur.

Hunc tamen finem Aleander oratione sua, licet singula fortasse singulorum audientium animos permoverit, non assecutus est. Fortior, quam ut prorsus eluderetur, universae fere Germaniae vox erat, Lutherum coram audiri postulantis. Quod quum Nuntius intellexisset alia via incedere coepit. Efficere studuit ut Lutherus specie tantum audiretur, revera non arcesseretur nisi ad percipiendum coram in ipsis Imperii Comitiis judicium Papale, nihil scilicit interrogandus nisi suasne sententias revocaret ac Pontifici ejusque interpretibus ut falli nesciis se subjiceret. Sed ne id quidem tam facile ad efficiendum erat. Ipse Carolus Friderico Electori per litteras promiserat, se curaturum esse ut ‚Lutherus a doctis et sapientibus viris sufficienter audiretur‘, ab eoque petiverat ut illum ad comitia Wormatiensia, quae instabant, secum adduceret. Fridericus securitatem Luthero ab ipso Imperatore dandam postulavit. Quam recusare hic vix potuit; si dedit, propter ea quae promiserat invitus simul concessit, Papae judicium per se non esse ratum apud Germanos, sui vero officii esse prospicere, ut tota causa juste et aeque dirimeretur. Idem Erasmus, non minus apud Hispanos quam apud Germanos immensa, quam supra descripsimus, auctoritate vigens, et per scripta consilia, et per Glapionem Caesarem modeste monuerat; quomodo tamen amice omnia cum Pontifice agenda essent ostenderat. Neque tale quidquam omnino fieri non posse multi praestantissimi viri arbitrabantur. Nondum scilicet irreformabilis eo tempore putabatur quaevis Pontificis bulla; honesta mutandae ejus ratio inveniri posse videbatur; neque Romae a permultis tanti quanti postea

ponderis habebatur negotium Lutheranum; erant, qui de hoc aeqius judicarent, etiam inter ipsos jurisconsultos Pontificios; quantum denique apud ipsum Leonem X. Erasmus adhuc valuerit demonstravimus; quid, si accessisset gravissima Caesaris commendatio? Ex altera parte Lutherus nondum sicuti postea necessitate coactus quasi dictator novae cujusdam ac liberae reipublicae christianae sive novae ecclesiae exstiterat; jam tum quidem, ut fit inter mortales, erant qui a singulis magni viri sententiis magis, quam decebat Christianos, penderent; sed etiam Vitebergae nihil adhuc in ritibus et caerimoniis ecclesiae mutatum erat; neque de nova quadam emendatorum dogmatum serie communiter tenenda cogitabatur. Multi vero pii atque eruditi viri non aliter atque magna populi pars Lutherum suspiciebant, quippe qui verbum divinum potenter praedicaret atque reparanda ecclesiae damna audacter demonstraret; ipsam legum ecclesiae et doctrinae reformationem cum Erasmo non a singulo homine, sed ab unitis plurium laboribus, inprimis a concilio generali exspectabant. A quo concilio reformationem universalem etiam Georgius Dux aliique desiderabant, qui a Luthero satis alieni ad Erasmum magis minusve propensi erant. Multi id, quod utrique viro commune erat, amplectebantur, dubitantes de aliis, quibus alterum ab altero differre praesagiente potius animo sentiebant quam clare intellegebant. Lutherus nonnulla se nimis violenter dixisse non negabat; in singulis se ipse saepius correxit; in aliis, si ex sacra scriptura vel ex ratione convinci posset, cedere paratus erat. Id urgens Fridericus Elector et Caesari et Papae scripsit, se nunquam in animum induxisse ut Martini libros et conciones ipse defenderet; id tantum se rogasse, ut a decretis contra Lutherum abstineretur, priusquam de veritate aut errore, qui illi imputaretur, ab idoneis viris religiose cognitum esset. Hoc eousque factum non esse, immo adversarios nullo jure omnia in Luthero, etiam praeclarissima, condemnare et exsecrari, Fridericus cum suis persuasissimum habebat. Qua in re Saxones etiam Erasmi auctoritati innixos esse, Aleander expertus refert; scimus Lutheri amicos splendida Erasmi de illo testimonia satis immodeste, laeso plus semel epistolarum secreto, publicasse; quantam vim testimonia illa in sapientem Electorem exercuerint, suo loco accuratius narrabimus. Neque aliter nobis de summis Caroli consiliariis dicendum est, de Cevrio, Cattinario, Peutingero, qui omnes, quum Erasmo admodum faverent, ad sententias ejus aliquo modo inclinabant. Quod una cum aliis sane rebus eos perpulit, ut Caesari auctores essent arcessendi et audiendi Lutheri. Interdum terruerunt illi Aleandrum dicentes, sibi tot tantasque res, tam diverse a diversis partibus

agitatas, nisi concilio generali dirimi non posse videri. Hoc quum Aleander iratus refellere enixissime studeret, rem, quam Papa locutus diremisset, ad neminem alium pertinere vehementer affirmans, illi se theologos non esse responderunt, in talibus rebus se pendere a Glapione; cum hoc, si disputare vellet, disputandum ei esse. Hunc vero proxime inter omnes ad Erasmum, immo ad Lutherum accessisse scimus; quod quamvis Aleander nunquam prorsus perspexerit, tamen aliquatenus odoratus est. Quare quum Wormatiae undique ab Erasmo ejusque secta, quam vocat, circumventus sibi videretur, in hunc pro indole sua non potuit non furiosissime invehi. Clarissime noverat, quid vir, Caesari ac Papae gratissimus, per amicos et fautores suos efficere vellet, nimirum ut bulla damnatoria sive invito Papa sive consentiente suspenderetur vel neglegeretur, neque Imperii nomine a Comitiis confirmaretur, Lutheri vero causa aut usque ad liberum quoddam judicium a viris piis et eruditis in Germania habendum, aut usque ad concilium generale differretur. Percepit Aleander cum magna trepidatione, quaenam res huic consilio faverent, praesertim quum proxime tempus instaret, quo Caesari proficiscendum erat in Hispaniam. Post ejus discessum pessimam fore ait rerum Pontificiarum condicionem, nisi ,antequam Comitia dissolverentur, demonstratio quaedam facta esset.‘ [1] Tunc enim fore putabat, ut Erasmi ac Lutheri ,sectae‘ adversus curiam Romanam conjungerentur.

Jam igitur id prae ceteris necesse esse ei videbatur, ut tantum periculum a Pontifice ejusque familiaribus clare perspiceretur et nimis securi eorum animi ad propulsandum illud excitarentur. Hoc datis litteris solum Aleandrum effecisse Pallavicinus testis est; scilicet ,ob oculos eum posuisse Mediceo Cardinali crescentem in dies Martini factionem, alienationem Germaniae ab aula Romana, periculum denique amittendae Germaniae ex parsimonia monetae, cujus aerarium inexhaustum in calamo Principes haberent.‘ Unde mox ei ,mandata, pecuniae, diplomata efficacissima‘ transmissa sunt. Sed longe majorem quam in aliis rebus fiduciam in pecuniis posuit. Et secretarios et lictores largitionibus sibi emendos esse monuit; ,sic‘, ait, ,licet aulae Romanae infestissimi, nostro modo saltabunt; quia aliter nihil fit, et vix faciemus aliquid.‘ Quare indefessa audacia nummos a Curia postulavit, quae, quo plures vel corrumpendos vel corruptos esse nuntiaverat, eo plus dedisse videtur. Compluries inprimis de Spiegelio quodam, Caesaris secretario, scripsit; hunc pecunia se conciliasse sibi gloriatus est, ut

1) Aleandri epp. p. 114 cf. p. 116.

omnia secreti consilii arcana sibi proderet. Simul vero plus quam omnibus his praesidiis Romana Curia eo profecit, quod in rebus Italicis relicto Gallico foedere ad Caesaris partes transiit. Hoc necesse esse, ne Caesar Lutherano negotio hostiliter adversus Pontificem uteretur, Aleander Curiae persuasit; res ipsas politicas, quae dicuntur, alter Papae nuntius, Caracciolus, sollerter Wormatiae transegit. Itaque firmato pacto et foedere de rebus Italicis, negotii ad ecclesiam pertinentis haec convenit ratio inter Nuntios et partem Caesaream, ut Lutherus, licet vocandus propter Germanos, tamen ne minime quidem vere audiretur, sed tandummodo interrogaretur, num libros suos a Papa condemnatos revocaturus esset, idque si detrectaret, ab imperio proscriberetur. Quae omnia postea respiciens Fridericus Sapiens fratri scripsit: ‚Nullum contra haec est remedium; exitus tamen stat penes Deum. Credas velim non solum Annam et Caipham, sed etiam Pilatum et Herodem Luthero adversari.'[1]

Pacti illius meritum ipsi fere soli Carolo Aleander imputat. Ac fuisse aliquid in illius animo, quod praesertim incitatum ab Alba Duce aliisque similibus tali consilio faveret, vix quisquam negaverit. Nihilominus Nuntius suam illius fiduciam non semper tantam fuisse, quantam interdum prae se fert, plus semel ipse indicat; prudentiam suam gloriatur, qua Lutheri libros cremandos ita curaverit, ut Caesar ejusque consiliarii ‚prius ignem librorum conspexerint, quam de committendo sibi cremandi eos mandato vel cogitaverint.'[2] Caesarem juvenem consiliarios justo facilius sequi saepius queritur. Neque Cevrium atque Cattinarium ab eo, quod suadentibus ipsis Carolus Friderico Sapienti per litteras promiserat, ut Lutherus serio audiretur[3], tam longe discessuros fuisse putaverim, nisi propter res Italicas connivendum esse Pontifici judicassent. Denique iidem etiam tunc fortasse per eos, qui Romae mitiora Erasmi consilia commendabant, Nuntiorum calliditatem aliquatenus eludissent, nisi Glapio, fortissimus reformationis evangelicae, qualem Erasmus docebat, apud Caesarem patronus, in adversariorum castra transgressus esset. Quod quam manifesto factum sit, ex eo quoque patet, quod ille, quum Aleander ubique monachos denuo adversus Lutherum excitandos esse censeret, quadringenta bullae damnatoriae exemplaria inter Franciscanos spargere promptus erat.

1) Cf. de his: Laemmers monum. Vaticana p. 4. Aleander in Muenteri l. l. p. 77. 83. Pallavic. I, 25, 3. Seckendorf I p. 158. Ranke l. l. I, 327 s.

2) Aleandri epp. p. 113.

3) Seckendorf I p. 142.

Neque dubitari potest, quin Glapio, Luthero jam propius adventante, subito ad Sickingii arcem eo consilio profectus sit, ut illum a firmissimo Wormatiam intrandi proposito per Sickingium deterreret. Quod inceptum si succederet, quam inexspectatum gaudium Aleandro aliisque Romanensibus allaturus esset, facile intellexit. Itaque apud Sickingium praeclarissima de Luthero, qualia supra memoravimus, ample largiterque locutus, fortissimo equiti persuasit, ut illum, oblato in sua arce refugio, per missum Bucerum acerrime dehortaretur, ne Wormatiam intraret, ubi spreto salvo conductu non aliter, atque Husso quondam, certissima mors ei parata esset. Invitationi additum est, habere Caesaris confessorem (sic enim tunc dicebant), quae cum Luthero de gravissimis quibusdam rebus apud Sickingium amice sermonicinaretur. Fortasse illic clam Aleandro vir versutissimus ex sua et Erasmi mente cum eo ipso, quem Papa excommunicaverat, nescio quo consilio familiariter acturus erat. Sed Lutherus Bucero Wormatiam sibi eundum esse respondit; ibi ad colloquendum cum confessore se promptum fore. Dehinc ad comitia reversus Glapio cautissime illum evitavit; colloqium detrectavit, quippe quod nunc inutile esset; totum adjutorem se dedit Aleandro ad prohibendum, quominus ex publica auctoritate ulla seria fieret cum Luthero disceptatio. Qui postquam publice auditus est, reluctante Caesare nonnulli quidem Principes effecerunt, ut de rebus quibusdam controversis amica cum illo disquisitio fieret; sed id privata tantum auctoritate factum esse, ipse vir egregius Elector Trevirensis, summus ejus rei fautor, Aleandro gravissime eum increpanti diserte declaravit. Ceterum tunc amice postulatum est a Luthero, ut vel Caesari et imperio vel futuro Concilio judicium de scriptis suis committeret; quod libenter se facturum dixit, dummodo ex Sacra Scriptura vel rationibus clarissimis et evidentibus decisio fieret neque ex sola auctoritate ecclesiastica; id vero promittere illi non poterant. Quae universa agendi ratio, quam longe ab ea abfuerit, quam Erasmum omnibus intentis viribus commendasse vidimus, facile patet.

Nihilominus haud prorsus frustra Erasmus nisus est. Etenim illi ejusque auctoritati, quam absens et per scripta et per tot viros ab ingenio ejus vel magis vel minus pendentes exercuit, id maxime acceptum ferendum putamus, quod Lutherus bis excommunicatus, quum ad perdendum eum Pontifex, in rebus Italicis gerendis cedens Caesari, sibi ipsi quasi vim intulisset, tamen invito ipso Carolo ejusque magnatibus Hispanis arcessitus et aliquo modo honorifice auditus est. Id multi quidem ex populo Germanico flagitabant, sed incassum flagitassent, nisi consentientibus et aliquid certe Wormatiae valentibus iis,

qui aequalibus ingenio et eruditione anteibant. His cum Erasmo viros jurisconsultos illos adjuvantibus, qui postulatum a Friderico Sapiente justum judicium Germanicum contra Romanenses vindicandum censebant, factum est, ut Caesar Pontifici, in Italicis rebus sibi cedenti, non tantum, quantum ipse volebat, in Germanicis cedere auderet. Itaque monacho, a Pontifice sollemniter damnato, litterae illae, quas contra canones ecclesiae et jus naturae esse Aleander jactabat, missae sunt a Carolo, his verbis inscriptae: ‚Honorabili, dilecto, devoto, Doctori Martino Luthero, Ordinis Augustiniani.' Eundem ipse Imperator Imperiique Principes ac Proceres in consessum suum splendidissimum admiserunt, benigne et patienter audiverunt, promissam securitatem, spretis clandestinis Romanensium susurris, servaverunt. Quod non tantum illustre in omne aevum exemplum jure dictum est [1], sed etiam Luthero occasionem praebuit praestandi praeclaram illam animi vere christiani fortitudinem, in qua ipsius divini spiritus potentiam cunctae quondam gentes laudabunt; Pallavicinus enim Jesuita, qui illum suae linguae viribus confisum Wormatiam se contulisse ait, omnibus risui erit. Tantam humanam prudentiam ac versutiam, mundanum fastum ac superbiam, infernalem malitiam atque fallaciam, quanta in agendis rebus ecclesiasticis Wormatiae exhibebantur, Lutherus haud plane perspexit quidem, sed divinavit ac simul contempsit. Neque tamen odio flagrabat adversariorum, sed pro iis orabat. Electori suo scripsit, se Romanam ecclesiam humiliter honorare velle, solum Deum ejusque verbum se ei praeferre. Wormatiam proficiscens, quanto spiritu omnia pericula et crudelissimam mortem neglexerit, tot immortalis memoriae verba ejus testantur. Ex quibus unum illud afferemus, quod contra deterrentes eum adversarios edidit: ‚Christus vivit, et intrabimus Wormatiam invitis omnibus portis inferni ac potentatibus aëris.' De Hussi exitu a permultis commonefactus est, sed non crematam cum Husso veritatem esse tenuit. Eandem veritatem, quam divina gratia se cognovisse persuasum habebat, atque intemeratam conscientiam impavide secutus est. Hoc animo coram Caesare Imperiique Ordinibus scripta sua, priusquam rite refutata essent, contra conscientiam promiscue revocare abnuit et verba illa edidit: Non possum aliter, hic sto, Deus me adjuvet, Amen. Quumque postea ex publico mandato missi duumviri ei denuntiassent, ut ex urbe abiret, addidissentque, ‚quoniam ad cor et unitatem redire noluisset, Caesarem post elapsos reliquos datae securitatis dies, ut advocatum fidei catholicae,

1) Seckendorf I, 156.

officio satisfacturum esse', ipse respondit: ,Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.'

Propter hunc comitiorum exitum Romana Curia ingenti exsultavit laetitia. Leo Papa Carolo litteras dedit collaudans eum, quod filium Satanae Martinum fortiter oppressisset atque virtute sua spem de eo conceptam non implevisset tantum sed superasset.[1] Triumphandi causam habuit, in curiae enim commodum Germania fatali temporum momento turpissime decepta est. Ad irritum ceciderunt, quae omnes nobilissimi ejus viri efficere studebant, haud pauci etiam in ipsis comitiis Wormatiensibus magno desiderio expetiverant, ut et universalis reformatio ecclesiae perageretur, et Germania arctiore purioris religionis et culturae vinculo colligaretur. Imperator, quasi poeniteret eum comitatis ac clementiae, quam propter Germanos exoso monacho exhibuerat, contra eum proscriptionis edictum quam atrocissima forma fabricandum curavit. Quod edictum, ne spectatissimorum Principum intercessione impediretur, post plurimorum demum discessum publicavit, diem vero aliquot septimanis priorem ei inscribi jussit, quasi praesentibus et consentientibus omnibus ita expressum esset. Scriptoris nomen, ne nimia ira et invidia excitaretur, absconditum manere voluit; quod multo demum post per Pallavicinum patefactum est. Scilicet Carolus edictum illud, ut mentem satis saevam Romaeque acceptam spiraret, Aleandro conscribendum mandaverat. Non mirum igitur, quod ,unus Lutherus' illic dicitur ,non ut homo sed ipse diabolus sub hominis specie, ad perniciem generis humani assumpta monachi cuculla, quam plurimorum haereticorum damnatissimas haereses jam diu sepultas in unam sentinam congessisse, alias etiam de suo excogitasse.' His et aliis quae scripserat similibus optime noverat Aleander Germanorum plurimos se exacerbaturum esse; sed tanto magis se aliis placiturum putabat; alios contra alios instigare nunquam dubitabat. Quare ad Nuntium collegam suum dixisse ferebatur: ,Eia, mi Caracciole, si nihil adeo praeclari his comitiis effecimus, tamen hoc certum est, nos magnam hoc edicto in Germania lanienam concitare; qua Alemanni ipsi in viscera sua saevientes propediem in proprio sanguine suffocabuntur.'[2] Quae verba ut non ita prolata sint, tamen non tam longe, quam quibusdam visum est, ab iis aberat Aleandri animus. Quales Germanorum mentes se nosse fatetur, optime sciebat, edicti Wormatiensis exsecutionem sine vi et sanguine fieri non posse; ab ejusmodi praesidiis

1) Laemmers, monum. Vat. p. 7.

2) Sculteti Annales ed. K. von der Hardt p. 37.

ipsum nunquam [illegible] [illegible] [illegible] est. Id tamen illud [illegible] ad effectum perduci suum non posse, mox patuit. Sed alias [illegible] gladius erat, super Germaniae capite suspensus, quem [illegible] Romanenses inde ab eo tempore assidue minabantur.

Exsultavit et triumphavit Aleander non tantum de Luthero, sed etiam de Erasmo. Hunc cum monachis Tungrensi arctissimo consensionis necessitudinis vinculo junctum fuisse, uti quidem Pallavicinus contendit; sed alterius sortem tunc temporis magis quam [illegible] [illegible] cum alterius sorte connexam fuisse jure quispiam dixerit. [illegible] illud Imperatoris, quem justiorem ac mitiorem se praebiturum esse haud pauci speraverant, multo vehementius quam bulla Pontificis nobilissimos aequalium animos percussit. Neque de Luthero tantum capite sed etiam de bonis litteris earumque Principe proscriptio lata esse haud paucis videbatur. Nuntio de ea accepto Albertus Durerus exclamavit: Erasme Roterodame, ubi manebis? Ipse Erasmus, quanta invidia bonae litterae oneratae sint, tunc maxime saepius queritur. Addit, ‚utcunque res se habeat, priorem oportere esse curam religionis quam studiorum.‘[1] Sed etiam quidquid per tot annos ad emendandam religionis condicionem ipse susceperat periclitari vidit. Quod periculum quum fateri sibi ipse interdum abnueret, adversarii ob oculos ei ponebant. Dubitare non poterat, quin Aleander, quum Lutherum vicisse sibi videretur, stabilito jamdudum cum monachis foedere etiam se ipsum perdere studeret. Isti Erasmum Luthero non tantum multarum sententiarum auctorem fuisse, sed etiam totos libros, qui illius nomine ederentur, scripsisse hariolabantur. Conqueritur Erasmus tantam eorum esse perversitatem, ut ea quoque sibi tribuant, quae Lutherus in conventu Caesaris agnoverit pro suis. ‚Nuper‘, inquit, ‚in [illegible] convivio, quidam rogavit me, quod esset initium Captivitatis Babylonicae. Ad id respondere mihi sane perquam difficile fuit. Roganti cur id quaereret, fassus est quosdam esse suspicatos, hoc opus esse meum, quod initium esset: Velim nolim, non admodum abhorrens ab initio Panegyrici mei, quo Philippo ex Hispaniis reversum gratulor, qui sic incipit: Velis nolis. Bella conjectura.‘[2] At perversitas illa, quae libellum ab animo ejus alienissimum ei tribuebant, ex letali odio manaverat. Factioni monasticae victoria nondum perfecta videbatur, donec superesset aliquid Lutheri simile in viris inter aequales insignibus. Tunc Faber Stapulensis jam septuagenarius Parisiis discessisse nullam aliam ob causam ferebatur, nisi quod ‚convicia in Lutherum

1) Opp. III, 641. 2) Ibidem p. 665.

contra ipsum coram jactata audire non poterat.'[1] Eodem tempore Dominicani Francogallici dicebant, quatuor antichristos esse in mundo: Erasmum, Lutherum, Reuchlinum, Fabrum Stapulensem.[2] Etiam Savanarola una cum his nominabatur. Talia Erasmo ab amicis Francogallicis nuntiata sunt. Idem similiter in Brabantia, ubi degebat, etiam a suggestu sacro traducebatur.[3] Simul aliorum amicorum litteris jam tunc certior factus est, se a Lutheranis perstringi et clamitari Pelagianum.[4]

Quae omnia si tantus ille vir aequiore animo tulisset, si fortius simul atque constantius, quae in Luthero probaret, quae non probaret, profiteri palam ausus esset, non solum sublimior ejus memoria maneret apud posteros, sed etiam veritati evangelicae, quam semper curae habebat, plus profuisset. Sed non mirum, si id, quod antea palam facere non ausus erat, nunc desperatis fere rebus multo minus audebat. Quidquid debile atque timidum in sene fuisse vidimus, tunc maxime conspicuum erat. Lutheri nomen quasi fatale ei factum; quae in illo displicuerant, de quibus dubitaverat, immodice aucta totam Erasmi mentem occupare interdum videbantur. Accessit mobilis ille et irritabilis animus, quo justo longius facile cujusvis momenti impetu abripiebatur. Quare quum quaecunque sentiebat statim litteris exprimere soleret, epistolae vero vel ad intimos familiares datae saepissime evulgarentur, multa ejus verba Lutheri amicorum iram excitaverunt. Neque tamen illius adversariis placere poterat. Ubicunque enim aliquid illiusmodi peccavit, se ipse postea colligit atque corrigit, haud raro jam in una eademque epistola. Quoties lapsus est, toties fere, agnitam veritatem vel cautius vel audacius praedicans, meliorem quasi naturam suam resuscitat. Quae quin victrix denique fuerit, diligens illius temporis rerum scrutator non dubitabit. Id igitur allatis exemplis quibusdam monstrabimus.

Terrorem quo Erasmus detectis incredibilibus Aleandri perfidiis percussus est, haec spirant verba ad summum virum Hollandiae praesidem Everardum scripta: ,Res ut audio nunc agitur venenis: Parisiis sublati sunt aliquot, qui Lutherum manifeste defendebant. Fortassis hoc in mandatis est, ut quoniam aliter vinci non possunt hostes Sedis Romanae (sic enim illi vocant, qui harpyis illis non per omnia obse-

1) Herminjard, correspondance des réformateurs I p. 71.
2) Ibidem p. 72 (in epistola monachi Annecensis ad Henr. Corn. Agrippam).
3) Er. opp. III, 646. 1695 s.
4) Ibidem p. 658.

quuntur), veneno tollantur cum benedictione Pontificis. Hac arte valet Aleander: is me Coloniae impensissime rogabat ad prandium; ego, quo magis ille instabat, hoc pertinacius excusavi.'[1] Haud multo post, justo durius judicasse sibi visus, nimia fiducia Aleandrum, juratum se fidissimum ejus amicum esse, semel adhuc, id quod supra narravimus, pro tempore amplexus est. Tunc Budaeo scripsit, ,illum fortem ac strenuum virum se praebuisse in Lutherano negotio, quo quum defunctus esset, licere aliquoties hominis consuetudine frui, non minus amoena quam erudita.' Immo cum callidissimo Nuntio egit, ut daret sibi propter sycophantas facultatem legendi Lutheri libros, quippe qui jam omnes condemnati essent; quod ille se posse pernegavit, nisi nominatim impetraret a Summo Pontifice.[2] Undique nimirum urgebatur et impellebatur Erasmus, ut scribendo adversus Lutherum se probaret orthodoxum. De ea re in epistola ad amicum: ,O mi Bombasi', inquit, ,proclive dictu est: Scribe adversus Lutherum. Sed ad hoc pluribus rebus opus est, quam ad plaustrum fabricandum, ut ait Hesiodus.'

Sentiebat, quam difficile esset scribere aliquid, quod neque suae ipsius dignitati officeret neque negotio evangelico nunquam deserendo. Jam antea significaverat, se ad imminens schisma et turbas evitandas ,majora moliturum fuisse, nisi se praeter alia religio quaedam deterruisset, ne forte imprudens repugnaret spiritui Christi.' Saepius se tantae rei parem non esse declarat. Optime mox novit, semoto Luthero rem finitam non esse. In tam ingenti orbis discidio ab utraque parte recti verique aliquid esse existimat; id ex Sacra Scriptura certisque argumentis dijudicare, quo religiosius veritatem quaerit, eo difficilius esse intellegit. Dum utraque pars ultimum rei discrimen accelerare omnibus intentis viribus studet, ipse iterum illud procrastinare frustra nititur. Haud semel eorum maxime impatientiam perniciosam putat, qui rerum mutationem haud paulatim sed subito effici volunt. Quippe quum iisdem mensibus in edendo Hilario occupatus esset, ex historia ecclesiae denuo didicerat, quam lentus esset accuratioris doctrinae theologicae progressus et quam saepe humanis diversarum partium affectibus turbatus; sed de his admirandis ejus studiis infra nobis dicendum erit. ,Si seculum hoc', inquit, ,totum Christum non fert, est tamen aliquid licere eum aliquatenus praedicare.' Tunc quae in Luthero semper displicuerant, pejora quam antea ei videntur. Quaerit annon fortasse aliquo jure repressus sit. Nonne ille, quum pro eo servando

1) Opp. III, 1698. 2) Ibidem p. 680. 3) Ibidem p. 665.

ipse laboraret, decretalium combustione editaque captivitate Babylonica ita egit, quasi servari nollet? Quosdam ejus libellos malis avibus prodiisse judicat; immo eum dicit se suis ipsius telis confodisse, in dies atrociora scribendo.[1] Nonnunquam taedet eum ipsius nominis Lutherani, quod etiam nunc evitare non possit; sic scribit ad quosdam, quae eum non scripsisse malles. ‚Lutheri tragoedia', inquit, ‚peracta est apud nos, atque utinam nunquam prodiisset in theatrum!' Sed statim addit, ‚verendum esse, ne cupide vitata Scylla deferamur in Charybdim, et hac victoria quidam crudelius abutantur, quam expediat rei christianae.'[2] Et ubi fanatici stupidique homines Lutherum nihil aliud esse jactaverunt nisi fungum, caudicem, stipitem, omnis theologiae rudem, ridet eos et castigat; si quos magnates sibi assentiri gloriantur, respondet, ‚neque stemmata neque torques addere sapientiam; praestare istos in conviviis de venatu loqui, quam de his rebus, quas non intellegant.' Quum ostendit haud ita facile esse scriptis Lutherum superare, id quoque non omittit, *πολυγράφον* illum esse, quasi centum habentem manus. Immo contemptim eos rejiciens, qui in illum ‚muliebribus conviciis debacchabantur', iracunde exclamat: ‚Nolim hoc laudis ferre, quod a Luthero desciverim; habear et nunc Lutheranus, si unquam fui.'[3] Se vero nihil aliud nisi Christianum fuisse et futurum esse asseverat.

Eundem produnt animum, quae paucis mensibus post Comitia Wormatiensia archiepiscopo Cantuarensi scripsit: ‚Video tempestatem esse periculosissimam, in qua mihi sentio cursum sic esse moderandum, ut nec hominibus adulando Christi negotium deseram, nec me frustra in discrimen aliquod conjiciam. Lutherus veluti malum Eridis misit in mundum, cujus nullam omnino partem non turbatam video. Nemo non fatetur vehementi quadam medicina fuisse opus ecclesiae: sed video, propemodum usu venire, ut pharmacum parum dextre adhibitum morbi vim exacerbarit verius quam expulerit. Atque utinam verum esset, quod Danorum Rex Christiernus mihi simile quiddam dicenti respondit, ludens opinor, levibus pharmacis nihil agi, sed illud esse remediorum efficacium, ut primum corpus omne concutiant. Ego certe nullum exitum video bonum, nisi Christus ipse temeritatem nostram bene vertat, quemadmodum ferunt Minervam *δυσβουλίαν* Atheniensium bene fortunare solitam.'[4]

---

1) Opp. III p. 665. 684. 2) Ibidem p. 650. 2) Ibidem p. 682. 664. 713.
4) Ibidem p. 661 (Ep. de d. 23. m. Aug. a. 1521).

Aliquando praevalet in Erasmi animo eorum, quae praeclare toties in Luthero praedicaverat, memoria. Sentit quodammodo, locum se ipso dignum in comitiis Wormatiensibus futurum fuisse. Sic Richardo Pacaeo se excusans, ,Quid ego', quaerit, ,potuissem opitulari Luthero, si me periculi comitem fecissem, nisi ut pro uno perirent duo? — Non omnes ad martyrium satis habent roboris; vereor autem, ne si quid inciderit tumultus, Petrum sim imitaturus. Sed de me viderit Christus, cui semper meae servierunt litterulae. Posteaquam Lutherus abiit in favillas, undique sibi laudem vindicant praedicatores ac theologi non admodum sinceri. Videndum est cordatis principibus, ne jus laxetur istis saeviendi in innoxios et de religione christiana bene merentes, neve ita feramur odio in ea, quae male scripsit Lutherus, ut e bene dictis fructum amittamus.'

Similiter intima pectoris arcana Justo Jonae aperit his verbis: ,Hic jam diu rumor est constans, Jona carissime, te Wormatiae Martino Luthero continenter adfuisse: nec dubito, quin tua pietas hoc egerit, quod ego fueram acturus, si contigisset adesse, ut haec tragoedia moderatis rationibus sic sopiretur, ne posthac posset majore cum orbis malo rursus erumpere. Quod equidem demiror non esse factum, quum ea res vehementer cordi fuerit optimis viris, qui, sicuti dignum est animis vere christianis, cupiebant esse consultum ecclesiae tranquillitati, quae nisi concordia sibi jungatur, ecclesiae vocabulum amisit. Quid enim est aliud religio nostra quam pax in spiritu sancto?' Tunc de corruptis ecclesiae moribus ac doctrinis locutus, ad haec jamdudum ingemuisse ait pias mentes, quibus nihil sit antiquius quam Christi gloria. ,Eaque res effecit, ut initio tantum undique favoris habuerit Lutherus, quantum non arbitror seculis aliquot ulli mortalium contigisse. Siquidem ut facile credimus, quod vehementer optamus, existimabant exortum hominem, qui purus ab omnibus hujus mundi affectibus, tantis malis remedium aliquod afferre posset.' Sequuntur querelae de iis, quibus et ipse Lutherus, quum nimia violentia ac festinatione nec satis prudenter ac circumspecte ad tantum opus sit aggressus, ad frustrandam magnam illam spem haud parum contulerit.

Anno post, quum Lutherus ex arcis Thuringicae refugio Vitebergam reversus ecclesiae reformandae opus palam ipse suscipere et apud alios adjuvare coepisset, Erasmus easdem querelas renovandas esse putavit. Consummatum videt id, quod tantopere metuerat, ,periculosissimum orbis dissidium'; ,utris tantum mali sit imputandum, fortasse jam serum esse disputare' dicit. Neque tamen de sanando illo prorsus desperandum esse censet. Cui rei ut inserviat, magno et

nobili animo utramque partem ad agnoscendum id, quod peccaverint, perducere studet. Seriam corruptae ecclesiae reformationem strenue postulare non desinit. Quae ut efficiatur quam necessarius fuerit austerus ille atque heroicus Lutheri impetus, aliquatenus eum sensisse, non satis vero intellexisse et considerasse; verbis ejus passim supra allatis ostendimus. Ceterum in illo nihil plerumque vituperat nisi quae et nos in captivitate Babylonica aliisque ejusdem scriptis non improbare non possumus; plura in eo laudat; majorem quam Lutheri Lutheranorum, longe maximam Pontificiorum culpam esse significat. Eaque omnia Erasmus etiam coram iis profiteri saepius ausus est, quos hostilissimos esse Luthero optime noverat. Sic anno illius seculi vicesimo secundo ad Georgium Saxoniae Ducem litteras misit jam plura continentes, quae usque ad vitae finem tenuit, dignissima quae etiam hoc loco afferantur.

‚Lutherus, quod negari non potest, optimam fabulam susceperat et Christi paene aboliti negotium summo cum orbis applausu coeperat agere. Sed utinam rem tantam gravioribus ac sedatioribus egisset consiliis. Tamen hic gravius peccant Lutherani quidam quam ipse Lutherus. Nunc quoniam atrocibus odiis res utrimque geritur, periculum est, ne oppresso Luthero simul pereant tot bona, quae nolim aboleri; tum autem ne pars victrix invehat nobis quaedam, quae nulli Christum amantes ferre poterunt, quaeque cessura videantur in grave detrimentum gloriae christianae et evangelicae sinceritatis. Etiam si libere loqui fas est apud Principem non minus prudentem quam humanum, mundus indormiebat opinionibus scholasticis, constitutionibus humanis, nec aliud audiebat quam de indulgentiis, de compositionibus, de potestate Pontificis Romani. Atque his praesidiis regnabant quidam, qui non quaerunt ea quae sunt Jesu Christi, sed cum Demade, quem notat apostolus Paulus, diligunt hoc seculum. Ab hoc somno prorsus erat expergefaciendus orbis et scintilla vigoris evangelici resuscitanda. Sed utinam id factum esset ea mansuetudine curaque, qua decuerat agi negotium omnium sanctissimum. Admiscuerunt se huic negotio monachi quidam ac theologi, qui stultis, indoctis ac seditiosis clamoribus malum hoc exagitarunt et ex malo pessimum, ex minimo maximum reddiderunt. Nam initio nihil periclitabatur praeter quaestum indulgentiarum. Hi nec ea sinunt probari in Luthero quae sunt christianissima, nec de suis quidquam remittunt, sed prioribus etiam addunt duriora. Prodiit saevissima bulla a Pontifice. Nihil aliud quam exacerbavit incendium. Secutum est saevius etiam Caesaris edictum, qui totus in hanc rem propensus est. Ea res linguas quo-

rundam et calamos coërcet, at non mutat animos. Laudatur quidem pius Caesaris animus, sed judicium hujus rei adscribunt iis, quibus eruditi non multum tribuunt.'

Satis apparet, eum qui et Leonis bullam et Caroli edictum tam aperte reprehendere perrexit, anathematis fulmini, a Leone in Lutherum vibrato, nullam vim attribuisse. Quod diserte testatus est composito tunc temporis et saepius edito dialogo, cui inscriptum est ,Inquisitio de fide'. Miscet ibi, ut solet, seria cum festivis. Inducit ipsum Lutherum sub Barbatii nomine, loquentem cum Aulo quodam. Hic salutem dare dubitat obviam eunti, quippe qui excommunicatus oleat aut sulphur aut fulmen Jovis. Respondet Barbatius, esse et bruta fulmina; se audivisse quidem horrenda tonitrua, fulminis ictum non sensisse. — A. Qui fit? B. Quia nihilo pejus concoquo, neque irrequietus dormio. A. Sed hoc periculosius solet esse periculum, quia non sentitur. Haec bruta fulmina quae tu dicis, feriunt montes et maria. B. Feriunt, sed irritis ictibus. Est et fulgor e vitro vel vase aereo. A. Certe territat et hoc. B. Verum, sed pueros. Solus Deus habet fulmen quo feriat animam. A. Quid si Deus est in suo vicario? B. Utinam sit! A. Immo multi demirantur, te jamdudum non esse quovis carbone atriorem. B. Atqui tanto magis erat optanda salus perdito, si placet evangelica doctrina. — Inde fit transitus ad serium colloquium de symbolo apostolico, cujus capita satis theologice, dogmatice et critice exponuntur, ita tamen, ut id, quod Erasmus spiritualem christianismum et cum patribus militiam Christi vocat, toto pectore teneri pateat a Barbatio. Is, ubi Aulus symbolum illud tractandum proponit, ,Audio', inquit, ,militare verbum, nec recuso haberi pro hoste Christi, si hic fefellero.' Idem profitetur, ,se suis viribus diffisum, totum ab illo pendere, qui possit omnia'; ,sanctam ecclesiam nihil aliud esse atque unius Dei, unius evangelii, unius fidei, unius spei professionem, ejusdem spiritus, eorundem sacramentorum participationem, breviter talem quandam communionem bonorum omnium inter omnes pios, qui fuerint ab initio mundi usque ad finem, qualis sit membrorum corporis inter ipsa societas; extra hanc ecclesiam spiritu Christi congregatam non esse ullam remissionem peccatorum.' Proba ejusmodi fidei declaratione victus denique Aulus, ,Ego', inquit, ,quum Romae essem, non omnes reperi aeque sincere credentes; unde igitur tantum bellum inter vos et orthodoxos?' Itaque amicissime concluditur confabulatio.

Haec omnia si quis accurate consideraverit, non dubitabit, quin anno post comitia Wormatiensia Erasmus cum amicis suis ad Lutherum

ejusque sodales multo propius accesserit, quam ad partem in comitiis illis victricem. Quae pars Caesaris quidem interea in Hispaniam profecti politicis rationibus sustentabatur, sibi vero contrarios in Germania omnes habebat, quicunque novae ingenii culturae tunc nascentis et ubique progredientis propugnatores et sectatores erant. Hi veri reipublicae litterariae cives omnes consentiebant, ecclesiae condicionem ex Sacrae scripturae regula emendandam esse. Ideoque semper adhuc exspectare licebat, fore ut cum his cunctis Erasmus et Lutherus eundem finem junctis viribus persequerentur. Haec spes sequentibus annis paulatim concidit. Tunc demum Pontificii in futura secula plane triumphaverunt, quum respublica litteraria apud Germanos dirupta est quumque ab altera parte Lutherus cum suis, ab altera Erasmus, Zasius, Pirkheimerus, alii steterunt, hostili animo se invicem impugnantes. Ab his maxime inimicitiis longa patriae nostrae miseria initium cepit. Ecclesia christiana, quam et catholicam et evangelicam esse Erasmus volebat, in catholicam et evangelicam hostiliter divulsa est. Hoc quominus fieret ille cum bona gratia prohibere etiam post dimissa comitia Wormatiensia studebat. Sed ab his comitiis Pontificii per Carolum edictum illud impetraverant, quo ecclesiae Romanocatholicae et seria reformatio arceretur, et unitas, quoad fieri posset, per vim servaretur. Idcirco Erasmus in cassum nitebatur, ut, universali ecclesiae reformatione per Principes a Romanensibus extorta, particularis singularum ecclesiarum reformatio evitaretur, exoriens discidium sanaretur, christiana unitas restitueretur. Etenim propter edictum Wormatiense Vitebergenses quique ad eos inclinabant coacti sunt conscientia, ut suo periculo gravissimos ecclesiae abusus ipsi abolerent et seriam rerum sacrarum reformationem inchoarent. Quod quamvis Erasmus improbaverit, tamen sine Erasmi ingenii praesidiis ad prosperum diutinumque eventum adductum non esse in sequentibus demonstrabimus.

XI.

Ut memoria dignum jam Philippo Melanchthoni videbatur, Lutherum initio ,tetricum disciplinae custodem inter suos fuisse', neque, antequam ad conventum Imperii Wormatiense vocaretur, in ecclesiae cultu divino atque consuetudine quidquam mutasse. Quippe non a privato homine, sed publica auctoritate ejusmodi mutationem efficiendam esse censebat; praeterea admodum verebatur debilium animos novis rebus praepostere tentatis offendere. Postea demum, dum ipse a Pontifice excommunicatus, a Caesare proscriptus, latet in Patmo sua

Thuringica, ejusdem socii et discipuli apud Saxones in singulis ecclesiis eos ritus et leges, quae cum Dei verbo ac spiritu non congruere intellexerant, duce Carolostadio mutare coeperunt. Id quum ex parte non satis prudenter fieret, irrepentibus simul hominibus quibusdam enthusiasticis et fanaticis, qui novas Dei revelationes se accepisse gloriabantur, haud parvae inde turbae ortae sunt. Quas Lutherus, invito Electore nec sine vitae periculo Vitebergam reversus, mox sedavit; quae recte quae non recte mutata essent, declaravit, spiritum falsum ac perversum spiritu vere evangelico superavit, iconoclastas tumultuantes reppulit. Inde ab eo demum tempore Lutherus, quum eousque in reformandae ecclesiae negotio religiose, immo ut ita dicam hominis mysticae tranquillitati dediti instar ab agendo anxie abstinuisset, divini verbi effectui totam rem reliquisset et commisisset, jam jamque ad hominum animos regendos et moderandos, ad mutandam orbis faciem divina providentia perductus est. Antea futurum concilium generale, unita Caesaris et Principum pia studia prospexerat, praestolans spei, fore ut praepotentium animi veritatis divinae vi ad medendum ecclesiae damnis inclinarentur. Haec spes post comitia Wormatiensia evanuisse omnis visa est. Sed ne tunc quidem Lutherus in solitudinis montanae refugio de ingredienda nova via cogitavit. Veritati et aedificationi plebis scriptis inservire usitato more perrexit; concesso otio praecipue ad incipiendam Bibliorum versionem Germanicam et ad conscribendos eximios illos sermones populares, qui postilla nominantur, usus est. Gaudebat vero quod Vitebergae amici purum evangelium sicuti antea praedicabant, et in florente academia Melanchthon, licet et ipse papali anathemate nominatim notatus, magna discipulorum frequentia etiam e longinquis terris affluentium circumdatus erat. Neque reprehendere illos poterat, quum abusus quosdam ecclesiasticos, coactum sacerdotum coelibatum, cultum imaginum, alios ritus superstitiosos, sese pro agnita veritate non posse non tollere declararent. Quum denique ad turbas quas diximus componendas Vitebergam se conferret, conscientiam secutus nihil aliud nisi officium caritatis christianae in Vitebergenses singulariter sibi mandatos perficere sibi videbatur. Quanti momenti id foret, quod hoc itinere suscepturus erat, animo non praesagiebat. Nimirum ipsum reformatoris ecclesiae quasi munus inde ab hoc tempore ei obeundum erat. Sive, ut similitudine ab Erasmo saepissime adhibita utamur, dramatis fabula, quam docendam antea indicaverat, jam ipsi agenda erat.

Quod non ita diximus, quasi Lutherus usque ad illud tempus doctrina tantum, non rebus gestis eminuisset. Ab omni hominum

timore humanaeque gratiae captatione remotissimus, nobilissimi cujusque propositi tenax, cujusvis periculi spernens, inde a vulgatis thesibus usque ad iter Wormatiense virum ad agendum natum iterum iterumque se manifestaverat. Quantum jam solo verbo suo valeret, in ipsa custodia Wartburgensi apparuit. Inde enim Alberto Cardinali, Germaniae Primati, litteras misit, quibus propter renovatos quosdam in sede Halensi ecclesiasticos abusus cum indulgentiarum nundinatione iterum conjunctos propterque alia injusta facinora gravissime eum perstrinxerat. Cui ille respondet, se peccatorem esse neque christianam et fraternam Lutheri admonitionem recusare; ejus causas, uti speret, jam cessasse; posthac se pii et ecclesiastici Principis officio functurum esse. Tanta scilicet excommunicati monachi auctoritas erat! Sed haec omnia aliaque similia Lutherum nobis ostendunt fortissimum veritatis testem, non actu reformatorem ecclesiae reformataeque moderatorem. Talem ille inde ab eo demum, quod memoravimus, tempore se praestitit. Mox enim Viteberga aliarum ecclesiarum exemplar facta est; quae omnes surgentibus difficultatibus consilii auxiliique causa illuc se vertebant. Sic Lutherus quasi dictatoris in ecclesia emendata auctoritatem et vim non affectavit quidem sed urgentibus rebus paulatim obtinuit. Quod quum multi aequalium praestantissimi non tantum magno viri ingenio, sed spiritui divino, per hoc organum licet humanae labis non expers se exhibenti, jure tribuerent, aliquid veri prophetae simile in eo jam tunc conspiciebatur. Vita defunctum eum postea Melanchthon Eliae Germanicae nationis nomine haud temere vocavit.

Tam robusta nimirum impavidaque sincerae fidei virtute is armatus esse debebat, qui sedis Romanae imperium mundanum, christiano colore tectum, quod quantum fuerit etiam in hodiernis ejus reliquiis videre licet, in magna occidentis parte funditus evertere primus ausus est. Neque tamen huic rei efficiendae et novo quasi aevo initiando vel summa fidei virtus sufficiebat, nisi conjuncta fuisset cum nascentis quam descripsimus, recentioris culturae quasi igniculis et seminibus. Etenim papatus Romanus, qualis tunc evaserat, cum scholastica medii aevi doctrina et eruditione arctissime cohaerebat. Jam ut inde meliora retinerentur, corrupta et perversa rejicerentur, critica arte opus erat, quam sola nova illa ingenii cultura et nova scientia idoneam porrigere poterat. Sic magnum laborem auspicari oportuit, per secula continuandum. Id Erasmus prae ceteris intellexerat, viam monstraverat, theologiam cum juvenescentibus bonis litteris colligaverat. Eum Lutherus hac ex parte totus, quantum poterat, secutus est. Cum eo non tantum ad puros Sacrae Scripturae fontes aperiendos linguarum studium divino

beneficio renovatum esse agnovit, sed etiam per interposita secula velut ascendendum esse ad prius christianismi aevum, immo etiam ad classicam, quam nos dicimus, vetustatem, ut ex illis initiis sequentium temporum historiae et studia accuratius perciperentur et totus seculorum decursus, quam accuratissime fieri posset, pervestigaretur. Pro largo et amplo, quo erat, ingenio Lutherus nonnulla Erasmo accuratius perspexit; ut res divinae recte tractarentur, nullas res humanas docuit neglegendas esse; ideo consociatis multorum laboribus uti voluit; in primis quod ipse non posset, a Melanchthone, amico divinitus sibi dato, suppleri laetatus est. Rejecit et improbavit sectarios, qui cum argutiis scholasticis simul omnem eruditionem omnesque bonas litteras et doctrinas contemtui habebant, partim miraculosa inspiratione coelitus sibi immissa gloriantes. Eodem tempore, quo ejusmodi homines Vitebergae emerserant, Lutherus ex refugio suo silvestri epistolam amico scripsit valde memorabilem, ex qua nonnulla huc pertinentia infra ponemus, praesertim quum eadem ostendant, quemadmodum similiter atque Erasmus nonnunquam humanas litteras cum divinis ingeniose componat et connectat.

Admonet Melanchthonem, theologiae baccalaureum, ut mutationes in ecclesiae ritibus et legibus recens factas adversus Emserum aliosque fortiter defendat. Deinde seria et festiva de lauro theologica, quam ille gerat, prolocutus haec adjicit: ‚Apollinis vates, ut apud Lycophrona est, adesa lauro, una numen et fatidicum furorem accipiebat, et ut ait poëta, *δαφνηφάγων φοίβαξεν ἐκ λαιμῶν ὄπα*. Quam felices theologos, si una cum lauro ipsi quoque divinae doctrinae spiritum conciperent. Sed aude! sacramentum piis litteris dixisti: quid cessas? quid mussas? — Me certe quantumvis rudem tironem tamen comitem habebis: nec poenitebit sub te tolerare tali magistro militiam et grave Martis opus. Quis non sub eo gestiat stipendia facere, qui ad rem theologicam tale ingenium, tam multiplicem rerum scientiam attulerit, qui res naturae, jam annos tot versatus in Herculanis medicorum *λούτροις*, sic pervestigarit, qui omnes philosophorum sententias sicut ungues suos norit. Vehementer enim et toto coelo errare censeo, qui philosophiam et naturae cognitionem inutilem putant theologiae: alioqui quorsus nobis magisteria nostra?‘

Quanti Lutherus Melanchthonem, tanti etiam majore jure Melanchthon Lutherum fecit. Utriusque vero viri unitis viribus factum est, ut studia Vitebergensia non tantum iis placerent, qui rudem plebem simplex et purum evangelium doceri volebant, sed ut etiam omnium fere eruditorum virorum cum Erasmo consentientium

suffragia ferrent. Quare ex omnibus Germaniae partibus, immo ex longinquis gentibus juvenes discendi cupidi advolabant. Et simul, id quod summi momenti erat, instaurata ecclesia cum omnibus magnae illius, quam diximus, reipublicae litterariae studiis arctissimo necessitudinis vinculo in sempiternum conjuncta est. Cui negotio neque Lutherus sine Melanchthone, neque Melanchthon sine Luthero par fuit. Lutherus quod necesse erat vidit; ut fieri posset, viam novae et melioris eruditionis ejectis obstaculis aperuit, praeparavit, aliquatenus praeivit. Hac alter, qua longissime tunc fieri poterat, progressus est. Lutherus ardenti adhortatione hominum conscientiam ad augendas et emendandas scholas excitavit et quasi salubrem, quem spirarent, evangelicae libertatis aërem tam docentibus quam discentibus praebuit. Melanchthon et scriptis in utrorumque usum libris egregiis, qui etiam postea per longum tempus adhibiti sunt, et exemplo consilioque ipse summum quodammodo omnium doctrinarum magisterium exercuit atque ingens quasi variarum scholarum aedificium inauguravit. Quare praeceptor Germaniae recte semper nominatus est. Neque tamen hujus tituli honor ad solum instruendae juventutis opus, licet gravissimum, restringendus est, sed etiam ad exculta ipsa omnigenae doctrinae argumenta referendus. Aliquo jure etiam nostro tempore idem dicere fas est quod dixit Lutherus: ‚Quidquid possidemus verae philosophiae, id Philippo debemus.' Nimirum sano quodam et nobili ingenio totum doctrinarum ambitum et circuitum primus tunc amplexus in eo ut theologiae ita philosophiae suum locum assignare studuit; quibus rebus egregie pro suo tempore tentatis, praeclarissimis aequalibus satisfecit, sequentibus vero seculis aenigma sive problema proposuit, denuo semper et perfectiore modo solvendum. Recte vero summus quidam philosophus dixit, magnam rem esse novum quoddam et grave problema hominum meditationi tam accurate et fortiter quasi imprimere, ut dimitti amplius non posset. Quapropter nos commentatione jam pridem edita [1] Melanchthonem, licet iis quae debiliora in eo sunt non praetermissis, dignum esse ostendimus, quem universae reipublicae litterariae reformatorem appellemus. Inde pauca, quantum quidem res postulat, breviter hic retractabimus.

Litterarum illius primitias Erasmus, laetus semper emicantium ingeniorum commendator, sincera admiratione prosecutus est. ‚Quam non spem', inquit, ‚de se praebet admodum etiam adolescens ac paene puer Philippus Melanchthon! quod inventionis acumen, quae sermonis

1) De Philippo Melanchthone reipublicae litterariae reformatore. Bonnae 1860.

puritas atque elegantia, quam verecunda regiaeque prorsus indolis festivitas!' Haec facilis atque felix verborum conformatio, ex singulari inveniendi, meditandi, disponendi celeritate proveniens, multum profecto iis rebus, quarum propugnatorem Melanchthon se gessit, et apud aequales et apud posteros profuit. Ipse quidem pro modestia sua ad Erasmum orationis perfectione atque nitore adspirare noluit. Neque, quod ad humanarum divinarumque litterarum studia pertinet, incredibilem paene illius tum in lucubrando ubertatem industriamque tum in critica rerum disquisitione sagacitatem atque audaciam unquam assecutus est. Habebat tamen et ipse, quibus illum antecelleret. Quod de rebus ad theologiam spectantibus fusius demonstrare necesse non est. Memorare hic sufficit ‚locos theologicos', quibus primus Melanchthon totam emendatae religionis dogmatum seriem inter se connexorum exhibere studuit. Quod eo tempore solus ille praestare poterat. Quare hunc librum non minus fere, quam Lutherus, Erasmus admiratus est. Quamquam nonnulla in eo improbat (quae quidem ipsum auctorem serioribus editionibus correxisse constat), in universum tamen spiritualem quem dicebat christianismum egregie illic expressum reperit. Hoc sanctissimo sincerae fidei vinculo Erasmus etiam postea, si parva gliscentium suspicionum tempora excipimus, usque ad vitae finem semper conjunctus cum Melanchthone manebat. Propter tot controversias theologicas et ecclesiasticas non tantum, quantum ipse quondam sperasset, in elegantioribus litteris illum praestitisse saepius deploravit. Nec vero quae praestitit contemnenda esse putabat. Revera Melanchthon eloquentia Latina et lectionis Graecae varietate Erasmum non aequavit, sed in aestimando et discernendo veterum scriptorum pretio sanum quoddam et nativum judicium exhibuit, quo illum superavit. Erasmus, sicuti Graecae ecclesiae Patres praecipue suspiciebat atque colebat, ita ab illis profectus ceterorum quoque scriptorum Graecorum iis maxime gavisus esse videtur, qui aevo et indole propius ad illos accesserant. Non tantum Plutarchum et Lucianum, sed etiam Libanium, cujus nonnulla scripta latine vertit, aequo pluris faciebat. Melanchthon saniore et robustiore, ut ita dicam, primariorum fontium gustu praeditus erat. Quare, licet Latinos minime sperneret, tamen quantum Virgilius ab Homero, Cicero a Demosthene distaret, ex propria sinceraque sui ingenii consideratione atque contemplatione recentiores docuit. Pindari, quem egregia latinitate donavit, unicam et incomparabilem magnitudinem ipse primus fortasse inter humanistas, similiter atque postea Goethius juvenis, non ex Horatii elogio, sed suo illius carminum sensu gustuque perspexit.

Adulescentibus, ut philosophicis studiis initiarentur, Aristotelem Graece exponi voluit; magistris autem, ut ipsum Stagyritam bene intellegerent, fontes ejus ostendit apud Platonem quaerendos esse, ‚cygnum illum', ut ait, ‚divinum quiddam canentem.' Omnino totius philosophiae ejusque historiae accuratior, quam Erasmus, investigator erat. Praeterea non tantum cum illo antiquas litteras, sed quidquid aliud tunc humanae doctrinae dabatur, adamantina diligentia colere studuit: universalem rerum gestarum memoriam, jurisprudentiam, artem medicam, cunctas denique disciplinas physicas, ad quas jam eundem non minus ardenter, quam postea Baconem Verulamium, hominum animos accendisse libello nostro demonstravimus. Haec diversissima studia, quae tunc quasi renascentia non tam ingenti quam nunc circuitu patebant, unum Philippi ingenium quodam modo amplecti potuit et quasi magnum pulcherrimumque omnium artium concentum hominibus exhibuit atque praedicavit. Quae ex singulis disciplinis singula profert, si cum posteriorum temporum progressibus componas, exigua sane initia et ex parte velut puerilia elementa sunt. Sed in dijudicatis et ponderatis tot variis rebus ingenii lumina ubivis invenies et totum illud universae scientiae comprehendendae studium, ut illo et sequente seculo nobilissimos viros ad altiora expetenda incitavit, ita admiratione dignum semper habebitur.

Accedit, quod Melanchthon non ut homo mere privatus et umbraticus, ut philosophus a communis vitae turbis quam fieri potuit remotissimus in litteras incumbebat, sed ut vir vitae experientia edoctus et exercitatus vehementissimisque, quae tunc mortalium animos movebant, tempestatibus ac fluctibus jactatus, quippe qui ad gravissima negotia publica, ad disputationes, ad colloquia, ad comitia, ad visitationes prae certeris adhiberetur. Hac ex parte, quantopere ab Erasmo diversus fuerit, ex iis, quae de hoc supra dicta sunt, facile intellegi poterit. Ex tot rerum discrimine ille ad eruditi laboris tranquillitatem libentissime semper se recepit, verum non ad privata studia, quibus solis Erasmus delectabatur, sed ad academiam, extra quam nullam esse vitam dicere solebat. Sic mutuae, quae apud nos viget, inter scholam et vitam connexionis concordiaeque vinculum ille maxime copulavit Inde ab eo tempore universitates nostrae litterariae, per Germaniam sparsae, quamvis pro humanarum rerum sorte mendis ac vitiis interdum laboraverint, tamen in universum omnigenae doctrinae cultrices praestantissimae, reipublicae et ecclesiae seminaria probissima remanserunt. Scholae superiores, gymnasiorum nomine apud nos insignes, quibus futuri academiarum cives educantur, nobile atque ingenuum

Graecarum Latinarumque litterarum fundamentum semper aliquatenus retinuerunt, data simul ubique addiscendae Hebraicae linguae copia, unde omnia inter nos orientalia studia profecta esse Herderus et Goethius praedicant. A superiorum vero scholarum flore etiam inferiorum sive popularium scholarum, quae paulatim oriebantur et spargebantur, praestantia et frequentia emanabant.

Tantarum igitur rerum primordia Lutherus et Melanchthon Erasmici laboris ingeniique fructibus sapienter adhibitis et largiter auctis nobis dederunt. Sic instauratae ecclesiae cum omni bona doctrina sodalicium illud conditum est, quo solo fieri potuisse docuimus, ut et ipsa staret, et novum humanarum rerum aevum gigneret. Hoc vero ingens inceptum etiam conjuncta amborum virorum ingenia ad faustum finem non perduxissent, nisi a principibus et magistratibus strenue adjuti essent. Neque auxilio hi illis esse poterant, nisi servili Romanae curiae omnem animorum libertatem opprimentis jugo excusso. Id jam antea quidem complures Europae civitates abjicere plus semel tentaverant. Apud nostrates quomodo in compluribus comitiis libertas civilis et christiana adversus tyrannidem pontificiam surrexerit supra memoratum est. Verumtamen ejusmodi conamina apud eos, qui Papae ut spirituali domino subjecti remanebant, temporaria tantum erant et data occasione iterum opprimebantur. Cujus rei exemplis Gallicana ecclesia, praeclarissimorum ingeniorum ferax, per plura secula abundat. Apud evangelicos vero propria potestatum civilium dignitas atque auctoritas, quam illi ab hierarchiae ecclesiasticae arbitrio nullo modo pendere sed a Deo esse ex sacra scriptura demonstraverunt quamque fortiter adversus illam vindicaverunt, ipsa cum sodalicio illo emendatae ecclesiae omniumque honestarum studiorum se consociavit. Inde ii populi, apud quos purum evangelium obtinuit, magis magisque, quod ad universam ingenii culturam attinet, primatum quendam nacti sunt. Id inter gentes Romanenses, quibus quantum nos debeamus nunquam oblituri sumus, praeclarissimi viri nunc agnoscunt. Sin vero parva ejus rei initia spectamus, Germaniae principes et magistratus, quos diximus, haud leviter ac temere ad novas illas partes suscipiendas se accinxisse constat. Praestantissimi eorum num recte ita acturi essent religiose examinabant. Non mirum, quod eos potissimum consulebant eorumque judicium summi faciebant, qui eo tempore et in purioris religionis et in bonarum litterarum causis plurima auctoritate floruerunt. Horum vero princeps Erasmus ab omnibus habebatur. Qui cum apud alios principes plurimum valebat, tum apud eum, cui quasi in manibus, ut humano more loquamur, Lutheri sors erat.

Fridericus Elector omnia Erasmi scripta colligere studuerat. Illius non tantum eruditionem, ingenium, judicium sed etiam probitatem et sinceritatem permagni aestimabat. Alioquin Princeps in discernendis hominibus admodum cautus et providus, quum ad illius epistolam amantissime[1] responderet, non tam aperte de re gravissima sententiam suam protulisset. Scripsit enim sese, ‚quod Lutheri patrocinium suscepisset, id causae dedisse verius quam personae, neque se commissurum, ut in sua dicione supprimeretur innocentia eorum malitia, qui sua quaererent, non quae Jesu Christi.‘ Erasmus vicissim vix alium Principem tam sincera reverentia prosecutus est quam Fridericum, cui Suetonii editionem dedicaverat. Hunc patrueli ejus Georgio Duci, quem quondam administrandae finitimae Frisiae praefectum cognoverat, velut praeclarissimum exemplum proposuit. Admonet eum, ut scholam Lipsiacam similiter evehat, atque ille Vitebergensem, quam perpaucis annis omni et linguarum et litterarum genere reddiderit florentissimam. Idem laudat Fridericum, quod ea moderatione faverit optimis studiis, ut non sit veteris doctrinae patronis, quod de illo querantur. Celebrat ‚miram prudentiam dexteritatemque, qua dicionem suam ornet et locupletet, nulla finitimorum injuria sed omnium potius publico bono.‘ Denique saepius id valde admiratur, quod ille ‚pro magnitudine animi plus quam heroica contempserit ultro delatum imperium et pro singulari fide et integritate ei hoc decreverit, quem oneri ferendo judicasset unum omnium maxime idoneum.‘ Quibus narratis haec addit: ‚Ob hunc insignem animum ab nostris oblata triginta florenorum millia constantissime rejecit. Quumque urgeretur, ut saltem decem millia pateretur dari famulis, accipiant, inquit, si velint, attamen nemo manebit postridie apud me, qui vel aureum acceperit: ac postridie conscensis equis subduxit sese, ne pergerent esse molesti.‘[2]

Sic igitur Erasmum erga Fridericum, sic Fridericum erga Erasmum animatum fuisse recordari oportet, ut quanti momenti fuerit judicium illud, quod omnium aequalium eruditissimus et ingeniosissimus sollemniter ab eo postulatum Principi sapientissimo paulisper ante comitia Wormatiensia dederit, recte intellegatur. Nimirum Fridericus Elector vir erat pietate insignis, Romanae sedi addictissimus. Jam-

1) Amantissimam Erasmus hanc epistolam vocat, ipsi iterum respondens. Epp. V, 35 (36).

2) Epp. XIII, 4. Hoc compertissimum sibi retulisse dicit episcopum Leodiensem, qui adfuerit in comitiis illis. Cf. XIII, 40.

dudum vero Curiae corruptionem perspexerat ejusque superbiae et arrogantiae impatiens erat. Lutheri praedicatio publica et vita privata cum evangelio congruere ei videbatur, sciebat horrendum flagitium esse adversari agnitae veritati; tumultuariae condemnationis, quae satis tyrannico more de Luthero lata erat, exsecutorem se praebere conscientia prohibebatur. De tota causa judicium sibi ipsi non sumpsit, sed ut juste examinaretur et dijudicaretur desideravit. A probissimis juris consultis suis in eadem sententia confirmatus est. Ex altera parte pro pietate sua erga sedem Romanam dubitanter adhuc timebat, ne quid in Lutheri opinionibus inesset ecclesiae adversarium et perniciosum, quod ipsum suosque consiliarios fortasse fugeret. Dolebat moveri certamina; longe prospiciens non ignorabat, facile latius vagari posse hanc flammam. [1] Jam quum Carolus V., Aquisgrani coronatus, Coloniae conventum ageret, nuntii Papales, Aleander et Caracciolus, ad exsequendam bullam damnatoriam et ad comburendos ubique Lutheri libros missi, acriter institerunt et postulaverunt, ut Fridericus non solum idem in Saxonia faciendum curaret, verum etiam Lutherum vel supplicio affici, vel capi et Pontifici transmitti juberet. Quibus venerandus senex respondit, se id, nisi religiose inquisita re Lutherus convictus esset, non facturum; illum enim hucusque a multis viris piissimis eruditissimisque excusari. Deinde Erasmum, Coloniae tunc praesentem, qui antea jam in epistola supra memorata honorificam Lutheri mentionem fecerat, ad se arcessitum amanter oravit et contestatus est, ut suum liberrime de tota re judicium diceret. Qui collisis initio labiis et cunctabundus differebat responsum. Elector vero, ut in more habebat, si serio cum aliquo ei agendum erat, apertis eum oculis et graviter intuebatur. Tum ab ironia exorsus Erasmus in haec verba prorupit: Lutherus peccavit in duobus, nempe quod tetigit coronam Pontificis et ventres monachorum. Ad quae quum Elector subrisisset, ille sententiam suam graviter et ore pertexuit, et scriptam Spalatino, qui Friderico a secretis erat, protinus dedit. Lenitatem in Luthero desideravit; ceterum non solum summam doctrinae ejus probavit, sed etiam errorum, quos taxasset, emendationem ecclesiae necessariam esse dixit: ‚optimum quemque et evangelio proximum minime offensum esse Luthero, bullae vero saevitiam probos omnes offendere, Pontifici priorem esse suam quam Christi gloriam; duas academias damnasse Lutherum sed non convicisse; quae hucusque contra hunc scripta essent, etiam a theologis ei non adsentantibus

1) Cfr. cum hic quae Seckendorf I, 126 affert ex Melanchthonis Chronico.

improbari; mundum fatali desiderio evangelicae veritatis nunc ferri, nec odiose resistendum esse.‘

Quae Erasmi ‚axiomata‘ (sic enim inscripta erant) [1] quin ad confirmandum sapientissimi Electoris erga Lutherum animum summi momenti, immo ingentis ponderis fuerint, neminem dubitaturum esse arbitror, qui rerum atque personarum rationes supra expositas accurate consideraverit. Episcopus quidem Herbipolitanus similia eodem tempore Friderico respondit, sed quantivis ea Princeps fecerit, multo gravius Erasmi judicium ei visum est. Hic vero quae scripta Spalatino dederat mox impense oravit ut sibi redderentur, ne apud Aleandrum fraudi sibi forent. Quippe hunc tum maxime formidini atque horrori ei fuisse commemoravimus. Sed Erasmi desiderio Fridericus vetuit satisfieri. Publicari ejus judicium noluit (quod nihilominus aliquot mensibus post invitis atque nesciis Vitebergensibus Lipsiae factum est),[2] sed ipse illud auctoris manu scriptum retinendum sibi esse duxit. Nimirum hujus potissimum viri ejusque amicorum consensu fretus contra voluntatem sedis Romanae, cujus dignitatem summâ reverentia amplectebatur, in sua sententia fortiter perstitit, Nuntiis precibus ac postulatis Pontificis nomine eum fatigantibus et Coloniae et Wormatiae resistere perrexit, deinde Lutherum non modo a Curia excommunicatum, verum etiam ab Imperio proscriptum securo loco abscondi jussit, eumque anno post, quum inde contra ipsius consilium et voluntatem Vitebergam reversus esset, a munere iterum capessendo non impedivit. Quae omnia ita egit, ut a legitima Pontificum auctoritate immodicam eorum arrogantiam, quae paulatim irrepserat, atque pravum ac perversum etiam concessae potentiae usum cum Erasmo discerneret. Optime sciebat, quam recte ille Coloniae eam significasset odii in Lutherum causam esse quod et superbiam et avaritiam Romanam audacter impugnavisset. Indulgentias, a quibus totum discidium ortum erat, propter pecunias ex iis corradendas tam mordicus a Romanensibus, etiam ab ipso Cajetano Cardinali, defensas esse Fridericus satis clare viderat. Quam foeda isti praeterea mendacia et artificia ad eundem finem assequendum intenderent, ipse certissimis documen-

1) Seckendorf I, 125. Lutheri opp. latina var. arg. ed. Erlang. V, 239 ss.

2) Moleste id tulit Lutherus, qui ad Spalatinum Wormatiae versantem d. 27. m. Febr. a. 1521 haec scripsit: Male nos habent excusa axiomata illa Erasmi et Principis nostra responsa Lipsiae et nescio ubi ista curata sunt, ignorantibus nobis atque adeo mirantibus, unde exemplaria habuerint: nostra penes nos sunt. Nihil est ergo, quod nos in hac re accuses, molestissime ferentes eas editiones, quae et nos metu et jactantia suspectos faciunt.

tis jamdudum compertum habebat. Neque fugerat eum illius temporis Papas pro commodis suis bella, caedes, sanguinem nunquam reformidasse. Item probe perspexerat vulpinam Aleandri indolem, qui perfricto fronte Coloniae affirmaverat, ‚a Pontifice non peti Lutheri personam neque ejus sanguine manus illum illiturum esse.' Ad tuendum contra conjunctos hujus farinae sodales virum integrum multisque carissimum Elector officii conscientia tenebatur.

Neque tamen falsum erat, quod Coloniae per consiliarios suos Aleandro, Lutherum poscenti, respondit: ‚Electorem venerari Pontificiam dignitatem, neque quidquam commune cum Lutheri causa habere; viros probos et eruditos plurimos Lutherum excusare, neque constare Principi Electori, an libri ejus incendium mereantur, rogare eum igitur, ne id fiat sine causae cognitione; hanc aequis, eruditis, piis et non suspectis judicibus committi petit, ut Lutherus argumentis, doctis rationibus, piis et solidis Scripturis convincatur, quo facto se praestiturum, quae obedientissimum Ecclesiae filium deceant.'[1] Haec omnia quantopere cum iis congruant, quae Erasmum de Lutherano negotio saepenumero praedicasse vidimus, facile patet. Neque aliter de universa agendi ratione, quam postea sapientissimus Elector sequebatur, dicendum nobis est. Quam rationem Moshemius commemorata Friderici morte rectissime descripsit his verbis: ‚Ille, dum vixerat, medius veluti inter Pontificem Romanum et Lutherum steterat, nec desperaverat fore, ut pia et honesta pax, servata inter dissidentes pacis et legum communione, constitueretur.'[2] Non cogitabat egregius scriptor de Erasmo, cujus animus iisdem verbis accurate describi potest, similiterque saepe descriptus est. Haec addimus: cum illo Fridericus non tantum nimiam Lutheri acrimoniam et iracundiam improbabat, sed etiam dubitabat de nonnullis ejus dogmatis neque iis omnibus sine ullo discrimine assentiebatur. Immo id quod Erasmus doctissima sagacitate perceperat, ipse nativo quodam mentis intuitu intellegebat, ex parte videlicet quaestiones agitari, quae neque subito neque a singulis viris solvi possent. Praeterea veterum quarundam opinionum consuetudinumque, quas eruditorum princeps satis libero animo jamdudum in disceptationem vocaverat, veluti cultus sanctorum reliquiis praebiti, singulariter tenax erat. Simul vero et gaudebat, Lutherum ut summum decus universitatis, quam ipse

1) Seckendorf I, 125. Hoc Friderici responsum una cum Erasmi axiomatis Lipsiae typis excusum est. Cf. supra p. 272. 2) Historia ecclesiastica p. 580.

condiderat et foverat, a praestantissimis viris ubique celebrari; et in eodem, ut praeclaro sinceri evangelii praecone, cum Erasmo agnoscebat aliquid apostolici pectoris; quod illo etiam plenius perspiciebat et persentiscebat, quoniam vivam praedicatoris vocem saepe audiverat et Germanica scripta aedificationi inservientia perattente legerat. Propter solam veritatem audacter pronuntiatam Lutherum tanto odio esse Romanensibus, id ab aliis confirmari desideraverat, ipse vero jamdudum persuasum habebat. Itaque, quantum fieri poterat, a nimia quidem verborum vehementia et asperitate retinebat Lutherum; hic enim ipse confitetur, se licet irritatum in multis reverenter illum suspexisse, alioquin se saepius in Romanenses grassaturum fuisse.[1] Neque tamen religiosissimus princeps in ipsa re illum impedivit. Quin etiam ea, quae ipso invito, quum Lutherus in arce Thuringica delitesceret, in Vitebergensis ecclesiae ritibus partim turbulente mutata sunt, ipse vi reprimere non ausus est. Mali aliquid tolerari quam bonum prohiberi maluit. Recordabatur nimirum verborum, quae Erasmus ei et dixerat et scripserat, ,mundum fatali desiderio evangelicae veritatis nunc ferri, nec odiose resistendum esse.' Audiebat Lutherum monentem, in ingeniorum certamine plenissimam libertatem concedendam esse omnibus, ut sola vi insita victrix esset veritas. Quare etiam eos tuebatur, qui in Romanae Curiae oboedientia remanere, quam ipsum evangelium sequi malebant. Quod ad consuetas cultus divini formas pertinet, ipse ad illos inclinabat. Moriturus demum coenam sacram sub utraque specie sumpsit.

Quae quum ita sint, ipse Erasmus, si Friderico superstite Vitebergam se contulisset, vix aliquid improbandum sibi illic invenisset, sed pro admiranda, qua excellebat, sagacitate divinasset fortasse, adjuvante suo ingenio futuri cujusdam aevi semina illic maxime praeparari. Proficiscendi illuc desiderium saepius testatus est. Jam paulo ante quam cum Friderico Coloniae congressus est, Spalatino scripserat: ,Utinam ea felicitas mihi contingat in vita, ut inclytum Principem cum academia florenti videre liceat. Ni fallor hoc autumno aditurus sum Germaniam: adnitar invisere vos, si modo tuto liceat.'

Sed longe alia facta est rerum Vitebergensium condicio, quum Friderico frater eius Iohannes in regno successisset. Hic enim evangelicam praedicationem et reformationem civilis potestatis auxilio non tantum tutari verum etiam promovere studuit. Quem in Germania multi et Principes et liberarum civitatum magistratus imitati sunt. Id

---

1) Briefe 1, 466 s.

quoque, quia Curia Romana christianum officium suum neglegebat, haud absonum videbatur ab Erasmi consiliis, quae supra memoravimus. Sed hic junctos omnes volebat Occidentis vel saltem Germaniae Principes ecclesiae reformationi prospicere, nunc vero singuli, prout cuique placuit, hoc munus suscipiebant. Unde in tanta hominum multitudine, quorum pauci pietate, eruditione, ingenio tantae rei pares erant, multi Romanensium odio magis quam Dei amore impellebantur, magna imminere videbatur omnium rerum confusio. Quam quomodo Evangelici laudabiliter, licet non sine humana labe, evitaverint, nobis ostendendum est.

Jam tunc illi idem docebant, quod postea in confessione Augustana scriptum est, ad veram unitatem ecclesiae satis esse consentire de doctrina evangelii et administratione sacramentorum. Ejusmodi consensum inter ‚homines bonae voluntatis' non difficilem fore, multi piissimi tunc probissimique viri firmiter credebant. Neque vana eorum fiducia erat, quatenus verbi et spiritus divini potentia nitebantur. Simplex et sincerum evangelium, quo praedicando Lutherus tot aequalibus anteibat, divinam vim suam in multorum hominum cordibus iterum atque iterum exseruit. Hoc evangelium ille etiam adversus fanaticos et perversos ejusdem aetatis sectarios, novis revelationibus divinis gloriantes, prophetae instar vindicavit. Verumtamen vitare vix poterat vir summus, ne, ubi simplex evangelium sequi sibi videbatur, inscius et invitus passim illi admisceret sententias theologicas et philosophicas, quas partim a praeteriti temporis doctoribus receperat. Quippe etiam philosophicas quasdam opiniones, ex scholastica doctrina haustas, Lutherum in exolendis nonnullis dogmatis, ut in eo quod ad sacram coenam spectat, secutum esse constat. Itaque factum est, ut cum iis, quae vere divina protulit, humani aliquid conjungeret, quod ab illis non discernebat. Id etiam in atrocitate et injustitia, qua Zvinglium ejusque amicos, velut ipsius Christi desertores, oppugnavit, conspicuum erat. Quare singularis Lutheri auctoritas, ad quam exercendam necessitate quadam coactus est, non ubique, sicuti ipse desiderabat et arbitrabatur, sincerae veritati evangelicae inserviit. Haec tamen longe praevaluit. Atque temperabat aliquo modo illius festinationem erudita Melanchthonis moderatio.

Cum hac igitur auctoritate spirituali auctoritas civilis foedus illud iniit, quod, licet humana vitia et incommoda secum tulerit neque eodem modo durare semper possit, tamen quanta bona per plura secula procreaverit indicavimus. Quare grata memoria Iohanni Electori, licet in nonnullis erraverit et peccaverit, jure debetur. Quantam vero rerum

mutationem suo tempore effecerit, allatis egregiis Moshemii verbis describemus. Qui de Friderico Sapiente locutus haec adjicit:

,Alia mens fratri ejus et haeredi, Iohanni, erat; qui quum de veritate dogmatum Lutheri certissimus esset, planeque intellegeret, fieri nullo modo posse, ut salva Pontificis auctoritate haec salva permanerent, jus sibi sacrorum prorsus arrogabat, atque ecclesiam a pontificia discrepantem formare ac constituere non dubitabat. Quocirca non modo leges de forma constitutionis et gubernationis sacrae, de cultus publici rationibus, de sacerdotum officiis et fructibus aliisque rebus ad rei sacrae salutem pertinentibus a Luthero et Melanchthone conscribi et anno millesimo quingentesimo vicesimo septimo promulgari per legatos jubebat, sed etiam providebat, ut probi et idonei doctores, extrusis ineptis, omnibus coetibus praeficerentur. Hoc exemplum reliqui Principes et respublicae Germanorum, quae Romani antistitis dominationem repudiaverant, paulo post ita imitabantur, ut eadem fere, quae ille, instituta suis praescriberent. Hunc igitur Iohannem haud male aliquis alterum Lutheranae ecclesiae conditorem et parentem dixerit, quod saluberrimis eam legibus sepsit et a Romana prorsus seclusit. Sed ab huius etiam tempore initium ducit Principum Germaniae de re sacra et religione dissensio, quae antea modica fuerat. Prudentia Friderici, Sapientis, animos vinctos veluti ac ligatos tenebat. At Iohannes frater ejus, quum testatissimum multis rebus faceret, se terrarum suarum ecclesiam a Romana sejungere prorsus velle, dissiliebant repente Principum animi, antea mediocriter tantum disjuncti, aliis antiquam majorum religionem, aliis emendatam praeferentibus.' [1]

Sic inexspectata subito incrementa cepit discidium illud, quod per secula duraturum atque inprimis Germaniae perniciosum futurum esse Erasmus plus semel praedixerat. Iam in imperio Germanico duae potentes ecclesiae altera contra alteram stabant; catholicae et evangelicae nomina primum, quod quidem meminerim, apud Vicelium juxta posita inveni. Utraque eundem Deum eundemque Servatorem colebat, sed tam diversis doctrinae et cultus formis, ut benigna concordiae restitutio, quam utrimque multi adhuc sperabant, quovis anno difficilior fieri videretur. Evangelici sive Lutherani (nam hoc nomen invito primum Luthero paulatim inter Germanos praevaluit) ab ecclesia vere catholica se non sejunctos esse declarabant, in praesentia Romanam ecclesiam non amplius esse catholico nomine dignam, utpote quae men-

1) Moshemii hist. eccl. p. 581.

daciis, mundana dominandi libidine, sanguinolenta violentia probaret, se a Diabolo esse deceptam. Romanocatholici Lutheranos non ecclesiam christianam sed abominandam sectam esse dicebant, omnes fere omnium temporum haereses a Diabolo seminatas complectentem; quare hos, ubi fieri posset, exstinguendos esse atque ab omnibus Christianis contra eos Principes et magistratus, qui illam sectam tuerentur, bellum parandum. Ad hanc sententiam Carolum Caesarem inclinare manifestum erat. Cui armis resistendum non esse sed martyrium potius pro evangelio subeundum Lutherus initio Johanni Electori persuasit; paulatim demum jurisconsultis cessit docentibus, Imperatori, si potestate sua abuteretur, ex jure imperii fas esse principes resistere. Semper tamen Lutherus pro pace nisus est et quoad vixit bellum pro sacris suscipiendum evitavit.

Neque vero mirum, quod Evangelici, a tantis tamque diversis periculis circumdati, plenissimam illam conscientiae et religionis libertatem servari non posse putabant, quam Erasmus velut sinceri evangelii propriam animo semper tenuit et usque ad vitae finem audacibus saepe verbis defendit. Hanc priore tempore etiam Lutherus fortissime praedicaverat et postulaverat. Postea quum e Wartburgo redux urgente rerum condicione ad gubernandam quodam modo ecclesiam Vitebergensem vocatus esset, intellexit ecclesiam, quamquam ‚proprie sit congregatio sanctorum et vere credentium', tamen in hac vita etiam ‚paedagogum ad Christum' esse. Itaque ad instituendam in illa disciplinam quandam civilium magistratuum auxilium repudiandum non esse censuit. Quod post horrendum bellum rusticanum, quo ardente Fridericus Sapiens de vita decessit, liquere maxime videbatur. Reprimendi erant fanatici homines, qui per Germaniam vagantes evangelicae libertatis praetextu seditionis semina denuo spargebant. Contra hos ‚non sine causa gladium portabant' magistratus civiles. Deinde vero eorundem officium videbatur esse Romanenses quoque arcere, qui iis, quae in Aleandro descripsimus, auxiliis freti, jam gladiis et rogis in pios evangelii confessores saevire coeperant. Lutherus propter religionem supplicio quemquam affici, semper prohibuit, sed ad servandam publicam disciplinam Romanenses exilio multare non dubitavit. Denique etiam sacramentarios, quos vocabat, quoniam non consentirent de doctrina evangelii, eodem modo tractare fas existimavit.

Haec omnia Erasmo valde displicuisse, immo dolori fuisse facile intellegitur. Nihilominus paci, quantum poterat, prospicere nunquam desiit. Qua in re magni aliquid et pulchri jure agnoscitur. Etenim

illius spes sola fide et caritate christiana nitebatur. Pro humano judicio de restituenda concordia prorsus desperandum esse, nemo clarius tunc quam ipse perspexit. Inprimis accurate vidit, etiam seditionibus, quae in Germania eruperant, haud parum crevisse alterius partis adversus alteram inimicitiam, etsi in sedandis illis utrique conjuncti fuerint. Neque eum fugit Lutherum, turbis illis vehementer commotum, jam aliter de quibusdam rebus quam antea judicare. Equites Sickingio duce rebellantes evangelii causam prae se non tulerant. Sed plures eorum Luthero auxilium suum obtulerant. Atque illorum tumultu oppresso Huttenus, quasi propugnator esset evangelii, quo valde indignum in vita se praebebat, Erasmum velut veritatis apostatam venenato libello aggressus est. In bello rusticano, quamquam variae ejus causae fuerant, etiam evangelicae libertatis patuit abusum factum esse. De nefandis flagitiis, tunc per universam fere Germaniam propagatis, Erasmus e propinquo certior factus est. Post illas turbas haud paucos a Luthero, ad quem hucusque inclinaverant, prorsus aversos esse vidit. Ipse recordatus est, quoties periculum ab excitata multitudine timendum frustra indicasset. Neque tamen unquam Lutherum sua sponte seditionem commovisse dixit, sed sermonibus incautis et paradoxis invitum illum rudis plebis animos instigasse putavit. Immo etiam id in oblivionem adducere poterat, nisi eodem anno, quò bellum rusticanum exarserat, Lutherus et suis et Erasmi hostibus summum gaudium eo parasset, quod hunc, quem jam antea pluries laeserat, injustissimis ex parte saevissimisque opprobriis petiit. Erasmus unum ejus dogma, quod de praedestinatione erat, idque non hostiliter, sed velut in quaerenda evangelica veritate socius, impugnaverat. Lutherus illum ut scepticum Christianismi contemptorem et eversorem, vix additis lenimentis quibusdam, increpitavit. Eundem inde ab eo tempore, licet generoso animo pacis studiosum, plus semel atrociter reppulit et rejecit. Sic una cum eo multos alios viros eruditos, qui in gravissimis rebus cum Vitebergensibus consentiebant, invitos papisticae tyrannidos, jam decrescentis atque labantis, adjutores reddidit.

Haec tamen non sine aliqua ipsius Erasmi culpa facta esse apparet. Erant in ejus indole et agendi ratione, quae firmum et rectum virum, qualis Lutherus erat, non irritare non poterant. Animum tanto ingenio dignum vel sinceros quosdam admiratores et amicos interdum in eo desiderasse vidimus. Ex his Albertus Durerus, summus pingendi artifex, quum in Hollandia peregrinans rumorem audivisset de Luthero post comitia Wormatiensia a Romanensibus sub-

dole capto, quid ipse nunc ab Erasmo exspectaret, ardentibus verbis, sed dubitanter tantum, expressit.[1] Voluit ut ille tamquam ‚Christi eques' veritatem palam defenderet atque, si adversarii eum vi opprimerent, martyris coronam nancisceretur. Nesciebat sane Durerus, quae tum Erasmum diverse trahebant. Hunc et Papae bullam et Caesaris edictum contra Lutherum proclamatum satis aperte condemnasse, judicium vero de tota illius causa ferendum propter conscientiam detrectasse ostendimus. Nihilominus eo maxime tempore vituperandus erat, quod nimis tutus procellamque timens humi serperet atque culpae vitandae causa in vitium duceretur. Permulti enim utriusque partis sodales clarissime perspexerant, Lutheri ausum ab Erasmo magnam partem praeparatum fuisse. Illo igitur, ut videbatur, e medio sublato hujus erat declarare quid probasset in illo, quid non probasset. Licet in singulis fortasse erraturus deserere non debebat sententiae dicendae officium. Jure meritoque utraque pars postulavit, ut tantus vir, quantus ab omnibus habebatur, de eo negotio, quod aequalium animos sicut nullum fere aliud mirum quantum suspensos tenebat, prout poterat ex fide bona arbitrium proferret.

Sentiebat id ipse Erasmus. Eodem enim tempore moliebatur scriptum, quo et de opere a Luthero incepto et de dogmatis ejus et de exorti discidii remediis quidquid dicendum habebat comprehensurus erat. Est ‚de finiendo Lutherano negotio' libellus, cujus anno post comitia Wormatiensia mentionem facit in litteris ad Glapionem datis. Dicit ‚se nonnihil ejus aggressum esse, sed valetudinem interrupisse omnia studia.' Formam in scribendo adhibiturus erat dialogorum. His proposuerat sibi explicare, quomodo ecclesiae morbus ita persanandus esset, ut usque non rediret. Quod sine dubio iisdem voluit rationibus effici, quas judicio Wormatiam misso indicaverat, ita nimirum ut Curia ab omnibus violentis crudelibusque auxiliis desisteret, ea vero, quae reformanda in ecclesia Lutherus recte significasset, statim quam prudentissime reformarentur. Hujusmodi consilia eum iterum, sed fusius, exhibiturum fuisse opusculo illo, etiam ex paucis iis conjectare licet, quae sola de illius argumento scripta reliquit in ‚catalogo lucubrationum'. Illic enim diserte memorat ‚secretum consilium suum Monarchis oblatum', idem sine dubio de quo

---

1) In Dureri diurnis commentarius; qui leguntur in: v. Murr, Journal der Kunstgeschichte VII cf. p. 91—93.

supra diximus.[1] De novo vero opusculo, quod ad eundem finem componere coeperat, haecce ibidem leguntur:

,Tribus dialogis pridem aggressi sumus collationem verius quam disputationem de negotio Martini Lutheri sed mutatis nominibus. Nam Thrasybulus Lutheri partes aget, Eubulus diversas, Philalethes aget arbitrum. Primus dialogus inquiret, an expedierit hac via rem tractari, etiamsi Lutherus omnia vere scripsisset. Secundus excutiet aliquot illius dogmata. Tertius ostendet viam, qua tumultus hic ita possit sopiri, ut in posterum haud facile repullescat. Res peragetur inter duos absque convicio, nulla contentione, nullo fuco; tantum nude simplex et rusticana veritas proponetur, tanta veritate tantaque moderatione, ut majus periculum videatur, ne mihi succenseat pars diversa, videlicet lenitatem meam interpretans collusionem, quam Lutherus ipse, si modo micam ullam habet ejus mentis, quam multi de eo praedicant; et ego certe gratulor si habet: opto si non habet.'

Dubitabat igitur tunc Erasmus, ut alias dicit, de Lutheri spiritu. Sese Pelagianum et palponem vocari adnotat a Lutheranis, quos a Luthero semper distinguit; etiam hic vero propter causas, quas infra accuratius explicabimus, saepius satis injuste et incaute de Erasmo locutus erat. Erasmi sententia illa de Luthero nec prudentia nec christiana caritate caret. Neque ignavi hominis esse existimabimus tantam spem palam praedicare de viro, quem Pontifex et Caesar condemnaverant et exstinguendum ex humana societate declaraverant, praesertim si bene ea perpenderimus, quae adjicit Erasmus. ,Multa intercurrerunt', inquit, ,quae me non patiebantur longius in opere coepto progredi, quam ad unam aut alteram pagellam, ut opus conceptum sit magis quam coeptum: quamquam et alias ab hoc scripti genere satis abhorreo. Odi cruenta dissidia, lusibus innoxiis magis capior, velut huc natus. Tum mihi probe conscius sum, quantum Herculem haec res postulet et quantulus ego sim pygmaeus. Ac prorsus nondum mihi satis decretum est, an velim, quod institutum est absolvere. Siquidem video partem utramque sic esse accensam, ut aut tota velit vincere, aut tota perire. Porro altera devicta magnam evangelicae veritatis ac libertatis ruinam secum trahet; altera non opprimetur, nisi perniciosissimo orbis tumultu, qui multos etiam innoxios involvet. Ego malim rem ita componi, ut utraque pars victoriam concedat veritati et gloriae Christi.'

---

1) Cf. supra p. 229 ss.

Haec in priore Catalogi illius editione scripsit Erasmus. Evenit quod metuerat. Jam pauca illa, quae de proposito suo prodiderat, saevam utriusque partis iram excitaverunt. Fremuerunt Romanocatholici propter ea, quae de veritate et libertate evangelica cum Lutheri negotio consociatis tam splendide dixerat. Alii quidam, qui ‚Evangelicos se vocari gaudebant‘, paene ad rabiem adacti sunt, quod Erasmus non omnia in Luthero probaturus erat, ‚quasi piaculum esset lapidatione publica dignum cum Luthero vel discendi gratia disputare.‘ Itaque in altera Catalogi illius editione, quae prodiit initio anni millesimi quingentesimi vicesimi quarti, Erasmus haec verba addidit memoratu digna: ‚Ego vix ulli concesserim ut magis faveat evangelio quam faveo. Ceterum hoc negotium ea moderatione tractari cupiebam, ut absque seditione fieret omnium commune. Proinde scripto publico spem feci hujus argumenti, captans id quod optabam, ut utraque pars amore concordiae hortaretur me ad promissi voluminis editionem. Et hac de re nonnihil actum est apud Caesarem.[1] Sed ut animadverti neutram partem de se praebere spem componendi dissidii, nolui frustra sumere operam, utriusque malam gratiam initurus mea sedulitate. Nunc precor, ut Dominus Jesus, qui solus potest, has rerum undas et hanc ecclesiae tempestatem jussu suo tranquillet.‘

Mirum est quod Erasmus, in componendis libris suis incredibili ingenii facilitate alioqui insignis, illius opusculi laborem tanti fecit, ut eum subire nisi utriusque partis exhortatione incitatus nullo modo vellet. Utinam haud multo post comitia Wormatiensia dialogos illos usitata celeritate perfecisset. Lectores illis non defuissent avidi multi, dociles nonnulli. Etiam inter Saxones tunc regnante Friderico plures quam paucis annis post inveniebantur, qui Erasmi consilia plane et lucide exposita recte intellegerent justeque ponderarent. Neque illum, si totum argumentum quod proposuerat persecutus esset, quisquam obsequii et assentationis serio incusasset, sed quaecunque scripsisset, sua sponte propriaque voluntate eum scripsisse apparuisset. Sic fortasse hostile Lutheri et Erasmi discidium evitari poterat, quod quam perniciosum universae Germaniae fuerit significavimus. Denique Erasmus, sive profecisset aliquid sive nihil profecisse visus esset, certe magnum ac grave officium haud frustra implevisset.

Nunc vero, praetexta opusculi illius difficultate, ea quae minus molesta existimabat iis quae honestiora erant praetulit. Ludit quidem

1) Pretio dignum erit, hujus rei, ad quam Erasmus publice provocare non dubitat, vestigia quaerere.

et calumniatur se ipse, quum ad lusus innoxios se natum sibi videri declarat. Nam gravissimis utilissimisque studiis theologicis tum occupatum eum fuisse scimus. Sed haec cum proprio ejus ingenio magis congruebant; ejusmodi labore delectabatur. Inter Lutheri scripta erant nonnulla, quae ut ,apostolicum pectus spirantia' summi faciebat; alia valde displicuerunt; in aliis, quae plane se non intellegere confitetur, tam alienum a suo ingenium odoratus est, ut multo cum taedio vix aliquot paginas perlegeret; germanice composita prorsus omittebat. Ceterum similiter Lutherus seriore tempore, tot aliis negotiis occupatus, ab Erasmi libris se abhorruisse fatetur; ipse rursus illius ingenium a suo alienissimum esse sentiebat. Ideoque id quod illi debebat quodque semper cum eo habebat commune neglegebat. Erasmus, ut de Luthero justam sententiam ferret, omnia ejus scripta, quantum fieri posset, perlustranda religioseque examinanda sibi esse optime videbat, sed taedebat eum hujus quasi Herculei laboris. Hac maxime re, licet aliis causis accedentibus, eum deterritum esse, quominus opusculum de quo diximus perficeret, ipse quidem non testatur, nos vero facile perspicimus. Itaque factum est, ut quamdiu poterat sileret, deinde vero rerum condicione ad scribendum coactus, relicto grandiore illo, quod inceperat, proposito, singulum quoddam Lutheri dogma impugnandum sibi eligeret. Satis prudenter et moderate scripsit de libero arbitrio. Sed interim, quum, neque evangelium neque Romanae ecclesiae unitatem deserturus, medium cursum non sine dubiis interdum artibus tenuisset, suspicio, qua Lutherus illum urgebat, in dies aucta erat; in ipso uno illo dogmate tractando diversa utriusque viri indoles mirifice se manifestavit; itaque libellis inter se certantes etiam magis quam antea alter ab altero abalienati sunt. Quae omnia ut illustremus, incipiendum nobis est ab utriusque viri theologia, quam sequente capite breviter explicabimus.

XII.

Lutherus et Erasmus quum eandem christianam veritatem doctrina et vita exprimere studerent, diversis in contemplanda illa rationibus usi sunt, unde factum, ut ex parte se invicem non intellegerent et alter in altero saepe quae falsa erant potius quam quae recta viderent. In pluribus tamen quam plerique opinantur inter se consentiebant. Id quoniam supra jam significavi, nunc accuratius mihi ita ostendendum est, ut simul quibusnam sententiis inter se differant appareat.

Non minus firmiter quam Lutherus Erasmus tenebat, ;
Christianismi indolem in ipsius Christi persona esse positan
saepius omnium rerum ,centrum' et ,scopum' esse dicit. I
in epistola dedicatoria, quam anno illius seculi octavo decin
enchiridii christiani editioni praemisit, non vult coelestem Chri
sophiam humanis decretis contaminari. ,Maneat Christus, ir
quod est, centrum, ambientibus circulis aliquot. Noli sco
movere loco.'[1] Paulo fusius in epistola ad Slechtam evangelii
in eo esse sitam exponit, ut intellegendum nobis sit, ,omn
nostram in Deo esse positam, qui gratis nobis largiatur o
filium suum Jesum; hujus morte nos esse redemptos, in huju
nos insitos esse per baptismum, ut, mortui cupiditatibus huju
ad illius doctrinam et exemplum vivamus, nihil tamen boni n
arrogemus, sed quidquid est boni Deo transscribamus.' Et in
de ratione verae theologiae haec leguntur: ,Nostra sapientia
est, nostra puritas impuritas est. Ad haec omnia nobis est
et justitia et pax et sapientia idque ex largitate patris, qui
gratis dilexit nos et hoc ipsum gratis praestitit, ut illum red
,Ideo venit tantus legatus, ut ingens amoris incendium exc
ob id ignem vocat. Magna est naturae caritas, at haec pra
caritate glacies est. Jam apud Joannem totum hoc, quod
quod agit apud discipulos imminente mortis tempore, quid ali
quid aliud spirat, quam igneam atque flagrantissimam caritaten
est caritas illa, morte fortior, quae amantem ad mortis us
temptum inflammat, quae efficit quod nulla possunt humana p

Hoc igitur animo et sensu jam ante Lutherum Erasmus
centrum et scopum christianae religionis esse profitebatur.
tos docuit, qui postea emendatae ecclesiae decora facti su
Erasmo Oecolampadius didicisse se declarat, nihil in sacris lit
Christum quaerendum esse, ab Erasmo Urbanus Rhegius, a
Christianos pertinere sacras litteras. Ab illo Justus Jonas mo
nihil aliud nisi Christum in ecclesia praedicandum esse. M
Joannes a Lasco[2], postquam grato animo memoravit, quantum
et scriptis et ore adulescens quondam ad proficiendum in bon
acceperit, hoc addere non omittit: ,Erasmus mihi auctor fuit
mum ad sacra adjicerem, immo vero ille primus me in vera
instituere coepit.' Quorum similia testimonia colligere mu
difficile erit.

1) Epp. XXIII, 7. 2) Opp. ed. Kuyper II. 569.

Cum universa illa, quam diximus, christianae religionis contemplandae ratione arctissime cohaeret, quod Erasmus non tantum Pelagianismum disertis verbis improbat, sed etiam eam sententiam non amplectitur, quam in sui temporis scholis dominantem Pelagianismo proximam esse dicit, per opera nimirum moraliter bona ex naturae viribus hominem eo pervenire, ut Dei bonitas gratiam non neget praestanti quod in ipso est. Se Augustinum potius sequi profitetur, quippe qui vitae christianae initium, progressum et finem gratiae divinae tribuat. At in medio quasi hoc cursu humanam libertatem prodeuntem aut naturae vires animique studia accommodare posse ad gratiam operantem, aut ei deesse posse; hoc enim fieri, si homo vel pulsantem spernat, vel si quod gratiae Dei debeatur suis meritis arroget, vel si post gustatum Dei donum redeat ad vomitum.

His omnibus Erasmus ad Lutherum prope accedit. Etiam a doctrina de justificatione per fidem non alienum eum fuisse jam supra ostendimus. Hac ex parte postea ipse Amsdorfius, orthodoxiae Lutheranae tenacissimus, recte illum docuisse agnoscit.[1] Sed doctrinam illam universae christianae institutionis, qualem Paulus apostolus in epistola ad Romanos proponit, quasi centrum esse, unde proficiscendum sit ut evangelii desiderio, in tot aequalium animis excitatis, vere satisfiat, id non Erasmus, sed solus Lutherus clare perspexit. Sic spiritu vere apostolico in mortalium animis intimum illum et potentem sensum resuscitavit, a quo magis minusve puro omnes altissimi in ecclesia christiana motus emanaverunt, humani peccati et divinae gratiae conscientiam.

Addidit vero Lutherus sententias quasdam, quae Erasmo non sine causa durae esse videbantur. Etenim cum sancto Augustino, quantum divinae gratiae deberemus, recte, neminem ponderare putavit nisi qui agnosceret solam illam gratiam omnipotentia sua, cui resistere nemo posset, efficere in praedestinatis fidem, caritatem, novam vitam; ante hanc regenerationem hominem naturalem nil nisi malum perpetrare posse, postea regeneratum eadem inevitabili necessitate, qua ad fidem perductus esset trahi quoque per divinam gratiam ad omne bonum perficiendum. Sic tantum omne proprium, quo homo gloriaretur, meritum auferri et excludi censuit. Quare absolutae, quae dicitur, praedestinationis dogma acriter haud semel proposuit.

---

1) In libello, qui inscribitur: Consilium et ratio epistolae de Erasmo ad Lutherum Viteb. 1534 a III.

Eousque vel cum Augustino, vel cum Luthero omnibusque fere ejus amicis, imprimis Melanchthone, qui prorsus eandem tunc sententiam tenebat, Erasmus progredi non poterat. Recti aliquid persequentes ultra metam progressi esse ei videbantur. Nimirum ad ipsa christianae religionis mysteria amplectenda alia atque illi via pervenerat. Pro insignibus, quibus divinitus pollebat, ingenii dotibus veritatem inde a pueritia indefesso labore quaerere nixus, paulatim erudito ac religioso sacrae scripturae studio puriorem quandam altioremque theologiam, quam quae a scholasticis docebatur, nactus erat. Tamen neque vel ea, quae jam ab initio vera rectaque, licet cum erroribus conjuncta, comprehenderat et tenuerat, parvi unquam fecit, neque nunc theologiam suam omnis erroris expertem esse putavit. Sed sincerum veri studium nunquam frustra esse persuasum habebat. Saepius provocat ad Pauli verbum, quo Deum non longinquum esse ab unoquoque nostrum, nos in eo vivere, moveri et esse proclamet atque testem divini nostri generis etiam ethnicum poëtam adducat; itaque in humana natura, quamvis peccato maculata, superesse aliquid docet, quo ad cognitionem quandam Dei et voluntatis ejus aspirare possit; sed perfectam non reddi hanc cognitionem nisi adjuvante spiritu sancto, revelatione Dei in Christo facta, in cujus persona etiam ipsa humana natura, cum divina unita, ad perfectionem demum provecta sit; hunc e coelo venisse, ut ‚novum quendam populum in terris institueret, qui totus e coelo penderet, et omnibus hujus mundi praesidiis diffisus alio quodam modo dives esset, sapiens, nobilis, potens, felix.' Sic vera ejus coetus membra, dum suis quaeque variis donis unum Dominum adorent sibique invicem inserviant, in coelestem indolem quasi transfigurari ait.

Hac universa theologiae ratione Erasmus Graecae ecclesiae patribus similem se praebet, ex quibus Origeni, Athanasio, Nazianzeno, Basilio, Chrysostomo plurimum tribuit multumque operae dedit. Ad illorum antesignanum Originem summo studio tractandum etiam postremis vitae diebus rediit. Itaque similiter atque illi omnes tum residuum in naturali homine liberum arbitrium, quod *αὐτεξούσιον* Graeci vocant, summi momenti aestimavit, tum hac ex parte interdum ad sententias Pelagianismo proximas delabi invitus videtur, ita tamen, ut quantum discriminis sit, quisquis totum sententiarum nexum aeque probeque examinat, mox perspiciat. Quin immo arctius quam Graeci humanae naturae (ut his verbis utar) exaltationem et transfigurationem, quam illi etiam *θεοποίησιν* nominant, cum redemptione per Christi sanguinem facta conjungit. Hujus mortem intueri vitam esse dicit; ‚tantam vim habere Christi pro nobis crucifixi contemplationem, ut

desperatio vertatur in spem, spes in exsultationem.' Qua in re cum ab Augustino pendet, tum a Paulo apostolo, cujus scripta eum jampridem volvenda et revolvenda tanquam praestantissima Judaismi illorum temporum remedia praedicasse ostendimus.

Quapropter aliter, quam plerumque fit, etiam ea percensenda sunt, quae ab adversariis sive catholicis sive evangelicis summo ei opprobrio vertebantur: sententias dico, quas ab Augustinianis quidem diversissimas de nobilioribus ethnicae antiquitatis ingeniis ferre solitus est. Quae enim in his passim elucent, excelsior spiritus, sublimior atque dignior de Deo animaeque immortalitate cogitatio, indefessum virtutis studium et pro recto veroque suscepti labores, ea omnia non tantum ex residua divina hominis imagine derivat, sed etiam ex praeveniente Dei gratia, quippe quam longe latius patere quam plerique existiment saepissime profiteatur, hac ex parte antiquissimorum Graecorum patrum, Justini martyris et Clementis Alexandrini, haud dissimilis, quamvis eorum mentionem in ea re non faciat. Ceterum Zvinglius totus eum in hac re secutus est, aliquatenus etiam Lutherus. Vix enim casu factum esse quispiam putaverit, ut sicuti Erasmus eorum, de quibus salute sperandum sit, exemplum Ciceronem saepius affert licet vitia et hominis et scriptoris non sileat, ita postea Lutherus scriptis et colloquiis suis eundem Tullium, cujus libros quosdam attente legerat, tanquam virum ,carissimum, serium, aeternarum rerum studiosum' non minus saepe honorificentissime commemoret et ,quanta ille passus sit et fecerit' recordatus, plus semel sperare se profiteatur, Deum ei ejusque similibus propitium fore. Addit non nostrum hic esse illud dicere et definire vel dispensationis divinae in novo coelo et terra futurae scire tempora et modos.[1]

Quodsi Erasmo, qui universali Dei gratia confidebat, non tantum certius de illa re persuasum erat, sed etiam quaedam ad eam spectantia haud satis cauto exactoque judicio prolata exciderunt, tamen qui idcirco eum ethnicam antiquitatem cum christianismo aequare opinantur, vel praejudicii malevolentia vel parum accurata seriaque scriptorum ejus lectione decepti sunt. Infestissimos enim per totam vitam inimicos eos ille habuit, qui bonorum studiorum humanitate contenti redemtione per Christum facta carere se posse putabant. Hos ibi consistere ait, unde ad altiora nitendum sit; omnes enim homines nisi

1) Cf. Verba indubitatae fidei in colloquiis Lutheri a Lauterbachio a. 1538 conscriptis (Lauterbach's Tagebuch ed. Seidemann), ex parte Germanica: Ich hoff unser Herrgott wird ihm und seinesgleichen auch gnädig sein p. 103; Ich hoff Gott wird Ciceronem et tales homines auch remissione peccatorum helfen p. 94.

per Christum ad veram perfectionem et felicitatem pervenire non posse. Quare primus tunc, ut vidimus, inter viros eruditos evangelii inter gentes propagandi Christianos commonefecit. Neque Turcis, quos saepissime memorat, unius Dei fidem sine Christo ad salutem sufficere putabat. Illos non tantum armis sed etiam evangelio superandos esse, solus fere inter sui temporis eruditos viros enixe admonet. Id ut fiat, sacra biblia in eorum linguam vertenda dicit, praeterea christianae reipublicae esse, scriptis ad eorum captum et ingenium accommodatis religionem nostram illis exponere, quod officium eximiis quibusdam viris mandari vult. In ‚consultatione de bello Turcico' mira fiducia ad eandem rem revertitur. ‚Subjectis Turcis', inquit, ‚id potissimum agendum, ut victos se esse gaudeant. Ad id praecipue conducet, si viderint, Christianismum non esse verba, sed in nobis conspexerint mores evangelio dignos; tum si mittantur in messem integri praecones, qui non quaerant quae sua sunt, sed quae Jesu Christi; postremo, si qui nondum possunt allici, sinantur aliquamdiu suis vivere legibus, donec paulatim nobiscum coalescant. Sic olim imperatores christiani aboleverunt paganismum.'

Ex his omnibus liquido patet, quantopere Erasmus cum singulorum hominum, tum universarum gentium salutem in sola Christi fide posuerit. Neque unquam dubitavit, quin haec fides per omnem quondam terram victrix futura esset. De Turcis inprimis, quum eorum imperium in summo potentiae flore esset, ita illa scripsisse videtur, quasi quae nunc fiunt jam divinasset. Nostrae enim aetati, qua permultos Muhammedanos jam Christianis subjectos conspicimus, consilia illa optime conveniunt. In quibus etiam id memoria dignissimum est, quod pari animi ardore propagandam sinceram religionem christianam et tuendam conscientiae libertatem amplectitur.

Nimirum quae de humana libertate docet, cum iis etiam Christianorum leges et consuetudines congruas reddere studet. Quem finem quavis data occasione sequitur. Immo tanta audacia hanc rem coram ipsis pontificibus agit, ut vir cautus alias et circumspectus interdum nobilis illius Hispani nos commonefaciat, quem poëta noster ad Philippum II. loquentem in scenam introducit. Sic ad Leonem X. verba scribit: ‚Libera ac generosa ingenia doceri gaudent, cogi nolunt', et ad Adrianum VI: ‚Praebeatur mundo spes mutandorum, quibus non injuria queritur se gravari: ad libertatis dulce nomen respirabunt omnes.' Eodem consilio parvulorum baptizatorum confirmationem talem fere esse voluit, qualis multo post, per Spenerum maxime, in ecclesia evangelica constituta est, ut nimirum, quum adulevissent, catechesi praeparati sua

sponte id ratum haberent, quod patrini eorum nomine in baptismo polliciti essent; quam ad rem neminem vi compellendum sed sola institutione atque educatione praeparandum esse censuit. Immo neminem vi cogi voluit, ut parvulos suos baptizandos praeberet. Omnem christianam confessionem liberam esse debere, in eos tantum, qui a publicis blasphemiis non temperarent, severis poenis esse animadvertendum. Id apud Germanos severius quam apud alias gentes fieri laude dignum esse putat: etenim societati christianae ea, quae ipsi sanctissima sint, nunquam quidem invitis incredulis vi ingerenda esse, sed contra frivolas blasphemias publico jure tuenda. Quare gravissimis verbis contra Augustinum Eugubinum Italum Germanorum pietatem defendens ,Ego Romae his auribus', inquit, ,audivi quosdam abominandis blasphemiis debacchantes in Christum et in illius apostolos, idque multis mecum audientibus et quidem impune; ibidem multos novi, qui commemorabant se dicta horrenda audiisse a quibusdam sacerdotibus aulae pontificiae ministris, idque in ipsa Missa tam clare, ut ea vox ad multorum aures pervenerit.' Ejusmodi res in Germania etiam inter Lutheranos nusquam tolerari praedicat.

Haec omnia, ad liberi arbitrii rationem et dignitatem attinentia, quomodo ex mente Erasmi inter se cohaereant, nos facile videmus, aequales ejus latuit. Quippe anticipavit pluribus in rebus eam cogitandi rationem, quae apud recentiores paulatim vi vero insita obtinuit. Neque aliter de alia re judicandum est, qua saepissime aequales, et Pontificios et Lutheranos offendit. Criticam artem dico, quam ad rite excolendas omnes fere theologiae partes, quotiescunque in singulis ipse erravit, talem tamen adhibuit, qualem adhibendam esse, ut christiana veritas etiam secundum divinas humanae scientiae leges vindicetur, nemo nunc negabit, nisi aut illius veritatis aut harum legum ignarus atque incuriosus fuerit.

Erasmus clarissime theologiae scholasticae, quae dicebatur, tempus jam praeterire intellexerat. Justius tamen quam plerosque humanarum litterarum studiosos de Thoma, Scoto aliisque summis antecedentium temporum viris eum judicasse vidimus. Similiter, ac postea Leibnitius, multa ille ab iis alte sagaciterque pervestigata esse censuit.[1] Sed ut haec ab admixtis erroribus ac vanis argutiis proba quondam norma discernerentur, primum nova prorsus theologiae methodo opus esse docuit, qua et ad coelestem Christianismi originem ascenderetur et formae ejus per temporum decursum variatae rite dijudicarentur.

1) Cf. supra p. 181.

Itaque sacrorum bibliorum et patrum ecclesiae monumenta, a scholasticis doctoribus quasi frustatim tantum gustata, toto nexu suo comprehendere stupendo labore aggressus est. Verum ut hi quasi thesauri reclusi ad excolendam doctrinam christianam rite adhiberentur, iterum critica arte et accurata historicae veritatis pervestigatione opus esse intellexit. Agnovit in sacris bibliis cum certissima persuasione divinam inspirationem, sed non sejuncta in scribentibus (id quod vulgaris opinio erat) humanae actionis veritate. Quare jam in apostolicae doctrinae formis atque rationibus varietatem quandam, salva ejusdem spiritus unitate, discerni posse significavit. ‚Suam quisque professionem', inquit, ‚ornet citra contumeliam alienae, quemadmodum Paulus suum glorificat evangelium, non obscurans tamen evangelium Petri.'[1] Ad distinguendum iterum cum vetere ecclesia inter biblica scripta certa et dubia, homologumena et antilegomena, non novandi libidine, sed examinis religione perductus est. Cum Vulgatum textum Latinum pluribus locis ex Graeco correxit, tum (quod multos offendit) locum de tribus testibus coelestibus in Johannea epistola obvium supposititium esse jam omnibus fere, quae apud nostros aequales valent, gravissimis argumentis demonstravit. Apud Patres Erasmus primus omnium crescentis quasi paulatim ecclesiastici dogmatis vestigia accurate inquisivit. Antiquiores quam saepe a serioris orthodoxiae modulo recedant ostendit. Licet magna inter illos et sublimia ingenia pie veneratur: tamen ubi erraverint, ubi sibi ipsis non constiterint, adnotare non omittit. Jam illam aetatem praeivisse scholasticis putat, quum multas ‚periculosas de rebus divinis difficultates fusius atque acrius quam necesse fuisset coram plebe tractaret. ‚Pacem et unanimitatem, quae religionis nostrae summa sit, vix constare posse, nisi de rebus quam fieri possit paucissimis definiamus et in multis liberum relinquamus suum cuique judicium; multa problemata convenire in illud rejicere tempus, quo sublato speculo et aenigmate videbimus deum de facie. Ex illa curiositate praepostera, admixta mox veterum Caesarum auctoritate, angusti cujusdam dogmatismi morbum emanasse, qui per Scholasticorum aetatem magis magisque auctus jam ad culmen pervenerit.' Satis perspicue significat, id factum esse admixta curiae Romanae violentia, quae Principum armis abuti studuerit. ‚Sic res tandem deducta est', inquit, ‚ad sophisticas contentiones, articulorum myriades proruperunt. Hinc deventum est ad terrores ac minas. Quumque vita nos destituat, quum fides sit in ore magis quam in animo, tamen terroribus

1) Cf. supra p. 133 s.

huc adigimus homines, ut credant quod non credunt, ut ament quod non amant, ut intelligant quod non intelligunt.' Addit, quod jam supra attulimus: ,Non potest esse sincerum, quod coactum est, nec Christo gratum nisi quod voluntarium'. Protervae illius violentiae postea hoc exhibet exemplum: ,Schismaticus error dicitur, si quis Romano pontifici nonnihil detrahat auctoritatis. Ceterum cur nemo commovetur, quum huic quidam plus nimio tribuunt, insigniter impudentes et turpiter adulantes? Si displicet falsitas, cur non ubique displicet? — Non damno studium illorum, qui sobrie defendunt pontificis auctoritatem adversus quorundam seditiosam petulantiam: tametsi magis optarim sic efflorescere Christi gloriam, ut totius mundi gloriam obscuret, etiam si fieri posset, Petri et Pauli, non modo Romani pontificis. Sic enim obscurati vere fuerimus gloriosi, si nos ex nobis nihil essemus, sed Christus esset omnia in omnibus.' Atque haec omnia Carondileto episcopo Panormitano scribere ausus est in epistola dedicatoria, quam praefationis loco editis Hilarii operibus praemisit.

Itaque Erasmus ad sananda praesentia ecclesiae mala interesse putat, ut praeterita ejus tempora accurate investigentur et recte dijudicentur. Quare non dubitat etiam in Patribus ea describere atque reprehendere, quibus posteris malo exemplo erant. Non semper eos memores fuisse lenitatis illius dicit, qua Christus non extinguat linum fumigans nec baculum fractum comminuat; homines fuisse humanis affectibus obnoxios, quare haud mirum, quod non ubique cavissent, ne erroris unius odio devolverentur in alium errorem. Ejusmodi aliquid tum Augustino et Hieronymo accidisse demonstrat, tum Hilario. Quem in praefatione, cujus mentionem modo fecimus, propter ingenium et vitae sanctimoniam impense quidem laudat, non potest vero non vituperare, quod tanto stomacho saeviat in Arianos, identidem impios, diabolos, blasphemos, satanas, pestes, antichristos eos appellans, jam enim leve esse haeretici cognomen. Et tamen probabile esse, inter Arianae factionis homines fuisse, quibus persuasum fuerit, hoc quod de Christo praedicarent, verum ac pium esse; nec defuisse locos scripturae et rationes, quae nonnullam veri speciem prae se ferrent. Quare monendos ac docendos eos fuisse, qui cum Ario sensissent, non protenus istis cognominibus appellandos. Etenim si haec torquenda sint in eum, quisquis erret alicubi, quid faciamus praeter tot egregios ecclesiae doctores ipsi huic Hilario, cujus multa loca civilem et commodum requirant interpretem, qui ad docetismum aliasque haereses accesserit? Hujus rei largis documentis propositis, Erasmus ,Quam legem', inquit, ,in se statuit, qui sic saevit in alios?' Et addit:

,Haec nequaquam ideo dicta sunt, ut sanctissimi doctissimique viri gloriam obscuremus, sed ut hujus temporis episcopos ac theologos admoneamus, ne quid tale sinant ipsis subrepere, quale videmus summis alioqui viris accidisse.' Quin ipsum Adrianum papam epistola admonet, quam perniciosum sit, quod furiosi homines, si quis errasse iis visus sit, statim haeretici, haeresiarchae notam ei inurant. ,Quem animum', inquit, ,quantumvis constantem, tales injuriae non propellerent in factionem? Sic primum impulsus est Arius, sic Tertullianus.'

Haec omnia si bene ponderata fuerint, vix necesse erit monere, quantum erraverint, qui ejusmodi dicta · ita interpretati sunt, quasi Erasmus deista, quem dicunt, fuisset, corde suo a fide christiana alienus. Quam sincera mente ille semper Christum solam fiduciam suam et solatium in vita et in morte professus fuerit, quisquis rem serio examinaverit facile cognoscet. Sed eum a dogmatistis, ut dicit, aversum de dogmatum ecclesiasticorum formis plus, quam confiteri sibi ipse voluerit, dubitasse non negaverim.

Arianismum quidem aeque atque Pelagianismum rejecit, magis interno quodam pietatis sensu ductus quam clara illa cognitione, qua Schleiermacherus utroque errore ipsam christianae religionis substantiam tolli ostendit. Quod cum diversis sententiis eandem pietatem conjungi posse contendit, quod hominem etiam periculoso suo errore meliorem haud raro inveniri putavit, idcirco scepticum eum esse non suspicabimur. Neque simile aliquid inde conjicere licet, quod multos scripturae locos, qui contra haereses illas afferri solebant, nihil valere recte demonstravit. Hac ex parte verius eum judicare quam omnes fere aequales, etiam Lutherum, qui jam in genesi ubique clarissima divinae trinitatis testimonia videre sibi visus est, nemo nunc paulo doctior infitiabitur. Jam suo tempore Erasmus adversariis jure respondit, ,non illum excutere gladium ex manibus orthodoxi, qui moneat ut pro ferula sumat lanceam, si velit hostem interimere.' Denique candidissimo viro Alberto Fabricio, orthodoxo quondam Lutheranae doctrinae defensori, libenter concedo, Erasmum ,praecipua religionis nostrae capita locis innumeris scriptorum suorum neutiquam obscure neque ambigue, sed dilucide, vivide, fervide exposuisse.' Verumtamen in formis dogmaticis ecclesiasticae doctrinae (verbi gratia in notionibus divinae trinitatis, quam ipsam serio confitetur) tot tantasque evolvit difficultates, de oppositorum sibi invicem errorum angustis limitibus aegre tenendis tam saepe tamque sagaciter disserit, ut quin formae illae haud plane ei satisfecerint, vix dubitari possit. Aliquid veritatis in iis inesse credidit, sed non perfectam veritatem. Quar-

ex hac critica ejus theologia, ut Augustus Neander novus historiae ecclesiasticae conditor saepius admonuit, jam tunc vehementiores motus, quales recentioribus temporibus eruperunt, exciti fuissent, nisi potentior pietatis fervor, ex altiore illo peccati et gratiae conscientia ortus, quo ecclesiae reformatio etiam indoctorum hominum pectora incendit, plurimorum animos a subtilioribus illis quaestionibus avocasset. Id ille egregie perspexisse ait Melanchthonem, de Erasmo scribentem, multorum dogmatum semina eum in suis libris sparsisse, quae fortasse longe graviores tumultus aliquando excitatura fuissent, nisi Lutherus exortus esset ac studia hominum alio traxisset. Mirari se dicit Melanchthon, quod Pontifices talia in Erasmo omiserint, contra Lutheranos vero tantopere saevierint.

Ceterum in ipso Erasmo (id cum Alberto Fabricio tenemus) cogitandi libertas certae fidei robore nitebatur. Quam sine incorrupto veritatis studio esse non posse persuasum habebat. Judicii sagacitatem atque rationis humanae probe exercitatae vim neque contempsit neque nimii fecit. Nimirum ab his virtutibus in singulis hominibus illud christianae veritatis studium pendere negavit. Christum enim non mero intellectu sed ‚intimis affectibus complectendum esse‘ docuit. Sic initio libri de ratione verae theologiae, ‚Hic, inquit, primus et unicus tibi scopus sit, hoc votum, hoc unum age, ut muteris, ut rapiaris, ut affleris, ut transformeris in ea quae discis. Animi cibus est, ita demum utilis, non si in memoria subsidat, sed si in ipsos affectus et in ipsa mentis viscera trajiciatur.‘ Itaque male illum ii intellegunt, qui frequentissime adhibitum ab eo christianae philosophiae vocabulum ita accipiunt, quasi novum quendam christianismum introducere voluerit a scripturae atque ecclesiae auctoritate non pendentem. Vocat illam etiam coelestem Christi philosophiam, quam cum piscatoribus ac publicanis communicaverit, ad quam Lutherus propius quam Bedda accedat. Assumit verbum ex tempore martyrum et confessorum, qui philosophico pallio induti evangelium praedicaverunt. Eodem nomine comprehendit, quidquid coelestis veritatis omnibus ecclesiae temporibus viri divino spiritu illuminati cognoverunt. Id a falsis vel dubiis sejungere sui officii ducit, neque tamen negotium esse putat, cui solus satisfacere possit, sed ab omnibus ecclesiae membris praestandum, quaecunque idoneis ingenii dotibus divina benignitas instruxerit. Horum consensu catholicae ecclesiae judicium efficitur, cui se submittere, propriae debilitatis memor, semper paratus est, quod vero singulorum praesulum, etiam pontificum, decretis nequaquam semper expressum putat. Audacter usque advitae finem, sicuti infra vide-

bimus, contra Pontificios, ad Paparum decreta provocantes, se haec ubi falsa essent non curare asseruit. Quare, id quod supra memoravimus, etiam post damnatoriam Leonis bullam Lutherum non vult ab ecclesia catholica alienum pronuntiare. Quod ad dogmata citra controversiam posita pertinet, ‚Talia sunt', inquit, ‚quae expresse continentur in sacris litteris et in symbolo apostolico, quibus adjungi patiar, quae in conciliis rite convocatis et peractis decreta sunt.'[1] Haec admodum caute loquitur. Quaenam enim in conciliis rite an non rite decreta sint dijudicare, interdum rem esse haud ita facilem indicat, piissimis eruditissimisque viris committendam nec temere subitoque perficiendam. Consensui igitur ecclesiae catholicae i. e. universalis tam late liberaliterque sumpto Erasmus sincero animo etiam sententias suas criticas subjecit, verbi gratia de origine epistolae ad Hebraeos non Paulina, quod quum dicat nihil aliud agit nisi ut confiteatur, in ejusmodi quaestionibus errare se posse et ad plenam certae persuasionis fiduciam eorum consensu egere, qui illis solvendis pares sint. Quippe pro indole sua et insita quadam modestia audacior erat disceptando quam dirimendo.

Quare etiam in rebus gravioribus consensum ecclesiae, quam inde ab initio Christum fundamentalibus erroribus tradere non potuisse putabat, pie ac sincere secutus est, ita tamen, ut ad ipsum illum consensum dijudicandum et definiendum libertatem quandam sibi aliisque viris satis eruditis constanter reservaret. Cui rei documento sint nonnulla ex iis, quae de Eucharistiae sacramento Erasmus cogitavit et significavit. In epistola ad episcopum Hildesheimensem, quae multa de historia dogmatis continet, illius mysterii scopum nil aliud esse dicit, nisi ut ecclesia ‚eodem corpore vescens, eundem sanguinem bibens, per eundem spiritum in unum corpus redigatur et Christo, capiti vivo, viva connectatur.' ‚Et tamen, inquit, videmus artificio Satanae factum, ut ea res quae conciliandis omnibus data fuerat, tot dissidia olim genuerit, nuper renovaverit, dum alii negant quidquam esse in eucharistia praeter symbola corporis et sanguinis, alii fatentur ibi Christum vere adesse sed sub vini et panis substantia. Rursus erant qui dicerent per verba consecrantia perire panis ac vini substantiam et succedere corpus et sanguinem domini.' Rejicit, ad ‚tantum populi christiani consensum' provocans, eam dumtaxat sententiam, secundum quam mera symbola sunt in coena domini. Hanc ab Oecolampadio acute eruditeque expositam esse et multa in ejus libro vel vera esse, vel speciem

1) Opp. X, 1569.

veri habere saepius concesserat. Quum vero ipse prorsus ejusdem opinionis patronus a quibusdam proclamatus esset, vehementer plus semel reclamavit. Sic ad Pellicanum scribit: ,Soleo cum amicis eruditis, maxime quum absunt infirmi, libere commentari de quibuslibet, inquirendi studio, nonnunquam et tentandi causa, interdum animi gratia, hac in re fortasse simplicior quam par est. Sed agnoscam etiam parricidii crimen, si quisquam mortalium vel serio vel joco audivit ex me hanc vocem, in eucharistia nihil esse praeter panem et vinum, aut non esse ibi verum corpus et sanguinem domini. Si quid volatilium cogitationum aliquando tetigit animum meum, facile discussi, considerata Dei erga nos inaestimabili caritate, perpensis divinae scripturae verbis, quae Lutherum etiam ipsum coëgerunt profiteri, quod profitetur ecclesia catholica. — Ego nec Romanam ecclesiam contemno, multo minus quum illa habet sibi consentientes omnes ecclesias. Nullis humanis rationibus abduci potero a concordi sententia christiani orbis.' Ab hac sententia quod ad coenam domini pertinet, ne Lutherum quidem discessisse saepius dicere ausus est; transsubstantiationem, quae dicitur, scholae quaestionibus adnumerat.

Itaque sine fuco, ut ipse affirmat, debitam antiquae traditioni reverentiam cum novo ac libero sacrae scripturae et bonarum litterarum studio connectere voluit. Quantumvis in hoc consilio persequendo erraverit, ad magnum aliquid eum aspirasse certum est. Admirabilem illam intuebatur unitatem christiani spiritus, qui per omnia secula quasi permeans variis formis se exserit, dissonantia ad pulcherrimum concentum semper denuo revocat et diversissimos summorum ingeniorum labores, etiam eos qui ad scientiam spectant, ad sublimiorem quam quem humana studia assequuntur, finem dirigit. Lutherum in interpretanda scriptura multa praeclara praestitisse, immo nonnulla rectius quam omnes fere inde ab apostolorum tempore docuisse agnoscit; in aliis rebus nimis illum sibi ipsi confidere et magis quam ipsi videatur a patribus, partim etiam a scholasticis quibusdam pendere eum non fugit. Nunquam neglegendas, sed accurate examinandas veterum sententias existimat. ,Quid nunc possemus', inquit, ,in sacris litteris, nisi Origenis, Tertulliani, Chrysostomi, Hieronymi, Hilarii, Augustini monumentis adjuti? Ego vero nec Thomae nec Scoti libros in totum antiquandos esse duco. Scripsere suo seculo, multaque nobis e veterum libris hausta, subtilius excussa tradiderunt. Ceterum nec istorum incivilitatem approbo, qui horum auctorum generi tantum tribuunt, ut bonis litteris feliciter ubique repullulantibus obstrependum putent. Variae sunt ingeniorum dotes, multae seculorum varietates sunt: quod

quisque potest in medium proferat; nec alteri quisquam invideat, qui pro sua virili parte suoque modo conatur publicis studiis utilitatis aliquid adjungere'.

XIII.

Ex iis quae hucusque de Erasmo dicta sunt, satis apparet, multa quidem in ejus theologia inesse, quae non mirum est quod Lutherus vel minus bene intellexerit vel si intellexit non probaverit, sed et permulta alia, quae accepta sibi non ferre non potuerit. Quamvis igitur jam ab initio apud familiares, quod ad doctrinam de natura et gratia pertinet, Augustinianam altitudinem in Erasmo desideraverit, tamen propter temeritatem simul se excusat, quod tantum virum, cujus auctoritatem sperat et cupit fore celeberrimam, sub Aristarchi virgam duxerit.[1] Et per multos annos longe praevaluit grati animi significatio. In praefatione ad commentarios, quibus epistolam ad Galatas explicavit, Erasmum ,in theologia summum et invidiae victorem' vocat, in primis ipsius operis verbis ,theologicissimum, cujus annotationes omnium manibus terantur'. Postea plurimis locis idem laudatur tanquam hoc vel illud recte ut omnia dicens, tanquam dignissime reddens Graeca, tanquam optimus, quocum ipse libenter sentiat. Denique Commodus Bretannus[2] in appendice, quem Vitebergae sub Lutheri oculis operi ejus adjecit, primam laudem Erasmo, quod ,sacras litteras pure tractaverit', decernit, posteriorem Martino, qui ad eandem rem ,post Erasmum unus omnium maxime contenderit'. Eandem observantiam tunc omnes fere, qui a parte Vitebergensium stabant, erga Erasmum testatos esse, supra memoravimus. Etiam multi ex iis, qui Luthero novi aliquid se debere confitebantur, simul tamen Erasmo, quem ut ducem ille secutus esset, gratias egerunt. Quod ut exemplo confirmetur, nonnulla excerpimus ex epistola, quam Lambertus Hollonius lecto Lutheri de indulgentiis libello, Erasmo scripsit: ,Mittit Frobenius Lutheri [libellum], vere christiani theologi, sed omnibus tetricis, immo superstitionibus potius, theologicis histrionibus invisi. Dici non potest, quantum placeat studiosis; mihi saltem, qui nihil omnino sum, mentem reddidit liberiorem, antea cerimoniarum observatiunculis frigidissimis servientem. O nos beatos, quibus contigit hoc seculo vivere quo Indice, Duce ac Perfectore te et litterae et christianismus verus

1) In ep. ad Spalatinum, a. 1516 scripta (de Wette I, 40).

2) Quis sub hoc nomine, ficto ut videtur, lateat incertum est.

renascuntur.‘ [1] In Gallia vir eruditione et candore insignis, purioris doctrinae evangelicae jam ante Lutherum propagator, Jacobus Faber Stapulensis, illi scripserat: ‚Quis non suspiciat, amet, colat Erasmum?‘ [2] Eodem denique gratissimo animo et ipse Lutherus in prima, quam ei misit epistola, quantum illi debeat, confitetur. Qui ab his verbis exorsus est. [3] ‚Toties ego tecum fabulor et tu mecum, Erasme, decus nostrum et spes nostra, necdum mutuo nos cognoscimus. Nonne monstri hoc simillimum? immo non monstrum, sed quotidianum opus. Quis enim est, cujus penetralia non penitus occupet Erasmus, quem non doceat Erasmus, in quo non regnet Erasmus? de iis loquor, qui litteras recte amant. Nam satis gaudeo quod inter cetera dona Christi etiam hoc numeratur, quod multis displices. Quo ego argumento soleo discernere dona clementis Dei a donis irati. Itaque tibi gratulor, quod, dum summe omnibus bonis places, non minus displices iis, qui soli omnium summi esse et summe placere volunt.‘ Eodem tempore Melanchthon Erasmo scripsit: ‚Martinus Lutherus studiosissimus nominis tui per omnia tibi probari cupit.‘

Erasmus, qui Lovanii tunc degebat, Lutheri litteras prorsus alio animo quam antea Eckii accepit. Ex iis, quae amicissime respondit, nonnulla hoc loco nobis repetenda sunt. Gratissimam sibi fuisse dicit epistolam, quippe quae ‚et ingenii argutiam prae se ferat, et animum spiret christianum. Quas tragoedias etiam illic libelli ejus excitaverint indicat; esse qui ei faveant in Anglia viros maximos, Batavorum quoque nonnullos, quorum unus sit eximius; se ipsum quoad liceat integrum se servare, quo magis prosit bonis litteris reflorescentibus. Tunc ita scribere pergit: ‚Et mihi videtur plus profici civili modestia quam impetu. Sic Christus orbem in suam dicionem perduxit. Sic Paulus Judaicam legem abrogavit, omnia trahens ad allegoriam. Magis expedit clamare in eos, qui pontificum auctoritate abutuntur, quam in ipsos pontifices. Idem de regibus faciendum censeo. De rebus receptioribus, quam ut subito possint ex animis revelli, disputandum est argumentis densis et efficacibus potius quam asseverandum. ‚Quorundam virulentas contentiones magis conducit contemnere quam refellere. Ubique cavendum ne quid arroganter aut factiose loquamur faciamusve: sic arbitror gratum esse spiritui Christi. Interea servandus animus, ne vel ira vel odio vel gloria corrumpatur: nam haec in medio pie-

1) Er. opp. III, 1689.
2) Er. opp. III, 135.
3) A. 1519. (de Wette I, 247).

tatis studio solet insidiari. Haec non admoneo ut facias sed ut quod facis perpetuo facias.'

Erasmus, quum tam urbane Lutherum christianae temperantiae et sobrietatis commonefaceret, se ipsum illius epistola ad majorem animi fortitudinem non minus urbane excitatum fuisse, bene recordabatur. Candide tamen et sine ira respondit. Quod clare videmus ex his verbis admonitioni additis: ,Degustavi commentarios tuos in psalmos: vehementer arrident et spero magnam utilitatem allaturos. Est Antverpiae Prior ejus monasterii, vir pure christianus, qui te unice deamat, tuus olim discipulus ut praedicat. Is omnium paene solus Christum praedicat. Ceteri fere aut hominum fabulas aut suum quaestum praedicant. Dominus Jesus tibi suum spiritum in dies uberius impertiat ad ipsius gloriam et publicam utilitatem.'

Eodem animo saepissime de ,Lutherano negotio' ad multos alios verba facere non dubitavit, et ad amicos, qui cum eo sentiebant, et ad acerrimos pontificum propugnatores, et ad viros eruditos ac principes cum Luthero facientes. Quin etiam postea inter flagrantissimum utriusque viri discidium Erasmus, ad laetiora illa initia respiciens, frustratam concordiae servandae spem vehementer deplorans haud semel Lutheri, quippe qui ,optabile nomen evangelicae libertatis praetulerit', honorificentissimam mentionem facit. Hac ex parte, licet non semper sibi ipsi constiterit, tamen si omnia spectamus, religioso ac nobili aequitatis studio magnum suum adversarium superat. Sic in epistola ad Henckellum, qui reginae Ungariae a concionibus erat, his verbis utitur: ,Quam potens res et amabilis sit evangelium, declarant haec tempora, quibus conspicimus orbem ob auditum evangelii nomen, velut ex lethargo expergisci ac veternum excutere. — Addebat nonnihil boni ominis ipsius Lutheri cognomen, quod Germanorum lingua repurgatorem sonat. Id habet ex patris opificio, qui rudes aeris massas officina sua repurgat.'[1] Quod magna illa spes se multosque alios fefellerit, semper non soli Luthero sed utrique parti crimini vertit, quae ,in diversum traxerit funiculum contentionis.' Majorem culpam saepe caecis evangelicae libertatis adversariis tribuit. Quid ipse in ea re peccaverit non satis vidit. Id vero ii supra modum exaggerant, qui aut quae in pontificiis, aut quae in Lutheranis recte ille vituperavit agnoscere nolunt. Nos quantum poterimus veritati ac justo judicio inserviemus, dum ostendimus, quomodo factum sit, ut uterque vir tum indolis non minus quam sententiarum diversitate, tum

1) Epp. XVIII, 25. a. 1526.

temporum externarumque rerum condicione magis magisque alter ab altero abalienarentur. Quod ut appareat non singulorum annorum res gestas accurate percurrere, sed nascentis animorum mutationis varias rationes et quasi gradus primarios velut ex longinquo contemplari nobis proposuimus.

Sub nimia Lutheri asperitate aliquid vere divini ardoris latuisse vidimus. Non male ille dixit, Erasmum, quoniam ad pacem non ad crucem spectet, omnia arbitrari civiliter et benevolentia quadam humanitatis tractanda gerendaque, sed hanc non curare Behemoth neque hinc quidquam emendari, immo pontifices, si quis civiliter eos adeat, putare se blanditiis mulceri.' ,Tu ex gladio', inquit, ,non facies plumam.' Verumtamen nunquam satis id respexit, quod veri inerat in Erasmi admonitione. Hic nequaquam postulavit, ut Lutherus eadem, qua ipse, lenitate rem ageret. Peculiaria ejus charismata et officia non ignorabat. Simul vero illum ut hominem immoderata violentia nimis sibi ipsi indulsisse saepius contendit. Id sibi volunt etiam haec verba in epistola ad Henckellum supra laudata: ,Morbus erat ingens et inveteratus, nec quidquam hic poterant levia vulgariaque remedia. Datum elleborum jam pridem torquet interna totius orbis, adeo ut periculum sit, ne pereat in remedio. Utinam coelestis ille medicus dignetur ex his malis donare populo suo aliquid bonae sanitatis.' Et iisdem diebus episcopo Lingoniensi scripsit, ,se in Luthero demirari duas tam diversas personas; quaedam eum ita scribere, ut spirare videatur apostolicum pectus: rursus in dicteriis, in sannis, in conviciis, in salibus, quem non vincat scurram?'[1] Quae ad aliquatenus excusandum magnum virum a caecis veritatis adversariis atrocissime oppugnatum dici possunt, supra attulimus; superesse, quae crescentem Erasmi improbationem meruerint, nemo qui in scriptis Lutheri huc pertinentibus crescentem acrimoniam et incautam vehementiam probe ipse examinaverit, infitias ibit. Non mirum igitur, quod tunc passim etiam alii viri, qui initio ejus causae impense faverant et semper multa praeclare ab eo dicta esse tenebant, tamen ,dubitare de ejus spiritu' coeperunt. Justo durius eos judicasse jure contendimus; aequum judicium ab ipso Luthero plus semel satis difficile iis factum esse, negare non possumus. Dicunt multi discernere illos debuisse Lutheri personam, humanae infirmitatis non expertem, a magna ejus causa. Sed id inter ejusmodi tempestates postulare quam praestare facilius est.

1) Epp. XVIII, 24.

Neque injuria Erasmus questus est, quod Lutherus, quum ,privatis affectibus' non satis imperaret, ipsam repurgandae ecclesiae et restituendi evangelii causam, tot jam obstaculis circumdatam, novis impedimentis involveret. ,Quid peccat', inquit, ,veri praedicator, si sic orationem moderetur, ut quoad fieri potest non exasperentur potentes, sed alliciantur potius quam provocentur, et, si spes nulla est, saltem ne sine fructu irritentur?' Ipse nimirum Lutherus, ut vidimus, quamvis in solo Deo fiduciam poneret, tamen ad efficiendam novam ecclesiae et scholarum formam principum ac magistratuum ope carere non potuit. Quare, quum spes esset reformandae in Anglia ecclesiae, suadentibus amicis Henrico VIII. scripsit epistolam satis humilem, qua convenienter cum Erasmi prudentia id egit, ut inter auctoritatem regiam et abusum ejus ab aliis factum discerneret. Multum interesse inter Romanam ecclesiam et Romanam curiam, inter legitimam Pontificis auctoritatem et abusum ejus Lutherus ipse initio docuerat. Mox totam vim curiae Romanae antichristianam expertus, certaminis ardore abreptus, discrimina illa prorsus sustulit. Ipsum papatum verum antichristianismum esse, a diabolo constitutum, contendit. Erasmus (quocum Melanchthon consentiebat) justius de ea re atque historicae veritati congruentius judicavit. Nimirum non obliviscendum esse saepius monet, etiam Romae esse sinceros Christianos, etiam in Dominicanorum ordine (in quo multa ipse acerbe vituperaverat) inveniri, qui et bonis litteris et evangelico negotio faveant.[1] In ejusmodi hominibus Judaisticas quasdam opiniones ad Pauli exemplum provocans aliquatenus patienter ferendas esse censuit. Neque tamen justo tempore istis erroribus et Romanae Curiae damnis obviam eundum esse negavit. Multa et civiliter et ingenue scripserat, quibus ne minime quidem ecclesiae magnates, ut Lutheri verbis utar, blanditiis mulceri se putare poterant. Quam audacia verba, licet cum praefatione laudis, apud ipsos pontifices eorumque ministros fecerit, jam supra dictum est. Adjiciam hic pauca ex epistola ad Adrianum VI. anno seculi vicesimo secundo scripta: ,Late patet Germania et abundat excellentibus ingeniis. Nec hanc tamen solam hic habet affectus: non ausim scribere, in quam multis regionibus, quam penitus popularibus animis infixus sit Lutheri favor et odium pontificii nominis. — Certe si stat sententia carceribus, flagris, confiscationibus, exiliis, censuris, mortibus obruere malum hoc, nihil hic opus fuerit meo consilio.' Deinde vult ut prae-

1) Cf. Spongia adversus aspergines Hutteni in Hutteni opp. ed. Böcking II p. 283.

teritorum temporum amnestia proclametur, ut ‚praebeatur mundo spes mutandorum quorundam, quibus non injuria se queratur gravari.‘[1] Ejusmodi consilia Erasmus putavit plus ponderis habitura fuisse, nisi nimia Lutheri festinatione, violentia, asperitate impedita fuissent. Quod quanto jure existimaverit, mortalium vix est certo discernere, sed divino judicio relinquendum. Quin et veri et nimii aliquid in iis fuerit, quae de Luthero ille queritur, nos non dubitamus. Recte quidem monet Melanchthon, Deum organa sua mittere, qualia elegerit, non qualia nos velimus. Sed Dei organon etiam Erasmus erat, qui Lutherum non sine jure vituperavit. Qua in re ut partim erraverit, tamen et ipsum praeclarum finem persecutum esse concedamus neque in mitioribus ejus consiliis nihil aliud cum Luthero videamus nisi fugam crucis.

Praeterea atrociora quaedam imprudentioraque Lutheri dicta permultis malo exemplo fuisse Erasmus haud injuria judicavit. Non negat corruptam ecclesiae condicionem flagitare immitem aliquem castigatorem, sed christiana sapientia diligentius cavendum esse censet, ne aperiatur fenestra multis ad licentius peccandum, quoniam ubique sint mali plurimi, quibus ad omne facinus nihil desit praeter occasionem. Quid inutilius sit ad christianam pietatem, quam haec audire vulgus indoctum, haec instillari auribus adulescentium: pontificem esse Antichristum, episcopos et sacerdotes esse larvas, constitutiones humanas esse haereticas. Nunc esse, qui Lutherani nominentur, nihil habentes Lutheri, nisi quod maledicant papae. Tantum hoc eos agere, ut res quoquo pacto serpat, et egregium evangelii profectum interpretari, si pauci monachi sint exonerati cucullo, inter quos utinam non sint multi, quibus expedisset intra cancellos detineri. Ingeri imperitae multitudinis auribus paradoxa illa, in quae vehemens Lutheri oratio saepius exeat, quae, ut in aliquo sensu vera sint, tamen a nonnullis nuda circumlata ab imperitis alio trahi quam expediat, ab improbis in pessimam partem rapi. Melanchthoni, qui Luthero haec imputanda esse negaverat, respondet Erasmus, certe non satis cavere Lutherum, ne ejusmodi portenta nonnulli alant, quos ille ut evangelicae doctrinae proceres amplectatur. Iis qui tantum tamque sanctum negotium susceperint, si Christum pro solo scopo habeant, non solum a vitiis verum etiam ab omni specie mali religiosissimo abstinendum esse. Nullos magis offecisse Luthero, quam qui vehementer videri velint Lutherani. Genuisse quondam evangelium novum hominum

1) Epp. XVIII, 20. Finis hujus epistolae deest.

genus mundo, nunc quales gignat hoc ‚evangelium' nolle se referre. Illud unice se cupere ait, ut apud Saxones religio colatur et ametur evangelium; fieri posse ut istic sint aliusmodi, certe quos Basileae noverit, tales fere esse, ut malit cum papistis habere commercium quam cum illis. Id suo se malo compertum esse, nec in vulgo tantum, sed etiam in his qui videantur esse aliquid, ne dicat proceribus.[1] Denotat sine dubio et Farellum, virum eximium, sed fanatici ardoris illo tempore non expertem, et Huttenum, quem cum Eppendorfio, sordidissimo nebulone pseudevangelico, conjunctum, ‚laesae Germanicae fidei' haud temere accusaverat. In ipso Hutteno juxta splendidissimum ingenium animique motus vere excelsos atque nobiles subrepentem ignem quendam saevum et impurum nemo non videbit, qui illius vitam ac scripta accurate examinaverit.[2] Ignoscendum est Erasmo, quod tantis turbis vicinis quasi obrutus et ab evangelicis, qui dicebantur, tot mala mox perpessus meliores ejusdem nominis, qui et illic haud pauci erant, vel ignoraverit vel non rite aestimaverit. Neque immerito jam eundem, quem postea Spenerus, perniciosissimum errorem oppugnabat, quasi litigiosa quaedam purioris doctrinae jactatio, interioris vitae fructibus destituta, pro christianismo vere evangelico haberi posset.

Accesserunt quae haud parum Erasmi animum ab evangelico negotio abalienaverunt, discidia partim inter propugnatores ejus, partim inter multitudinem sectatorum vel hominum singulas eorum sententias arripientium celeriter exorta, quae quam fatalia futura essent, ipse in Germaniae atque Helvetiae finibus quasi spectator constitutus, primus fere perspexit. Quare saepissime eam rem praeclarissimis viris objicit. Sic Melanchthoni, cui de enarratis diversis partibus, inter se pugnantibus, haec dicit: ‚Unum evangelium occinunt, sed cujus ipsi volunt esse interpretes'. Sic Pellicano: ‚Vos inter vos digladiamini, Zvinglius et Oecolampadius adversus Lutherum et Pomeranum et rursus Balthasarus adversus illos, adversus te Farellus; et tam discordi factioni me adjungam periculo capitis mei, immo potius animae?' Sic postea Bucero: ‚Aliud, quod animum meum deterruit, est ista tanta inter primores negocii dissensio; ut enim omittam prophetas et anabaptistas, quam amarulentis libellis inter se conflictantur Zvinglius, Lutherus et Osiander!' Consensit quidem Erasmus in universum magis

1) Epp. XIX, 3 ad Melanchthonem (a. 1524). Cf. XIX, 72 ad Bucerum (a. 1527).

2) Cf. Strauss: Ulrich von Hutten I, 337 ss. II, 195 ss. 265 not. 3. De Eppendorfio p. 272 ss.

cum Luthero quam cum ceteris, sed hos pro obstinatis veritatis hostibus et satanae organis (id quod ille voluit) habere non poterat. Ut inter homines peccari ab utraque parte putavit. Multa in Lutheri doctrina plenissime probavit tanquam congruentia cum sacra scriptura. Verum tamen alia rejecit, de aliis dubitavit vel, quamvis iis accedere animus inclinaret, privatarum opinionum loco ea posuit, accuratius examen et publicam ecclesiae vocem desiderans. Lutherus vero post comitia Wormatiensia, postquam reliqua Papatus fermenta, quae vocabat, magis magisque abjecit, jam omnia fere, quaecunque docebat, pari certitudine accipi velle videbatur. Quare Erasmus cum suo libertatis amore gratum se ei socium esse non posse putabat. Interdum timebat, ne ille suo modulo omnes metiens jam similiter atque pars monastica tyrannum ageret. Tunc dubitabat, num quidquam in negotio Lutherano a Deo profectum esset. Sed mox ab aspero ejusmodi judicio revocabant eum quae recta et praeclara esse in Luthero agnoverat. Tunc de se ipso dubitans iterum ad examinandas illius sententias aggrediebatur. Semper tamen restabant quae accipere non poterat. ‚Meum animum', inquit, ‚nondum tranquillant asseverationes Lutheri quamvis fortes, adeo inter legendum multa occurrunt, quae possint asseverationem infirmare. Qui agit contra conscientiam, aedificat gehennam. In tanto orbis incendio prospiciat sibi qui velit, mihi cura erit hanc animulam Christo servatori tradere.'[1]

Quae quam serio dixerit, ex iis, quae Erasmum litteris ad familiarissimos amicos datis confessum esse videmus, lucide apparet. Haud semel anquisivit, annon proprius ad Lutherum accedere sibi fas esset. Multa erant, quae ad operis Vitebergae incepti societatem allicere eum possent. Contenderunt ab eo omni studio, ut publice illam iniret, insignes viri, quos summi fecit, etiam princeps quidam. Sic multum virium evangelico negotio adjunctum iri significaverunt. Neque rem ita se habere ipsum Erasmum fugit. Quare non sine sale Beddae scribit, se potuisse coryphaeum et satrapem esse inter Lutheranos.[2] Ipse id spectans, quod in Luthero vere christianum et evangelicum erat, ad hunc, licet in se injustissimum, denuo semper trahebatur. Hostes communes erant papistae, sophistae, superstitiosi monachi, qui Erasmum vel pejorem Luthero haereticum esse clamabant: illum ova peperisse, hunc exclusisse, ab illo se convicia pati, ab hoc jocoso ludibrio traduci. De quibus hominibus dicit, ‚sola conscientia se revocari a Lutheranis, alioqui se declaraturum fuisse illis furiis quales essent.

1) Opp. X, 1557. 2) Epp. XIX, 91.

Nunc se Gamalielem quendam egisse et propemodum adhuc agere'. Et ad Bucerum scribit: ,Si conscientiae persuaderi posset, a Deo proficisci quod agitur, jam olim in vestris castris militarem.'[1]

His omnibus igitur accurate perpensis, facile quisque videbit, quam falsum atque perversum fuerit istud judicium, quod de Erasmo Huttenus maxime, caeca ira abreptus, virulento scripto sparsit, quasi scilicet ille, quem quondam ,primum et fere unicum sanioris doctrinae seminarium' fuisse praedicat, metu, ambitione, Romanensium promissionibus corruptus, a cognita veritate descivisset et contra animi sententiam ,Christi hostibus' socium se praebuisset, omnia interim judicia sua ad occasionem formans et rimam semper relinquens, per quam elaberetur. Haec convicia, libenter a multis credita, Erasmus in ,spongia adversus aspergines Hutteni' egregie refellit, qui libellus, licet insint quae alia esse cupias, tamen multa continet vere nobilis animi testimonia. De Luthero repetit quae ab initio et vituperavit et laudavit, de his praeclarissima plus semel verba adhibens.[2] Inter amicos dolentem aliquoties se dixisse ait, se dubitare de illius spiritu; nec unquam tamen certo pronuntiasse. Sedis Romanae jus historicum, quod nos vocamus, semper se tenuisse; hanc tantam potestatem, quam papae sibi seculis aliquot usurparint, nullum audivisse se defendentem; postulare se ut pontificis apostolicum sit pectus. ,At queri quod praecipua mundi pestis jam multis annis fluxerit a Roma. Utinam liceret istud inficiari!' Neutri factioni se velle involvi declarat. ,Proveho', inquit, ,bonas litteras ac sinceriorem et simpliciorem illam theologiam pro viribus instauro, idque quoad vivam facturus sum, sive amico sive inimico Luthero, quem ego pro homine habeo et puto falli posse et fallere: Lutherus cum ceteris transibit, Christus manet in aeternum.'

Hoc scripsit provocatus ab illo, quem antea invitus ipse provocaverat. Etenim Lutherus, quanquam in magno instaurandi evangelii opere miram constantiam praestitit a spiritu vere divino profectam, tamen varius interdum erat in personis et rebus judicandis, diversis nimirum affectibus diverse motus et aliquoties ab aliis, quippe qui praesentem ejus affectum foverent, magis quam ipse putavit et ipsum decuit, dependens. Sic in altera editione praestantissimi commentarii sui in epistolam ad Galatas scripti omnia prorsus delevit atque omisit, quae in priore de Erasmo ,theologicissimo', optimo puri scripturae sacrae sensus interprete, splendide dixerat. Putabat illum fecisse ad quod ordinatus fuisset, linguas introduxisse et a sacrilegis studiis

1) Epp. XIX, 72. 2) Cf. in Hutteni opp. II. 298.

homines revocasse, sed in terram promissionis eos ducere non potuisse; fortasse eum cum Mose in campestribus Moab moriturum esse. Quare in commentario suo nimia laude illum ornasse sibi videbatur. In epistolis ad familiares datis et mox ipso invito editis ita de illo locutus est, quasi ,nihil nisi humanas litteras calleret, in gravissimis vero theologiae quaestionibus de gratia et praedestinatione minus sciret, quam sophistarum scholae hucusque scivissent.'[1] ,Se non provocaturum esse Erasmum, neque, si ipse provocatus fuerit, mox referire in animo habere; non consultum tamen fore, ut ille vires eloquentiae suae in se exerceat, veritatem enim potentiorem esse eloquentia.'[2] His omnibus Lutherus de viro, cui tot tantaque debebat, non satis juste ac generose judicavit. Quaenam aliquo modo excusationi ei fuerint indicabimus.

Erasmus quidem non eum ecclesiae esse morbum, qui mollibus emplastris sanari posset, probe, ut vidimus, intellexit. Orbem indiguisse Luthero aliquo, mira ingenuitate iterum iterumque profitetur. Hoc ipsis furiosissimis papistis dicere ausus est. Quum ad schisma deventum est, tunc maxime Erasmi magnitudinem timiditas illa, de qua diximus, aliquatenus obscuravit. Vix tamen irascatur aliquis seni, morbis concusso, tenerae semper irritabilisque indolis, qui debilitatem suam candide fatetur. ,Pugnent juvenes!' ait. Quod post comitia Wormatiensia scripsit, non omnes ad martyrium satis habere roboris, id multis ludibrio erat, qui ad martyrium Erasmo vix aptiores sed minus sinceri erant. Hic de evitando illaesa conscientia periculo locutum se esse dixit. Ceterum nec pontificis nec Lutheri martyr esse voluit. ,At Christi', inquit, ,optarim martyr esse, si vires ipse suppeditet.'[3] Haec non minus sincere dicta sunt, quam verba quaedam epistolae ad Laurinum scriptae, quae summam Hutteni iram excitaverat: ,Si quis Erasmum non potest amare ut Christianum infirmum, sumat in eum, quem volet affectum; ego alius quam sum esse non possum. Si cui Christus impertiit grandiora dona spiritus et sibi fidit, utatur in Christi gloriam.'[4]

Verumtamen non satis intellegebat Erasmus, nimium interdum etiam se ipsum indulgere indoli suae. ,Si Lutherus', inquit, ,omnia vere dixisset, mihi tamen displiceret seditiosa veritas. Ego vel falli malim in nonnullis, quam tanto orbis tumultu pro veritate digladiari.' Quasi vero propter solas abstrusas quasdam scholarum quaestiones (de

1) Cf. Luth. epp. ed. de Wette II p. 412. 2) Ibidem p. 522. 3) In spongia adv. Hutt. 4) Epp. XXIII, 6.

his enim illa dicta sunt) tanti tumultus a Luthero excitati fuissent! At ipse Erasmus saepius testatur, se timere, ne, si Lutherus prorsus oppressus fuerit, nemo amplius veritatem profiteri ausurus sit. Ipse nunquam negat, Lutherum propter multa quae verissima et christianissima monuerit, a Curia Romana ejusque asseclis condemnatum esse. Hi, ut illa ipsa tanquam haeretica revocaret, additis diris exsecrationibus flagitabant. Ejusmodi tyrannidi se submittere salva conscientia non potuit. Deo confisus, mortis periculum spernens, christianae libertatis, quam toties celebraverat Erasmus, vindex factus est. Itaque tumultus inde exorti culpa longe majorem partem in iis erat qui veritatem opprimere studuerunt. Id et Erasmus plus semel confessus est[1], sed saepe oblivisci videbatur, ubicunque de ‚seditiosa veritate‘ et de vehementi Lutheri animo, tumultuum genitore, verba faciebat. Lugebat turbatam reipublicae litterariae pacem, vitiatas amicitias, exacerbatum ubivis pharisaeorum et sophistarum furorem, rusticorum seditionem, neglecta passim inter rixas humaniora studia. Quae omnia stomachum ei tantopere moverunt, ut, quamquam christianum orbem Luthero aliquo egere bene perspexerat, mox, quum venisset, si non in damnum ecclesiae, at frustra eum venisse interdum suspicaretur. Hoc animo scripsit laudatissimo viro, Bilibaldo Pirkheimero, similiter sentienti: ‚Vehementer mihi dolet, tale ingenium, quod videbatur futurum insigne organum ebuccinandae veritatis evangelicae, sic exasperatum esse rabiosis quorundam clamoribus.‘[2]

Ipse et schisma cum tumultu et pharisaismum cum servitute evitare se posse putabat. ‚Inter Christum et Belial incedere‘, inquit, ‚magna fateor impietas. At inter Scyllam et Charybdim medium tenere cursum arbitror esse prudentiam.‘ Verumenimvero evidentius in dies factum est, etiam pugnam cum corruptae ecclesiae pharisaismo esse pugnam cum Belial eamque Erasmo cum Luthero communem. Quare cum hoc illum colludere fanatici monachi per totam Europam clamare pergebant. Aliquatenus quidem Erasmus adversus eos et a principibus liberalioris cujusdam catholicismi patronis et ab ipsa protegebatur Curia Romana, illo tempore ut ipse ait admodum concussa et perterrita, quae ne tantus vir in hostilia castra protruderetur, sententias ejus Lutheranis doctrinis ex parte audaciores rara, quam et Melanchthon miratur, tolerabat patientia. Sed pia tollendorum abusuum desideria tacite neglegebantur. Quae quotiescunque Erasmus paulo acrius proposuerat, monachi nutu submoniti sunt ut altius clamarent. Quare querens

1) Epp. XVII, 26. 2) Epp. XII, 13 a. 1525.

Emsero, notissimo Lutheri adversario, scribit: ,Monui per litteras non semel tum Caesarem, Ferdinandum aliosque principes, tum pontificem et legatum Campegium, rem felicius cessuram, si subtraherentur hujus mali seminaria; verum adhuc videor mihi surdis canere.' Immo propemodum ut Lutheranus traducitur, qui velit ,pontifices, episcopos, sacerdotes ac monachos meliores esse quam sunt.' Illam suspicionem ut subterfugiat, modo ad magnatum illorum amicitiam, ad honores sibi ab iis collatos provocat; modo ambigue dictis utitur. Huc pertinet quod omnes sententias suas ecclesiae judicio submittere paratum se declarat. Quod, quoniam ecclesiae proceres tunc palam eum condemnare non audebant, tute dicere potuit; simul vero, quum de ideali sua (ut venia sit verba) ecclesia catholica cogitaret, prorsus alio sensu talia intellegebat, atque clamantes isti monachi ea accepturi erant. Ejusmodi ambiguitas apud Vitebergenses eorumque socios dedecori illi erat, Pontificiis non satisfecit. Quin immo hi vel minacibus vel adulatoriis verbis postulaverunt, ut contra Lutherum ,calamum stringeret'. Quod, partim pusillis partim nobilioribus causis motus, quam diu poterat detrectabat.

Decuisset sane virum tanti ingenii tantaeque auctoritatis in tam ingenti discidio, quo universa ecclesia periclitabatur, quum neutrius partis esse vellet, de alterutra plenam sententiam palam edicere. Inter utramque ancipitem subsistere rerum publicarum condicio tunc similiter, atque apud Atticos quondam decretum Solonis, vetuit. Quare ipse Erasmus conqueritur, quod salva christiana dignitate neque tacere neque loqui possit. Tuebatur nimirum unam ecclesiam catholicam, sed talem, qualem adjuvante Curia Romana ad evangelii regulam reformandam sibi fingebat. At ejusmodi reformationem respuit Curia. Itaque spreta Curia reformationem Lutherus effecit. Hanc sequi non poterat Erasmus, quoniam justo plus illic singulis viris et magistratibus, justo minus ecclesiae catholicae i. e. omnium ecclesiarum communioni dari videbatur. Quare jam inter comitia Wormatiensia, quum nihil adhuc Vitebergae in ritibus ecclesiae mutatum esset, in epistola ad ,virum praepotentem' quendam scripta acerrime quidem bullam damnatoriam contra Lutherum publicatam ut ,supra modum terribilem' improbat eaque ,animos populi a Luthero alienari non potuisse' praedicat; deinde vero addit: ,Quod hortaris ut Luthero me jungam, id facile fiet si illum videro in parte catholica. Non quod pronuntiem ab hac alienum, neque meum enim est damnare quenquam. Domino suo stat ille aut cadit. Quod si res deveniet ad extremum tumultum, ut utroque nutet ecclesiae status, ego me interim in solida illa Petra figam,

donec rebus pacatis liquebit ubi sit ecclesia, atque illic erit Erasmus ubi erit evangelica pax.‘[1] Sed id Erasmi infortunium erat, quod locus tranquillus, quo studiis deditus turbarum exitum exspectare posset, non dabatur. A Luthero, quum jam res ecclesiasticas mutare coepisset, et in agendi ratione et in singulis quibusdam sententiis magis quam antea abhorrebat. Nihilominus etiam tunc in summa rerum cum eo consentiebat. Ipse Zvinglio scripsit: ‚Videor mihi fere omnia docuisse quae docet Lutherus, nisi quod non tam atrociter quodque abstinui a quibusdam aenigmatibus et paradoxis.‘[2] Sed si totum hunc consensum, licet acerrime simul castigatis quae in Luthero non probabat, palam ostendisset, statim a Curia cum Luthero condemnatus esset; quod evitandum putavit, quoniam sperabat fore, ut paulatim Curiam adjuvantibus principibus ad efficiendam reformationem illam permoveret. Aliud quoque argumentum praetexuit, quod Oecolampadio significavit his verbis: ‚Non possum periclitantibus et opem nostram implorantibus vestris succurrere apud pontificem aut principem, si persuasum habuerint, me vestrum esse.‘ Quibus verbis ancipitem animi condicionem prodere potius quam excusare videbatur. Itaque singula tantum tanquam in ecclesiae statu emendanda et a Luthero juste monita commemorare solebat, modo non sine audacia quadam, modo nimia illa, quam diximus, timiditate et nimio pacis amore.

Neminem fugiet eandem timiditatem causam fuisse, cur ex altera parte quae in Luthero non improbaret, fusius exponere recusaverit. Quod non sine asperso sale pro sinceritate sua confitetur. Lovaniensibus flagitantibus ut stilo illum confoderet, respondit, non videri aequum, ut ultro negotio admisceretur, cujus initium a se non esset natum; magis convenire ut ipsi qui fabulam hanc agere coepissent peragerent, ut ipsi mortarium alliatum, quod intrivissent, exederent; neque tutum sibi esse irritare in caput suum hominem, nec edentulum, nec mutilum, et qui plane, quod libri testentur, foenum habeat in cornu, neque consultum sibi, tot principum Germanorum, tot eruditorum hominum odia in se sine causa concitare.‘[3] Sed retinebatur simul aliis causis iisque nobilioribus. Illiberale et inhumanum esse censebat, ejus maculas enumerare, cui non liceret meritam laudem pleno ore tribuere. Praeterea etiam in illis dignoscendis sibi ipsi non fidit, quippe qui magis quam ullus aequalium perspexerit, quam incertum esset humanum judicium, quam diversi in diversis rebus assequendis etiam

1) Opp. III, 633. 2) In epistola quae legitur in Hessii Erasmo II p. 566 ss. 3) Epp. XV, 5.

summorum ingeniorum limites, quoties falsi aliquid mixtum cum vero. Quare Georgio Duci, acerrimo Lutheri osori, scribit, se vix ausum esse suo fidere judicio, quoties suo cum animo reputasset, tot hominum millia in Lutheri favorem consentientia, inter quos si nihil se moveret turba, plurimos nosset ingenio felici magnoque judicio praeditos nec vulgari doctrina, postremo sibi semper antehac visos integros ac pios homines. Proinde saepe secum se demiratum esse, quid illi viderent in scriptis Lutheri, quod tam pertinacibus studiis amplecterentur ac tenerent mordicus. Veritum se esse nonnunquam, ne sui stuporis esset, qui ea non perspiceret, quae illi veluti perspicua tanta cum fiducia tantoque consensu tuerentur. Non esse igitur, quod quisque reprehendat suam cunctationem, quum lentius cunctatus sit divus Hilarius, antequam in Arianos stringeret calamum.‘ Similia multa in epistolis ejus ad diversos homines occurrunt, neque dubitari potest, quin conscientiae suae dubitationes sincere ubique expresserit. Eodem animo Melanchthoni scribit, ‚se veritum esse hactenus labefactare quae displicerent in Luthero, ne simul ruerent et approbata.‘ Pro ingenio suo ad disquirendum et disceptandum nato in contortis quaestionibus scepticum potius quam dogmaticum agere mavult. Praeterea scriptam litteram inter viros veri studiosos vivae voci posthabendam censuit, fortassis etiam periculosam. Itaque eidem Melanchthoni, tunc de praedestinatione cum Luthero sentienti, de locis ejus theologicis libentissime perlectis scribit, ‚inter legendum se scrupulis aliquot offensum esse, de quibus voluisset cum eo communicare si coram licuisset; videre se dogmatum aciem pulchre instructam adversus tyrannidem pharisaicam, sed in his quaedam esse, quae se non assequi ingenue fateatur; quaedam ejus generis, ut etiamsi tutum esset nollet profiteri propter conscientiam, et tamen istos homines (de Hutteni similibus loquitur) fremere in se quod illa non profiteatur.‘ Et in eadem memoranda epistola scribit: ‚Immo nisi Viteberga tam procul abesset, non dubitassem istuc proficisci dies aliquot, cum Luthero et tecum communicaturus.‘ Similiter jam antea eidem scripserat.[1] Sincero animo et docere et doceri paratus esse sibi videbatur. Num revera, si Viteberga propius abfuisset, illuc proficisci ausus esset, dubitare quispiam poterit.

Sed tali communicationis et consensionis desiderio Lutherus omnino non tenebatur. Quum ad intuendum et agendum maxime idoneus esset, inter tot gravissima negotia ad erudite disceptandum et con-

1) Epp. XIX, 113. s.

ferendum non quidem deerat ingenium sed animus. In Erasmi indole et theologia quae dubia et debiliora erant, accurate perspexit et reprobavit, quae magna et fortia erant, immo quae sana quaedam futuri Protestantismi semina continebant, ex parte non animadvertit, neque tamen inesse in iis aliquid quod non animadverteret suspicabatur. Itaque magis magisque sibi persuasit, quod ad christianarum rerum intellectum pertineret, nil esse ab illo discendum.[1] Talia vero judicia quum ipso invito spargerentur,[2] factum est, ut inter ejus sectatores etiam viri ingenii exigui vel moribus evangelico nomine parum digni valde superbi in Erasmum fremerent, quod non profiteretur quae salva conscientia profiteri non poterat. Verum etiam Zvinglium hic queritur admodum fastidiose sibi scripsisse: ,Quae tu scis non conducunt nobis, quae nos scimus non conveniunt tibi — quasi ille, cum Paulo raptus in tertium coelum, didicisset arcana quaepiam, quae nos terrestres fugerent.'[3] Ipse Lutherus mitius semper adhuc cum eo agit; datis litteris agnoscit per eum ad sinceram bibliorum lectionem ventum esse, liberrime quae in eo desideret profitetur, sed veneratur etiam in eo magnificum atque egregium Dei donum; se optare ait, ut amici illum tantis animis impetere desinant sinantque ejus senectutem cum pace in domino obdormire, sed ab Erasmo quoque parcendum esse illorum humanae infirmitati; non mirum enim quod ejus sparsos aculeos et dentes inique ferant; tantam esse ejus auctoritatem et nomen, ut longe aliud sit, ab Erasmo semel esse morsum, quam ab omnibus papistis esse commolitum. Monet eum ne libellos contra se edat, sicut ipse contra eum non editurus sit. ,Satis morsum est', inquit, ,nunc providendum ne consumamur ab invicem.' Mire similia haec sunt eorum, quae ipse Erasmus paucis annis ante Fabro Stapulensi scripserat.

Non fugit Erasmum, quantum periculi palam pugnans contra Lutherum et sibi et veritati conflaturus esset. Hujus temporis memor postea scribit, jam tunc ,volitasse monachorum voces: committemus Erasmum cum Luthero, deinde perdemus utrumque', vel: ,Confecto Luthero adoriemur Erasmum.'[3] Quare Lutheri epistolam illam, per optimae spei adulescentem, postea clarissimum philologum, Joachimum Camerarium traditam, initio aegre non tulit. Id testantur verba ejus in litteris ad familiarissimum suum Pirkheimerum datis: ,Scripsit ad me Martinus Lutherus satis humaniter. Cui non sum ausus pari humanitate respondere propter sycophantas. Respondi tamen paucis.'

1) Briefe II, 412. 2) Er. epp. XIX, 118. 3) Opp. IX, 1104. Epp. XXII, 29.

summorum ingeniorum limites, quoties falsi aliquid mixtum cum vero. Quare Georgio Duci, acerrimo Lutheri osori, scribit, se vix ausum esse suo fidere judicio, quoties suo cum animo reputasset, tot hominum millia in Lutheri favorem consentientia, inter quos si nihil se moveret turba, plurimos nosset ingenio felici magnoque judicio praeditos nec vulgari doctrina, postremo sibi semper antehac visos integros ac pios homines. Proinde saepe secum se demiratum esse, quid illi viderent in scriptis Lutheri, quod tam pertinacibus studiis amplecterentur ac tenerent mordicus. Veritum se esse nonnunquam, ne sui stuporis esset, qui ea non perspiceret, quae illi veluti perspicua tanta cum fiducia tantoque consensu tuerentur. Non esse igitur, quod quisque reprehendat suam cunctationem, quum lentius cunctatus sit divus Hilarius, antequam in Arianos stringeret calamum.' Similia multa in epistolis ejus ad diversos homines occurrunt, neque dubitari potest, quin conscientiae suae dubitationes sincere ubique expresserit. Eodem animo Melanchthoni scribit, ,se veritum esse hactenus labefactare quae displicerent in Luthero, ne simul ruerent et approbata.' Pro ingenio suo ad disquirendum et disceptandum nato in contortis quaestionibus scepticum potius quam dogmaticum agere mavult. Praeterea scriptam litteram inter viros veri studiosos vivae voci posthabendam censuit, fortassis etiam periculosam. Itaque eidem Melanchthoni, tunc de praedestinatione cum Luthero sentienti, de locis ejus theologicis libentissime perlectis scribit, ,inter legendum se scrupulis aliquot offensum esse, de quibus voluisset cum eo communicare si coram licuisset; videre se dogmatum aciem pulchre instructam adversus tyrannidem pharisaicam, sed in his quaedam esse, quae se non assequi ingenue fateatur; quaedam ejus generis, ut etiamsi tutum esset nollet profiteri propter conscientiam, et tamen istos homines (de Hutteni similibus loquitur) fremere in se quod illa non profiteatur.' Et in eadem memoranda epistola scribit: ,Immo nisi Viteberga tam procul abesset, non dubitassem istuc proficisci dies aliquot, cum Luthero et tecum communicaturus.' Similiter jam antea eidem scripserat.[1] Sincero animo et docere et doceri paratus esse sibi videbatur. Num revera, si Viteberga propius abfuisset, illuc proficisci ausus esset, dubitare quispiam poterit.

Sed tali communicationis et consensionis desiderio Lutherus omnino non tenebatur. Quum ad intuendum et agendum maxime idoneus esset, inter tot gravissima negotia ad erudite disceptandum et con-

1) Epp. XIX, 113. 3.

ferendum non quidem deerat ingenium sed animus. In Erasmi indole et theologia quae dubia et debiliora erant, accurate perspexit et reprobavit, quae magna et fortia erant, immo quae sana quaedam futuri Protestantismi semina continebant, ex parte non animadvertit, neque tamen inesse in iis aliquid quod non animadverteret suspicabatur. Itaque magis magisque sibi persuasit, quod ad christianarum rerum intellectum pertineret, nil esse ab illo discendum.[1] Talia vero judicia quum ipso invito spargerentur,[2] factum est, ut inter ejus sectatores etiam viri ingenii exigui vel moribus evangelico nomine parum digni valde superbi in Erasmum fremerent, quod non profiteretur quae salva conscientia profiteri non poterat. Verum etiam Zvinglium hic queritur admodum fastidiose sibi scripsisse: ‚Quae tu scis non conducunt nobis, quae nos scimus non conveniunt tibi — quasi ille, cum Paulo raptus in tertium coelum, didicisset arcana quaepiam, quae nos terrestres fugerent.‘[2] Ipse Lutherus mitius semper adhuc cum eo agit; datis litteris agnoscit per eum ad sinceram bibliorum lectionem ventum esse, liberrime quae in eo desideret profitetur, sed veneratur etiam in eo magnificum atque egregium Dei donum; se optare ait, ut amici illum tantis animis impetere desinant sinantque ejus senectutem cum pace in domino obdormire, sed ab Erasmo quoque parcendum esse illorum humanae infirmitati; non mirum enim quod ejus sparsos aculeos et dentes inique ferant; tantam esse ejus auctoritatem et nomen, ut longe aliud sit, ab Erasmo semel esse morsum, quam ab omnibus papistis esse commolitum. Monet eum ne libellos contra se edat, sicut ipse contra eum non editurus sit. ‚Satis morsum est‘, inquit, ‚nunc providendum ne consumamur ab invicem.‘ Mire similia haec sunt eorum, quae ipse Erasmus paucis annis ante Fabro Stapulensi scripserat.

Non fugit Erasmum, quantum periculi palam pugnans contra Lutherum et sibi et veritati conflaturus esset. Hujus temporis memor postea scribit, jam tunc ‚volitasse monachorum voces: committemus Erasmum cum Luthero, deinde perdemus utrumque‘, vel: ‚Confecto Luthero adoriemur Erasmum.‘[3] Quare Lutheri epistolam illam, per optimae spei adulescentem, postea clarissimum philologum, Joachimum Camerarium traditam, initio aegre non tulit. Id testantur verba ejus in litteris ad familiarissimum suum Pirkheimerum datis: ‚Scripsit ad me Martinus Lutherus satis humaniter. Cui non sum ausus pari humanitate respondere propter sycophantas. Respondi tamen paucis.‘

1) Briefe II, 412. 2) Er. epp. XIX, 113. 3) Opp. IX, 1104. Epp. XXII, 29.

Addit de illustri Lutheri socio, qui tunc haud longe a Basilea aberat: ‚Melanchthon cupiebat colloqui nobiscum sed non audebat me gravare invidia. Ego certo eam invidiam contempsissem. Est juvenis ingenii candidissimi.‘[1] Sed quum epistola illa Lutheri circumferretur, angebatur Erasmus excitata suspicione, quasi ipse colluderet cum illo, si scilicet, id quod ille tam amice petiverat, nihil ederet contra ejus dogmata. Hoc vero se facturum, urgentibus certatim proceribus, quorum ope carere non posse sibi videbatur, antea quodammodo promiserat. Ipse Adrianus papa eodem verbo, quo Leo in bulla sua Dominum, Erasmum contra Lutherum inclamaverat: ‚Exsurge!‘ ‚exsurge in adjutorium causae Dei!‘[2] Saepius postea hic confitetur, se invito Marte, jussu Pontificis, Caesaris aliorumque principum manum cum Luthero conseruisse.[3] Per plures annos illis restiterat, id considerans, quod jam initio excitanti doctissimo amico Bombasio rescripserat: ‚Perdifficile est sic temperare stilum, ut ita tuearis hominum dignitatem, ut non alicubi laedas gloriam Christi, ita placeas principibus ἀνθρώποις, ut non alicubi displiceas principi Christo.‘[4] Itaque quum denique non se posse non scribere censuisset, certe implere studuit quod amico longe cariori Pirckheimero promiserat: ‚Ego non scribam, aut ita scribam, ut qui pugnant pro regno pharisaico malint me siluisse.‘[4] Et ipsum libellum editurus eidem scripsit: ‚Ego rem ea moderatione tracto, ut sciam nec ipsum Lutherum indignaturum.‘

XIV.

Erasmus quum libellum de libero arbitrio contra Lutherum scriberet, eorum memor, quae de componendo ejusmodi opusculo sibi proposuerat, mira mansuetudine erga eundem uti ausus est, quem ut ‚felicissimo stilo suo‘ confoderet Adrianus papa pius sed male doctus et informatus nervose ab eo postulaverat, ‚carnalem hominem‘ illum nominans ‚super cedros Libani exaltatum sed mox transiturum, qui tam stolidas rusticasque quam malignas istas haereses non quidem invenisset, sed a veteribus haeresiarchis saepius condemnatis acceptas quasi ab inferis denuo eruisset.‘ Ejusmodi horrendae accusationis ne minimum quidem vestigium in Erasmi libello illo detegimus. Reprehendit quidem, sed simul excusat nimium paradoxorum et hyperbolarum amorem in Luthero, quippe qui perniciosissimas aliorum hyperbolas

1) Epp. XXX, 36. Cf. 37. 2) In Er. epp. XXIII, 3. 3) Epp. XXII, 29. 4) Epp. XXX, 35.

suis oppositis propellere voluerit; utrarumque talium hyperbolarum collisione nasci haec fulmina ac tonitrua, quae concutiant orbem. Unum illius dogma, quod ad humanae voluntatis indolem spectat, multis argumentis subvertere conatur, idque intimam, ut vidimus, sui animi sententiam secutus. Satis modeste tamen etiam ad hanc rem accedit, experturus, ut ipse dicit, quoniam ita visum sit amicis, num ex sua quoque conflictatiuncula veritas reddi possit dilucidior. Et in fine opusculi diserte declarat, ‚si sua et tot priscorum doctorum sententia, quam argumentis denuo fulcire adnisus sit, recepta fuerit, nihil perire eorum, quae Lutherus pie et christiane disseruerit, de summa caritate in Deum, de abjicienda fiducia meritorum, operum et virium nostrarum, de tota fiducia transferenda in Deum ejusque promissa.‘ ‚Nec hic ago‘, inquit, ‚personam judicis sed disputatoris et tamen possum illud affirmare, me in disputando eam servasse religionem, quae olim in causis capitalibus a juratis judicibus exigebatur. Nec me, licet senem, vel pudebit, vel pigebit a juvene discere, si quis cum evangelica mansuetudine doceat evidentiora. — Contuli, penes alios esto judicium.‘

Equidem, si hodie theologus papae subjectus tam audaci modestia de argumento quodam, de quo Roma locuta est, cum viro illic haereseos condemnato, Doellingero verbi causa, agere instituerit, vix ipsum haereseos notam effugiturum esse crediderim. Verum tam debilitata atque abjecta tunc erat Romana curia, ut ejus asseclae, exceptis furiosis quibusdam monachis, jubilarent et triumpharent, quod omnino tantus vir, reipublicae litteriae princeps, palam aliquatenus resistere Luthero ausus esset. Neque frustra speraverunt fore, ut quae spectante mundo inter utrumque conflictatio incepta erat paulatim incalesceret. Lutherus opusculo de servo arbitrio scripto acrius, quam ipse volebat, Erasmo respondit, deinde Erasmus haud minus acriter Luthero duobus libellis, quos hyperaspistas vocavit. Sic omne inter utrumque evangelicae conjunctionis vinculum abruptum est, laetantibus ab utraque parte qui zelotae jure dicuntur, dolentibus multis viris evangelio sincere addictis, aliis denique incertis huc illuc inclinantibus.

De ipso illo dogmate inter utrumque virum controverso pauca tantum hic dicenda sunt. Complectitur illud multas quaestiones haud parum abstrusas ac difficiles: de natura et gratia, de rebus contingentibus, quas dicunt, et necessariis, de ratione inter divinam scientiam et voluntatem statuenda. De quibus rebus omnibus ita illi egerunt, ut tum scholasticae philosophiae formis uterentur, tum

locos biblicos adhiberent singulatim excerptos neque secundum cujusque scriptoris sacri doctrinae summam et nexum explicatos. Talis argumentandi methodus (cujus angustos fines et Erasmus et Lutherus aliis scriptis transgredi aliquatenus coeperunt) nostrae aetati arridere ac satisfacere nequit. Nihilominus praeclarum utriusque viri ingenium etiam in libris, quos diximus, elucet. Erasmus non frigide, ut post Lutherum multi censuerunt, sed intima pietate ductus, dum urget ejus conscientiam intellectus practici potentia, cavere studet, ne prima causa peccati a creatura in Deum transferatur; ideo libertatem humanam tuetur, cujus nobile aliquid residuum similiter atque Kantius non minus quam corruptam radicitus peccato humanam naturam agnoscit. Contra Lutherum iisdem, quibus postea Lutherani contra Calvinum, argumentis utitur.[1] Ipse in ‚hyperaspistis' suis satis hostile illud adversarii scriptum contemptim interdum judicat, sed se colligens saepius illud diu multoque studio elaboratum esse agnoscit, immo quidquid ecclesia Vitebergensis eloquentia et eruditione (addit: maledicentia) potuerit, id totum in eum librum collatum esse arbitratur. Lutherus vehementiore ut solebat nec satis cauto impetu mixtis theoreticis et practicis rationibus, sed ductus nobili ardore, ingenii quasi oculis in rerum profunditatem penetrantibus, ad eum maxime scopum intendit, quem apostolus his exprimit verbis: ‚ut omne os obstruatur et omnis mundus subditus fiat Deo.' Quare tum naturalis hominis arbitrium vere peccato servum esse arguit, tum ab ejus mutabilitate et inconstantia nullo modo pendere vult aeternarum divinarum cogitationum quasi seriem, humanam rationem longe supereminentium, quibus fiat, ut universus seculorum decursus immutabili quadam necessitate ad certissimum praeclarissimumque finem dirigatur. Quod si non concedatur, Deum mutari putat in ‚idolum Fortunae, cujus numine omnia temere fiant.' Quapropter et multi theologi, ita tantum soli gratiae dari gloriam arbitrantes, Lutheri libellum summopere laudaverunt cum Calvino, et multi philosophi, determinismi qui vocatur vindices, cum Leibnitio, qui necessitatem illam cum scholasticis quibusdam fatum christianum nominavit.[2] Etiam Lessingius hac ex parte se Lutherum sequi quondam confessus est. At veritas inter hunc et Erasmum controversa, similiter atque cherubi in mystica prophetae visione diversas quasi facies habet sibi invicem oppositas, quas uno obtutu complecti difficillimum est. Itaque in utroque viro desideramus aliquid quod alter

1) Quod recte admonuit Kattenbusch in: Luther's Lehre vom unfreien Willen.
2) In praef. ad theodiceam.

possidet; in conjungendis et consociandis iis, quae recte ab utroque dicta sunt, postea multa praeclara ingenia usque ad nostros dies nisa esse videmus. Illam vero ipsius rei difficultatem Lutherum minus perspexisse constat quam Erasmum, quippe qui statim initio libelli sui monet, ,multa servari ei tempori, quo jam non visuri simus per speculum et in aenigmate, sed revelata facie Domini gloriam contemplaturi.'

Inde factum est, ut Erasmus priore libello suo satis clementer de adversario suo judicaret; vix uno alterove loco paulo acrioribus verbis utitur. Atque deinceps quidem commentatio ejus etiam Vitebergae aequis animis accepta est. Lutherus reverenter eum salutavit per Melanchthonem. Qui scripsit Erasmo, perplacuisse ejus moderationem, tametsi alicubi nigrum salem aspersisset; verum non tam irritabilem esse Lutherum, ut devorare nihil posset. Obsecratur eum, ne vehementius illum oppugnando ipsi evangelii causae noceat. Cui Erasmus sincere et digne respondens, se nunquam scientem arma sumpturum adversus evangelicam veritatem pollicetur.

Lutherus vero in libello suo non ea, quae sperari poterat, aequitate cum Erasmi persona egit. Non deerant, qui contra hunc, utpote cujus auctoritate adversarii abusuri essent, Lutherum excitarent quumque ipse inter tot negotia omnia legere et examinare non posset, ad eum minus candide quam Melanchthon aliena referrent, odiosa narrantes, meliora tacentes. Ipse quum unam illam Erasmi commentationem accuratius inquirere et verba ejus pensare cogeretur, ,incogitantia ejus, praesertim in re tanta, offensum se esse' dicit, ,quare istum frigidum et pigrum disputatorem excitare et velut stertentem pungere conatus sit.' Sed debiliora quaedam habet et ipse; quae graviora ac firmiora sunt apud Erasmum non videt. In doctrina biblica quaedam altius quam post apostolos quisquam alius perspexerat, sed inde ortam certitudinem et fiduciam, qua sola tot tantasque res perficere potuit, nimis festinanter etiam ad alias sententias transtulit cum illis conjunctas quidem sed diversi ipsas generis. Sic non tantum de valde dubiis quorundam scripturae locorum interpretationibus persuasissimum ei erat, sed etiam de nonnullis opinionibus ex scholasticorum inprimis nominalium qui dicebantur schola haustis, quorum diligens quondam discipulus fuerat.[1] Deinde eos, qui has opiones rejicerent, ipsam scripturae sacrae auctoritatem rejicere et a sincera fide chri-

1) Ritschl in: Jahrbücher für deutsche Theologie XIII, 78 ss.. Cf. Köstlin, Theologie Luther's II, 316 ss.

stiana alienos esse justo facilius suspicatus est, praepostero nimirum studio ductus, quod nimiis magni viri admiratoribus et sectatoribus malo usque ad nostra tempora exemplo erat. Itaque non mirum, quod in libro illo, propter naevos quosdam oculos offendentes, Erasmus aliique etiam ea spernebant, quae vera et eximia jure praedicamus.

Huc etiam nonnulla pertinent, quae contra agendi modum, quo utebatur Erasmus, praeclare dicta sunt. Quod penes hunc in laudabili pacis studio nimium et falsum est, vere apostolico ingenio illic castigatur. Demonstrat Lutherus, id quod sequentium seculorum historia magis magisque comprobatum est, ‚sibi teste ipso Erasmo contra manifestum mendacium sanguinariamque violentiam pugnam divinitus commissam esse, quae, quum cedere ipse salva conscientia nullo modo possit, sibi per tot vitae pericula, per tot odia atque insidias, breviter per furias hominum et daemonum sustinenda sit.‘ ‚An tibi soli putas esse cor quod istis tumultibus commovetur? Nec nos saxei sumus aut ex Marpesiis cautibus nati. Sed quando aliter fieri non potest, praeeligimus temporali tumultu collidi quam aeterno tumultu sub ira Dei conteri.‘ Deinde postquam scripturae testimoniis ostendit, constantissimam verbi Dei fortunam esse, ut ob ipsum mundus tumultuetur, ‚Hos igitur tumultus‘, inquit, ‚velle sedare aliud nihil est quam velle verbum Dei tollere et prohibere. Sermo enim Dei venit mutaturus et innovaturus orbem, quoties venit. At etiam gentiles scriptores testantur, mutationes rerum sine motu et tumultu, immo sine sanguine fieri non posse. Christianorum jam est, haec praesenti animo exspectare et ferre, sicut Christus dicit: Quum audieritis proelia et rumores proeliorum, nolite terreri. Video sane te, mi Erasme, in multis libris queri de istis tumultibus, de amissa pace et concordia, deinde multa conaris ut medearis, bono (ut equidem credo) animo, sed ridet medicas tuas ista podagra manus; hic enim vere, ut dicis, contra fluvium navigas, immo stipula incendium restinguis.‘ ‚Ita te rotat tua illa prudentia, qua neutri partium adhaerere statuisti.‘ ‚Super aristas graderis, ne videaris nec nostra simpliciter damnare nec Pontificum tyrannidem offendere.‘ ‚Desine queri, desine mederi, tumultus ille divinitus et ortus est et geritur, non desiturus, donec ut lutum platearum reddat omnes adversarios verbi.‘ Quod prophetae verbum symbolice a Luthero adhibitum esse, quisquis sanae mentis est, facile videbit. De terribili Dei judicio loquitur, quod ut sincera Pontificiorum poenitentia averteretur, optare et orare nunquam cessavit.

Haec igitur omnia tam prudenter quam recte ac fortiter dicta sunt. Sed juxta ea inveniuntur alia, quae eandem laudem minime merentur. Compluries enim Lutherus, quum verba quaedam Erasmi incautius et imprudentius dicta vituperare jure posset, nimiae irae indulgens ad pessimum sensum tam hostiliter illa detorsit et exagitavit, ut se peccasse ipsi postea confitendum esset. Gravissimum ejus rei exemplum hoc est. Erasmus initio libelli sui dicit, se cum unico Lutheri dogmate, eo nimirum, quod ad praedestinationem divinam pertinet, conflictaturum esse, non in aliud, nisi ut, si fieri queat, hac collisione scripturarum et argumentorum fiat evidentior veritas, cujus indagatio semper fuerit honestissima studiosis. Quod ut serio dictum appareat, addit ‚se adeo non delectari assertionibus, ut facile in scepticorum sententiam pedibus discessurus sit, ubicunque per divinarum scripturarum inviolabilem auctoritatem et ecclesiae decreta liceat, quibus suum sensum ubique libens submittat.‘ Quae illic de privata sententia ecclesiae subjicienda prae se fert, ex ipsius mente de ecclesia visibili et repraesentativa, cujus decreta satis libere interdum tractat, accipi non possunt itaque ambiguitatis crimen non effugiunt. Dubitationem suam praeponit eorum ingenio, quos dogmatistas vocat, qui ‚impotenter addicti sententiae suae nihil ferant, quod ab ea discrepet, sed quidquid legunt in scripturis detorquent ad assertionem opinionis, cui se semel manciparunt, sicuti juvenes, qui puellam amant immoderatius, quocunque se vertunt, imaginantur se videre quod amant.‘ Humaniter monendus fortasse erat, ne ipse justo libentius scepticum ageret, sed id luce clarius est, dubitationem, quam laudaverat, ad abstrusiores quasdam quaestiones theologicas et philosophicas pertinere, quales Lutherus plus satis coram vulgo inerudito tetigisse ei videbatur, non ad ipsum evangelium et christianae religionis fundamenta, quibus contra sui temporis ethnicos et pharisaeos fortiter vindicandis vires suas per longam vitam impenderat. Nihilominus Lutherus, propter nimium pacis amorem veritatis neglegentiam in illo suspicatus, eruditam ejus dubitationem ita interpretatur, quasi omnem religionem despiceret, ‚Lucianum spiraret, Epicuri crapulam exhalaret.‘ Addit quidem uno loco, se non de animo ejus dicere, neque enim se tam perditum illum existimare, ut talia doceat ex animo; sed voluisse se ostendere, quanta portenta cogatur imprudenter effutire, qui malam causam susceperit agendam. Saepius vero tam multis verbis tamque aspero stilo Epicureismi similitudinem illam depingit, ut mirandum non sit, quod ejusmodi suspicio, jam antea a monachis quibusdam in Erasmum intentata, in multorum mentibus et tunc et usque ad nostros dies haeserit.

Quae contumelia eo indignior erat, quo vehementius Lutherus contra Erasmum dogmatistae personam suscepit. Eadem fiducia, qua puri evangelii praeconem se esse scit, etiam in contortis quaestionibus theologicis et philosophicis, inter se et Erasmum controversis, nihil nisi certissimam veritatem a Deo revelatam se defendere putat. Propter ea quae in litteris et linguis illi debeat, sincero animo se eum venerari et suspicere ait. In rebus theologicis vero humi eum reptare neque quidquam super humanum captum cogitare opinatur. Non multum abest quin Christum ei ignotum esse judicet. Interrogat enim: ‚Tolle Christum e Scripturis, quid amplius in illis invenies?' Quasi vero non ipse Erasmus Christum sacrae scripturae et universae religionis nostrae scopum et centrum esse jamdudum ante Vitebergenses docuisset! Id Lutherus grato animo quondam agnoverat, nunc prorsus oblitus esse videtur. Jam enim mala consuetudine, quam magis magisque contraxit, veram pietatem christianam ibi tantum inveniri credit, ubi omnia fere sua dogmata accepta invenerit. Itaque ipsa extrema parte et conclusione operis, quamvis magna de Erasmo praedicet, tamen num vere Christianus sit dubios reddere lectores videtur. Alloquens eum, ‚Te nunc, mi Erasme', inquit, ‚per Christum oro, ut quod promisisti, tandem praestes, velle te cedere meliora docenti. Fateor, tu magnus es et multis iisque nobilissimis dotibus a Deo ornatus, ut alia taceam, ingenio, eruditione, facundia usque ad miraculum. Ego autem nihil habeo et sum, nisi quod Christianum esse me prope glorier. — Huic nostrae causae ut par esses, nondum voluit nec dedit Deus (id quod rogo nulla dictum arrogantia existimes), oro autem, ut propediem Dominus tanto te in hac re superiorem me faciat, quanto in omnibus aliis mihi superior es. Non est enim novum, si Deus Mosen per Jethro, Paulum per Ananiam erudiat. — Tu nihil asserere sed contulisse te scribis; sic non scribit qui rem penitus perspicit et recte intellegit. Ego vero hoc libro non contuli sed asserui et assero, ac penes nullum volo esse judicium, sed omnibus suadeo ut praestent obsequium. Dominus vero, cujus est haec causa, illuminet te et faciat vasculum in honorem et gloriam.' Quae omnia contra Ciceronianum quendam, frigidum Scripturae Sacrae et christianae religionis contemptorem optime dicta fuissent, summam vero injuriam temere intulerunt Erasmo, qui illius generis pseudophilologis per longum tempus enixe ac fortiter restiterat et in restituendum puriorem christianismum nobilissimas vires incredibilemque laborem contulerat. Dedecuit profecto magnum evangelii praeconem, de tali tantoque viro ita judicare, ut obscuris istis viris accedere videretur, qui illum

impiorum poëtarum ducem, non christianum theologum esse jamdudum clamitaverant.

Haud multo post ipse Lutherus, forsitan a Melanchthone aliisque amicis admonitus, se nimium fuisse in oppugnando Erasmo agnovit ejusque animum missis litteris demulcere studuit. Quae quum perditae sint, earum argumentum nisi ex Erasmi responso [1] iisque, quae hic passim de illis memorat, cognoscere et conjectare non possumus. Lutherus se peccatorem infirmum esse et hominem vehementi praeditum ingenio confessus est. De aliis ejusdem verbis dicit Erasmus ironice: ,Dejerat se in me esse animo candidissimo ac propemodum postulat, ut ipsi gratias agam, quod me tam civiliter tractaverit.' Et alio loco: ,Conatus est scriptis ad me litteris mihi persuadere, se candido et amico esse in me animo, sive crederem sive non crederem. Si sic vellicat amicum dormitantem, quas plagas infligeret si vellet hostem occidere?' Lutherus nimirum, similiter ac postea Lutheranorum probissimi quidam, [2] quanta injuria Erasmum atrocissimo et falsissimo crimine affecisset, non satis persentiebat. Scilicet falsam opinionem de nonnullis primariis Erasmianae theologiae sententiis, quas eum recte intellegere et ponderare non potuisse ostendimus, interea non deposuerat. Propter rejectum absolutae praedestinationis dogma etiam nunc humi illum reptare arbitrabatur. Verbis non re in libello suo se peccasse putabat. Quapropter epistola ejus, infelici insuper casu serius reddita, Erasmo, alias in offensis facile placabili, non satisfecit. Inflicta vulnera plus quam capitalia ejusmodi palpo non deleniri ait, quamvis dira illa convicia eo levius ferat, quod nihil horum sit, in quo se sua remordeat conscientia; nisi enim christiane de Deo deque divinis litteris sentiret, non optaturum se esse vel in crastinum sibi proferri vitam. Recordamur, quae quondam scripserat: ,Modis omnibus culpandus essem, si ad impietatis crimen obmutuissem; qui tale aliquid moderate ferre potest, is leviter pius est.' Tum leviorem suspicionem, a Fabro Stapulensi de eo motum, acerrimis verbis diluerat, ipsum hunc virum venerandum mox sibi conciliaverat. Non mirum quod longe gravius crimen, quod Lutherus coram orbe in eum intenderat, aequo animo non tulit. Questus est se objici ab illo furiosis quibusdam pharisaeis, scilicet stupidissimis istis monachis, qui jamdudum Erasmum (adde Lutherum) cum atheis aequaverant.

Itaque Erasmus valde irritato animo Hyperaspistem suum scripsit, cujus prior pars, quum Lutheri epistola ei redderetur, jam typis expressa

1) Epp. XXI, 28. 2) Cf. Seckendorff l. c. II. p. 29.

fuisse videtur. Probas quasdam Lutheri admonitiones male intellegit ac respuit. Aliquoties cum illo acrimonia certare videtur. Sic detecta falsa quadam ejus conclusione in se ipsum injuriosa, ‚Quis non malit', inquit, ‚rudentem asinum audire quam hunc disputantem, si tantum hoc disputare est.' Neque vero desiderantur in Erasmi libro recte, acute, praeclare dicta, quibus Lutherus ejusque amici doceri potuissent, Melanchthon, licet initio et ipse irritatus fuerit, doceri se passus est, quippe qui doctrinam de praedestinatione mitigare et cautius tractare paulatim coeperit, receptis ex parte iisdem loquendi formulis. Docet enim Erasmus etiam in Hyperaspiste, ‚ex abundanti se donare totum esse malum quod homo ex se cogitet; superesse tamen indolem Spiritui divino habilem, qui nulli desit nisi nolenti'. Injusta quaedam opprobria insigniter refellit. Se toto pectore venerari ait verbum Dei, sed non arbitrari, quidquid Lutherus asseveret, esse verbum Dei. Rem controversam non pendere a verbis scripturae, sed ab ejus interpretatione; illum hoc peccare, quod sibi perpetuo suam interpretationem obtrudat pro verbo Dei. Immo bene videt, id quod nemo nunc harum rerum gnarus infitiabitur, Lutherum passim, ubi certissimam veritatem proferre sibi videatur, revera non sequi scripturam sed scholasticos quosdam, quare eum dicit ‚sophisticam theologiam non sustulisse sed mutasse.' Se ipsum si minus erudite, saltem timide et cum reverentia tractare sacras litteras, illum violentum irrumpere atque contendere hoc sentire scripturam quod ipse velit quodque suis dogmatibus commodum sit, quasi scripturae dominus esse postulet, non dispensator. Quoscunque enim ut doctos et pios laudaverit, eos, ubi ab ejus dogmatibus vel latum digitum dissenserint, protinus pati metamorphosim, ex Lynceis verti in talpas, ex hominibus in fungos; Carolostadium (cujus inconstantiam Erasmus sane non perspexit) repente ex spiritus sancti myrothecio factum esse organum Satanae. Quomodo igitur inter hos omnes, rejecta etiam priscorum patrum auctoritate, Lutherum solum se certissimum scripturae sensum tenere sibi persuasisse? ‚Fateor ingenue', inquit, ‚torsit hic scrupus serio animum meum, et si cupis ut dicis carissimum fratrem lucrifacere, nihil prius est faciendum, quam ut hanc remoram amoliaris; patiar conviciorum tuorum colaphos et alapas, modo praestes quod cupio. Te obsecro, ut ostendas nobis, quibus rationibus istum scrupum tibi ipsi ex animo excusseris tantamque conceperis fiduciam.'

Haec, licet ironia quadam admixta, tamen serio dicta esse ex aliis ejusdem libri locis apparet. Nam illic quoque contra pharisaeos Romae imperium exercentes fortiter pugnat. Non adeo se me-

tuere Pontificem declarat, ut, si constaret sibi receptam quandam sententiam esse damnandam, id palam inter eruditos proferre non auderet. Tantum abesse ut sciens oppugnet evangelium, ut malit decies occidi quam contra animi sententiam oppugnare unum iota veritatis evangelicae. In salutis negotio non aliunde se flagitare praesidium quam a misericordia Domini neque secundum Deum ulla in re plus habere vel spei vel solatii quam in sacris litteris. Quod ad Lutherum pertinet, posteaquam et ipse in libello suo tot ei retribuit alapas et colaphos, non veretur dolorem suum testari, quod propter adhaerentem illi, ut putat, animi morbum etiam ea fide careant apud plurimos, quae recte vel doceat, vel moneat, vel inculcet, qualia fatetur esse permulta in scriptis ejus. Sic palam judicare de viro a papis et episcopis sollemniter condemnato, a Caesare proscripto, qui ira et falsa suspicione abreptus ipsum Erasmum ut Epicureum perstrinxerat, animi erat neque servilis neque a generositate christiana alieni. Eodemque spiritu ductus alteram libri partem his verbis concludit: ‚Christus illuminet nos omnes cum Luthero, ut omnes uno ore, eadem mente eademque sententia praedicemus communem omnium Dominum, cui gloria sit in aevum. Amen.‘

XV.

Postea quoque Erasmus cum pro ipsa pace tum pro veritate et libertate evangelica certare pergebat. Quod certamen orto inter eum et Lutherum publico discidio longe difficilius ei redditum est. Sed mihi quidem ita in eo perseverasse videtur, ut saepius ad illud contemplandum et examinandum reversus non possim non adsentiri his verbis, quae vir integerrimus et eruditissimus, Albertus Fabricius, ‚centifolii Lutherani‘ scriptor ipsique Luthero sincere addictus, quondam edidit: ‚Ego quo attentius Erasmi scripta et actiones considero, multa in eo video magni animi vestigia unius prae multis nullibus contemnentis pecunias, dignitates, convicia, minas, promissa, omnia susque deque aestimantes, unice celebrantis ubique et commendantis virtutem, pietatem, bona et recta studia: vicissim errores et abusus in papa, principibus, episcopis et monachis, amicis et hostibus aperte et summa libertate carpentis, atque in his omnibus ex symboli sui formula vere c e d e n t i s n u l l i.‘ Etiam extrema haec verba, si totum virum aequo judicio ponderamus, recte se habent. Sane, qualem descripsimus, posci ab eo non poterat, ut coram Principibus vel Imperii comitiis prophetae instar adversariis obviam iret. Sed ubi locus divinitus ei assignatus erat, in republica litteraria contra illos

omnes agnitam veritatem fortiter tuebatur. Quod, quisquis difficultates, quibus ille circumventus erat, clare perspexerit justeque aestimaverit, non poterit non admirari. Licet enim plus semel labaverit (cujus rei exempla et dedimus et infra dabimus), tamen denuo semper exsurrexit seque sublevavit. Quumque impediretur innata quadam anxietate et timiditate, eo magis laudandus est, quod continuo superare se ipsum haud frustra tentaverit. Neque enim tam pusilli animi erat, quam vulgo creditur. Hac ex parte recens etiam summus scriptor, qui alias egregie de illo judicavit, haud veram ejus imaginem finxit et designavit.[1] Memorat, id quod alii eum secuti iteraverunt, jam ad vocem mortis illum contremuisse. Verum Erasmus id pro ingenuitate sua de adulescentiae suae tempore quodam narrat. Ceterum innumeris epistolarum et librorum locis pie, copiose, sine ullo timore de morte loquitur. Ipsum sigillum Erasmi Terminum Deum quasi mortis imaginem exhibet cum inscriptione: Cedo nulli.[2] Bono animo Melanchthoni quondam scripsit: ‚Si constet ratio conscientiae, nihil est quod metuam, quamlibet, ut isti jactant, pusillanimis.‘

Immo id jure aliquis dixerit, Erasmi timiditatem aliquam partem ex continuo bonae conscientiae studio ortam esse. Anxius etiam atque etiam, ut solent homines ad contemplationem magis quam ad agendum apti, aliorum sententias diversarumque partium rationes perpendit: de his omnibus, ut evitato schismate universae ecclesiae prospiceretur, religiosissime, priusquam aliquid ageretur, statui voluit. Etiam Lutherus initio cum Erasmo sperabat fore, ut paulatim universa ecclesia catholica reformaretur. Concilium vere liberum et christianum, a quo tot malorum remedia exspectabantur, quamdiu episcopi ad foedissimam servitutem jurejurando papae obstricti erant, non dari sensim intellexit. Quare, id quod supra fusius enarravimus, universae ecclesiae salutem divinae providentiae commendavit; sibi satis esse ducebat, ubi sui officii esset, singularum animarum et singularum suae urbis et terrae ecclesiarum curam habere, ceteroquin victrici verbi divini potentiae confidere. In praesenti agendum sibi aliquid esse invitus fere intellexit; quod officii sui esse cognoverat, id propter futuri temporis pericula procrastinare nefas habuit. Immo similiter atque veterrimi Christiani mundi finem appropinquare existimabat; quare quam celerrime, quidquid fieri poterat, faciendum ei videbatur. Erasmus vero, de futuro ecclesiae tempore sollicitus, praesentis officia prolatare

1) L. de Ranke l. c. I, 180.
2) Opp. X, 1759.

quam aliquid praecipitare maluit. Historia edoctus, sensu ut ita dicam historico duraturos praesentium rerum effectus spectabat. Per multos jam annos cum tot omnium terrarum viris piis et eruditis epistolarum commercio conjunctus, oecumenico quasi animo et intuitu varios seculi casus amplectebatur. Omnia ab omnibus partibus praeparanda esse censuit, ut universale concilium, si fieret, liberum et christianum esse posset. Hanc rem praecipue Carolo Caesari principibusque Germanicis cordi fore speravit. Huic rei etiam Lutheranos, qui dicebantur, optime profuturos esse putavit, si eousque, quae nunc emendari ubique non possent, patienter tolerarent, neque a Romana ecclesia praepostere secederent. Quid salva conscientia concedere illi possent, quid non possent, non satis ponderavit. Pericula et illis et omnibus aliis imminentia accuratius quam alius quisquam perspiciebat.

Sine dubio Erasmus, sicuti postea Leibnitius, qui ad eandem spem concilii liberi et vere universalis reversus est, discidia religionis litteris quoque doctrinisque humanis officere videbat. Sed bonas litteras divino regno inservire voluit, neque propter litteras solum, verum propter ipsam ecclesiam omniumque christianorum salutem ecclesiae unitatem sustentare studuit. ‚Omnes‘, inquit, ‚amo ex aequo, qui Christum diligunt.‘ Scribit Melanchthoni: ‚Ego quae longo jam usu inveteraverant, sic cupiebam paulatim corrigi, ut libertas evangelica posset esse omnium gentium communis.‘ Et alio loco: ‚Meae litterae nulli factioni servierunt unquam, quam Christi, qui communis est omnium. Quid hoc ingenio, quid his litteris valeam nescio, certe conatus sum et cupio prodesse non modo Germanis, sed Gallis, Hispanis, Britannis, Bohemis, Rutenis atque adeo Turcis et Saracenis quoque si queam.‘ Saepius et occidentalium et orientalium Christianorum discidia etiam propterea deplorat, quod a promovendo inter gentes evangelio eos prohibeant. Quare haec omnia tristissimo animo contemplatus in precatione pro pace ecclesiae invocat Dominum: ‚Ne permittas, ut Judaei, Turcae ac ceteri, qui vel non noverunt te, vel invident tuae gloriae, perpetuo glorientur de nobis dicantque: Ubi est Deus eorum?‘[1] Et ad Principem quendam Luthero faventem scribit: ‚Quum Deus juxta prophetae testimonium regnare gaudeat in latitudine populi quumque videamus christianae religionis pomoeria usque adeo contracta in arctum, quis non discrucietur animo, hoc ipsum, quod superest, tot opiniorum morbis, tot morum corruptelis esse vitiatum, tot sectis divisum atque distractum?‘[2]

1) Ps. 42 (LXX: 41) v. 4. 11.
2) Cf. Epp. XXIII, 5; XIX, 3; XVII, 18; XIV, 13.

Quae omnia tamen non ita dicit, ut justo plus externae ecclesiae societati tribuat. Id jam haec ejus verba ostendunt, in symboli explicatione obvia, quam posteriore vitae tempore conscripsit: ,Nemo cogitur scire an hic aut ille sit ecclesiae membrum. Satis est credere, esse talem quandam societatem ad vitam praedestinatorum, quam Christus suo spiritu conglutinavit. Fieri potest ut excommunicatus sit in communioue ecclesiae, excommunicator resectus sit ab ecclesia; ut qui pro haeretico pertrahitur ad ignem sit victima Deo gratissima, qui pertraxerint sint incendii digni.' De eadem re loquens in libello, quem ,de amabili ecclesiae concordia' scripsit, vocem ecclesiae invisibilis Romanensibus exosam adhibet: solum enim Deum nosse qui sint ipsius. Firmissime tamen tenet, invisibilis ecclesiae membra amare etiam visibilem, quantumvis hujus praesentem corruptionem a mundano Curiae Romanae regno profectam lugeant ac reprehendant.

Inducit quospiam objicientes, ,regnum hoc mundanum sedis Romanae sic per omnes hominum ordines egisse radices et hoc rete sic esse nodis indissolubilibus contextum, ut abrumpi possit, explicari non possit.'[1] Sed hos ad exhibendam christianam patientiam adhortatur. Semper fuisse et semper fore, quae pii spiritualesque viri querantur ac ferant; haec mitigari posse, penitus tolli non posse. Proinde prudentiam in iis desiderari, qui mutare studeant omnia, nihilo levius peccantes, quam qui mordicus teneant quidquid receptum sit. Non esse quidquam temere convellendum, nisi parato, quod melius succedat in locum deterioris; multa interim toleranda in illum finem qui numquam dimitti debeat, ut non tantum singulae ecclesiae, sed universae gentes libertatis evangelicae compotes reddantur. Quanta rerum mutatio necessaria esset, ipsum et vidisse et libere declarasse haec ejus verba demonstrant: ,Jamdiu parturit mundus, utinam aliquid boni parturiat.' Et in alia epistola quam anno ante mortem scripsit: ,Mundus jamdiu parturit Christum, qui si vere formetur in animis nostris, multis indiciis sese proferet radix cordis.'[2]

Mutationem illam semper cum Luthero in restituendo secundum sinceri evangelii normam christianismo spirituali et libero posuit. Quantum cum illo in ea saltem re consenserit, usque ad finem vitae, aliquoties, quamvis caute, confessus est. Fabulam dramatis placuisse, modum agendi displicuisse ajebat. Quae in evangelicis jam invicem se oppugnantibus improbaret, acerbius saepe quam par erat edicebat,

1) Opp. X, 1571.
2) Opp. X, 1571. Epp. XIX, 3, 32; XXIII, 17.

sed vere ex parte et sagaciter, ut proficere ex iis illi potuissent. Sane quod alias praedicabat, patientia in imperfectis mortalium rebus opus esse, etiam nova bona sua mala secum ferre, id ipse in hoc negotio oblitus est. Multa nimis atra ei videbantur. Sic Lutherana tempestate bonas litteras obrui querebatur, quod quum passim fieret, non videbat, quam firma duraturae multifariae doctrinae fundamenta a Melanchthone aliisque jacerentur. Futurum erat, ut quod ipse de Germania praedicaverat, quot ibi urbes, tot fere academias esse, id mox de sola evangelica ejus parte dici posset. Neque minus inique de evangelicarum civitatum libertate ad res religionis pertinente judicat, cui ab initiis suis per multa obstacula paulatim ad perfectionem progrediendum erat. Initia libertatis illic dari, Romae obstinate denegari, videbat quidem, non satis vero agnoscebat, considerabat, profitebatur.

At obstacula illa, quae libertati apud evangelicos detrimentum vel inferebant vel illatura erant, admirabili sagacitate perspexit. Sensit quam facile principes et magistratus, evangelicae ecclesiae patroni, imperium in eam pro arbitrio affectaturi essent. Mature cognovit, quanta pericula libertati evangelicae ab ejus abusu imminerent. Sordidos homines, in miras sententias aberrantes, (quos et rabulas evangelicos nominat), sibi respondisse ait: ‚Nos non servimus Luthero sed evangelio.‘ De talibus hominibus scribit Melanchthoni: ‚In horum nonnullis, mi Philippe, video tam impotentes spiritus, ut, si res illis successerit, verear ne Lutherus etiam ipse desideraturus sit episcoporum et pontificum tyrannidem.‘[1] Denique eum non fugit, ipsum Lutherum, ut istos reprimeret, ad exercendum imperium quoddam protrahi. Quod eo facilius fieri vidit, quo libentius multi alii vel grata beneficiorum memoria vel imbecillitate quadam ejusmodi imperium sustinerent. Accessit ut ille ad dominandum natus videretur propter excelsum animum, ingenium ardens ac vehemens, in quo Pelidae stomachum cedere nescii Erasmus saepius notavit. Neque nos infitiamur Lutherum tentationibus, quas tanta dominatio spiritualis necessitate quadam ei imposita secum tulit, ut homo erat, plus semel succubuisse, quamvis sincero animo ei restiterit. Rursum Erasmus nunquam negavit sincerum evangelium a Luthero praedicari, sed privatas quasdam ejus opiniones, evangelio adjunctas, a sectatoribus pro ipso evangelio haberi querebatur. Inde apud hos angusti animi aliquid nasci videbat. Quare non sine suo jure jam

1) Epp. XIX, 4.

Hutteno scripsit: ‚Non vult Erasmus in verba Lutheri jurare; amo libertatem, nulli factioni servire nec volo nec possum.‘ Postea quum Lutherus conscientiae sinceritatem asserens, inter alia etiam de sustinendis laboribus, periculis, odiis locutus, gloriam se non morari dixisset, Erasmus in hyperaspista respondet se optare, ut talis sit qualem se praedicet neque se ejus judicem esse; addit vero: ‚Quod ad famam attinet, non possis optare majorem: late regnas in animis hominum, tot factionibus armatus es, habes theatrum miris applausibus perstrepens, summatibus magis formidabilis es quam amabilis. Habes tuum satellitium, habes emissarios et veredarios, habes qui tecum scribant, habes qui tua scripta vertant germanice. Quid superest nisi diadema? Hic rerum successus posset vel incorruptum animum corrumpere.‘

Neque tamen unquam Lutherum magnum libertatis evangelicae propugnatorem esse oblitus est. Servitutem duplicatum iri dicit, ubicumque praedicatio evangelica a Luthero profecta, prorsus suppressa fuerit. Id vero per omnes Europae partes nunquam fieri posse persuasum sibi habet. Saepe repetit, quod jam ante plures annos, quum Lovanii degeret, ipsi Adriano Papa, scripserat, neminem credere quam late Lutherus irrepserit in animos multarum gentium et quam alte insederit. Quare theologos quosdam, ipsum cum Luthero ad pugnam commissum densis phalangibus adorientes, ironice expostulat: ‚Conficite Lutherum ac tum, si videtur, adoriamini Erasmum.‘ Fanaticos vero illos homines tales describit, quales nos etiam hodie videmus: ‚Nulla pudoris, nulla juris ratio; quod libuit, sanctum est; quorum intemperias nisi principum auctoritas coerceat, excitabunt orbi gravius incendium, quam unquam excitavit Lutherus.‘ Memorandum est, contra hoc Erasmum auxilium non exspectare a Pontifice et episcopis sed a Principibus. Istorum hominum superbia exacerbatus, interdum invidere videtur Evangelicis libertatem suam. Sic Ferdinandi regis Consiliario scripsit quondam id quod supra memoravimus: ‚Sola conscientia me retinet a Lutheranis, alioqui declararem illis Furiis quales sunt.‘ Addit, quod eum retineat, non esse externarum rerum curam, quippe qui jam hinc migrare meditetur.

Inter verba ejus ad futurum illud, quod timebat, orbis incendium spectantia leguntur nonnulla, quibus Bartholomaeanae noctis vel tricenarii belli caedes mente eum anticipasse existimaveris. Et talium rerum auctores nunquam Lutheranos, semper Romanenses denotat. ‚Ingens‘, inquit, ‚orbis dissidium excitatum est, inter omnes fortasse duraturum in multos annos et semper in pejus progressurum. Pro

sinistre tentata libertate duplicatur servitus, ita ut ne vera quidem liceat tueri. Porrectum est telum sceleratissimis quibusdam, qua se ulciscantur adversus optimum quemque.' ,Videor mihi videre seculum cruentum et sanguinarium, si pars irritata respirarit, quod plane nunc facit.' De quibusnam hominibus cogitet, nemo dubitabit. Jidem sunt, quos ut pharisaismum et mendacium cum crudelitate conjungentes adumbrat, de quibus jamdudum Friderico Electori scripserat: ,Dicas eos sitire sanguinem humanum, non salutem animarum.' Cruenta, quae posthac Lovanii et Parisiis perpetraverant, facinora ipse Erasmus in epistolis suis horrens retulerat. Dicit inter Dominicanos et Carmelitas se nosse probos viros, sed etiam quosdam tales, ut malit Turcae parere quam horum ferre tyrannidem. Mox oriturum novum ordinem his multo perniciosiorem non divinavit. Quid vero Pontifices, quos saepius christiani officii sui monuerat, tam clericalis et monachalis exercitus multitudini quam Principum quorundam favori confisi, assequi studerent, magis magisque animo perlustravit. Nunquam enim defuerunt, qui de Curiae consiliis certiorem eum facerent. Quae quum sui imperii causa gentes inter se odiis committere nunquam dubitaret, summa inde pericula inprimis Germaniae nostrae imminere praevidit. Sic post Augustana comitia Clementis VII. inclementiam deplorans, qui hoc in animo habeat, ut auxiliis illis adiutus orbis incendium obruat, ,Quid', inquit, ,aliud istuc est, quam magis etiam irritare Deum? quasi mundus possit mundum vincere. Solus Christus vere dixit: Ego vici mundum. Si profani monarchae diligunt opes et gloriam, utcunque ferendum est, sed si qui primas tenent in ecclesia ejusdem sunt animi, obsecro te quid spei est illi columbae, quam unice deamat sponsus. Quidam classicum canunt ad haereticos armis dejiciendos, huc tantum spectantes, ut sacerdotibus opes, otium et auctoritatem vindicent. At ego vereor, ne dum Principes alii nos impugnant, alii tuentur, utrimque spoliemur ac bellum pio titulo susceptum non minus exitiosum sit ecclesiae quam funestum Germaniae. Faxit Christus, ut hoc meum vanum sit augurium.' Et multo ante Bilibaldo suo patriae Germaniae amantissimo scripserat, se vereri ne dissidiis propter religionem ortis eo perducamur, ut ,nos qui vel armis solemus esse formidabiles, contemnamur et a contemptissimis, ut qui nec mentem habeamus, nec arma.'[1]

Id quoque recte Erasmus praevidit, fore ut progredientibus tantis orbis christiani discordiis, simul scepticismus de primariis religionis

---

1) Epp. XXX, 20; XIX, 72; XXVI, 18 (cf. 58); XXX, 26, cf. 52.

fundamentis, quem quum ipse falso ejus suspectus esset, vincere prae aliis haud frustra laboraverat, iterum progrederetur. Saepius se timere profitetur ne pharisaismo succedat paganismus. Contradicit caecis Curiae sectatoribus, qui Lutherum ejusque amicos blasphemiarum in Deum et Christum accusabant. Sed ‚dum pharisaismus,' inquit, ‚pugnat cum evangelii vigore, repullulat paganismus.' ‚Nunc qui abjecerunt preces horarias, nihil orant. Qui contemnunt constitutiones episcoporum, nec Dei praeceptis obtemperant. Qui neglegunt delectum ciborum, gulae ventrique indulgent.' Nescio quaenam vestigia secutus vir perspicacissimus etiam Judaeos illis Christianorum discidiis laetari et ad commoda sua uti crediderit. Scribit enim archiepiscopo Toletano: ‚Subolet mihi multos his tumultibus admisceri Judaeos ac paganos, quorum alteri Christum oderunt, alteri nihil omnino credunt.' Addit (id quod de Ciceronianis, quos alias vocat, dicere videtur): ‚Auguror illos meditari novam quandam democratiam: totaque res agitur callidissimis quorundam consiliis, quorum auctores nullus adhuc satis agnoscit.' [1]

Non mirum, quod Erasmus, quo saepius atque diutius tam liberas sententias proferebat, quamvis summi quidam ecclesiae Romanae proceres semper ei patrocinarentur, tamen eo acrius a pharisaeis vel pseudomonachis, quos toties perstrinxerat, infensabatur. Quibus nisi fortissime restitisset, etiam proceres vix eum contra illos sustentare potuissent. His igitur pugnis posteriore vitae tempore plus quam antea virium ei impendendum erat. Qua in re senex, valetudine infirmissimus, ingenio et alacritate juvenescere videbatur. Crescente loci inter utramque partem tenendi difficultate, eo constantius aut medium locum illum seria commentatione vere evangelica tuebatur, aut contra stultos monachos, qui inde depellere eum enitebantur, sale, lepore, ironia tam egregie rem gessit, ut isti prudentioribus risui essent. Jisdem cavillationis armis interdum, licet multo rarius, Lutherum ac Lutheranos, eosque non ut Evangelicos, sed ut sibi ipsis non constantes, impugnat. Sic plurimum fere posterioribus vitae annis festivo illo certandi genere, et inexhausta ingenii facilitate ac fertilitate utitur, quibus eum ex Francogallorum quorundam judicio ad Voltarium accessisse supra vidimus. Simul vero tunc maxime quam ab illo diversus animo fuerit apparet. Neque enim odio sed veritatis christianae studio movetur. Abhorret ab implacabili malitia, qua ille contra adversarios teterrimis mendaciis conscius uti non reformidabat.

1) Epp. XXIII, 17; XIX, 72; XIX, 34.

Erasmus diversam hominum indolem religiose dignoscere studet. Ubi melius aliquid in adversario animadvertit, plerumque id agnoscere et profiteri non recusat. Acerrimos facetiarum sales ita temperare studet, ut letalia vulnera non inferat. Nimis odiosa dicteria, qualia in, epistolis obscurorum virorum' aeque ac Lutherus reprehenderat, ipse evitat. Etiam in saevissimos injustissimosque aggressores, si forte ad tempus nimio affectu abreptus est, semper fere postea resipiscens justus esse studet et ubi fieri potest iis reconciliandis operam dat. Qua in re eum justo molliorem interdum se praebuisse memoravimus; promptus ad condonandas injurias animus laude dignus est. ,Nonnihil', inquit, ,mihi luctandum fuit cum animo meo, ut erga eos, qui scientes volentes destinata malitia nihil commerito immo bene merito oblatrant, obtrectant, atque etiam exitium moliuntur, sumeret affectum pure christianum. Impetravimus et hoc, ut non solum non cogitemus de vindicta sed ne male quidem precemur.'

Haec non ita diximus, quasi Erasmum dum ingeniose cavillatur veri osores, omnibus veritatis officiis satisfecisse contendamus. Illam rationem dimicandi, si suo loco a viris probis prudenter adhibetur, jure nemo damnabit; sua pericula eam habere confitendum est. Haec Erasmus non semper evitavit, evitare tamen studebat. Jisdem partim artibus utitur, quibus viri eruditi bonarum artium osores in ecclesia praepotentes eludere jampridem consueverant.[1] Qua in re plerique non superstitiose, ut dicebant, veraces erant sive ,mendaciolum usquequaque non abominabantur.' Erasmus, licet Attico sale omnes superaverit, omnibus fere severior erat. A mendacio natura abhorruit; quid in indole ejus, praesertim inter tempestates et turbas, veri studio offecerit, demonstravimus. Veritatem nondum tolerari posse a mortalibus, justo facilius ac saepius conjicit et sumit. Tacendo tamen potius vera quaedam vel tegendo quam dicendo contraria, illorum debilitati parcere conatur. Et quam primum ad pleniorem veritatem libere immo audacter confitendam ipse revertitur. Sic conscientiam integram se servasse plus semel praedicat.

Artium, quibus propter sententias audacter prolatas haerereos crimina eludere nititur, exempla quaedam ostendam. Adversariorum plagas in celeberrima tunc colloquia ab eo edita intentatas satis leviter avertit, quum sibi non impingendum esse contendit, quidquid ibi a quocunque dicatur. ,Hoc, inquit, dicit Gerardus, non ego. Non illic facis theologum concionantem, sed bellos homunculos inter se nugan-

1) De reipublicae litterariae originibus p. 20 s.

tes. Cur non respiciunt adversarii cujusque personae qualitatem? Nisi forte, si Turcam loquentem facerem, mihi censeant imputandum quidquid ille diceret.' De iis, quae illic contra indulgentiarum abusum dixerat, in crimen vocatus respondet, ,se non simpliciter damnasse indulgentias, quamquam hactenus plus satis indultum sit illis. ,Tantum quidam ridet,' inquit, ,congerronem suum, qui, quum alias esset nugacissimus nugator (nam talis fingitur) tamen praesidio Bullae credebat, se perventurum in coelum. Hoc adeo non arbitror haereticum esse, ut existimem nihil esse sanctius.' Furiose impugnatus propter expositas in alio colloquio sententias de monastica vita a pervulgato dogmate admodum recedentes, ipsam quaestionem iterum evitans, ,Non arbitror,' inquit, periclitari fidem si quis quid jocetur in cucullum alicujus Dominicani.' Alias propter similia pressus rhetorice se lusisse ait. Item quaerit, num grammaticus causam dicere cogeretur, qui praescripto themate Germanico Gallicove sententiam, licet improbam, pueros doceret verbis bene Latinis efferre; et speciem plenissimae innocentiae prae se ferens dat exempla bene Latina quae adversariis haud leniter stomachum motura erant, ut hoc: ,Utinam nihil edant praeter allia qui nobis hos dies pisculentos invexerunt;' aut hoc: ,Digni sunt ut fumo pereant, qui nobis dispensationum atque indulgentiarum fumos tam care vendant,' aut hoc: ,Utinam vere castrentur, qui nolentes arcent a matrimonio.' Vel ex conviciatorum scriptis tam ridicula stupiditatis exempla profert, ut quidquid contra se dixerint nullius pretii esse posse appareat. ,Atque talia,' inquit, ,excuduntur Parisiis, ubi nefas est vel evangelium excudi, nisi theologorum censura comprobatum. Omnino saepius fortasse, quam necesse erat, aggrediendo se tutari conatur. Quod alios admonere solet, ne crabrones irritent, ipse facile obliviscitur. Attico sali non parcit in deridendis pseudomonachorum vel phalangibus vel singulis personis. Has paucissimis plerumque verbis, ex parte vix alia lingua reddendis non minus accurate quam localiter depingit. Sic ,Brabantia,' inquit, ,habet Franciscum Titelmannum, juvenem gloriosissime loquacem; apud Hispanos ejusdem sodalitii satis gladiatorie furit Camaculus; sed talibus rabulis posthac ero mutus.' In uno Bedda tria monachorum millia esse dicit. Ejusmodi multa in illius epistolis inveniuntur. Simul sermonem ad diversissimam eorum, ad quos scribit, indolem accommodat, ingenium suum mire mobile ac versatile non sine ambiguitate quadam sequitur, ita quidem, ut intermedii loci, quem occupat, memoriam nunquam plane amittat. Sic contra Ambsdorffum palam dicere potuit, se nusquam Lutherum haereticum vocasse. Verum est,

interdum eum, ubi hunc vel publice impugnat, vel familiariter apud ejus adversarios perstringit, vitia ejus adeo exaggerare, ut ab haeretici imagine adumbranda longe abesse vix videatur. Tam virulentis aculeis etiam Lutheri amicos et sectatores saepius pungit, ut ejus verba cum iis, quae eodem tempore ad Bucerum vel Melanchthonem scribit, stare vix posse videantur, sed speciem prae se ferant viri accommodantis se aliquatenus ad Romanensium ingenium, quibus ne nimis displiceat curam gerat. Saepius nihilominus id, quod Albertus Fabricius adnotavit, etiam ego crediderim factum esse, ut Erasmus ad Lutheranos scribens summa severitate eorum mendas vituperaret, quae vero in illa parte laudabilia essent, in epistolis ad Pontificios datis ingenue enuntiaret. Immo subito tunc haud raro tam magna de ipso Luthero praedicat, ut eum Romanensibus quasi ostensa Gorgone terrorem injicere velle dixeris. Cujus rei exempla infra dabimus. Accidit etiam, ut miros quos vocat, fidei Atlantes, dum concedere aliquid iis videtur, facete traducat.

Nimium tamen aliquoties eorum sententiis ad tempus saltem concedit. Postquam multa fortiter et audacter contra vim in rebus fidei adhibitam scripsit, posteriore tempore ambigue dicta protulit. Ita enim locutus est, quasi nihil unquam egisset, nisi ut felicem praedicaret priorem Christianismi aetatem, quae argumentis tantum contra haereticos dimicasset, praesentem vero deploraret, et propter peccata, quae severiora remedia flagitarent, et propter tot miserrimorum hominum tormenta. His praetextis tunc quoque se excusare conatus est quum per Hispaniam multi monachi Sorbonae Parisiensis auctoritate freti, haereseos eum accusassent. Qui etiam vulgi furorem excitaverant concionibus ad flagitandum, ne tanta istius perversitas impunita praetermitteretur. Haec in eo praecipue conspicua esse putabatur, quod ‚Sanctam haereticorum Inquisitionem' non christianam existimaret. Ipse Carolus Caesar perterritus est his tumultibus, quos quum episcoporum quorundam Erasmi studiosorum auxilio sopire vellet, monachi reclamaverunt, Deo potius oboediendum esse quam hominibus. Articulorum, quos Magno Hispaniarum Inquisitori obtulerant, priores tres ea continebant, quae contra Sanctam Trinitatem Erasmum peccasse dictitabant, quartus quae contra Sanctam illam haereticorum Inquisitionem, quintus quae contra sacramenta. Petiverant ab Inquisitore, ut ‚falce scientiae atque sanctitatis ope adulterina semina resecaret, eradicaret atque disperderet,' eodem scilicet obscurorum virorum stilo barbaro ac pharisaico usi, quem in bulla Leonis contra Lutherum et Innocentii contra pacem Westphalicam

fulgere videmus. Summi flagitii id maxime Erasmo duxerant, quod haereticos comburi vetaret, immo in detestando quodam colloquio edito (cujus nos mentionem supra fecimus) de ipsa excommunicatione papali, ,sulphur et fulmen olente, sed bruto fulmine,' proterve jocatus esset. Itaque Erasmus intercessione opus esse ratus apud ipsum, quem latine eleganter vocat, ,summum apud Hispanos de fidei catholicae negotiis cognitorem,' Alphonsum Manricum archiepiscopum, libellum illi misit responsionis ad monachorum articulos, datis simul ad eum litteris, quibus queritur, quod, quum ipse cum factione revera formidanda pugnaverit, Caesar nunc permittat, ut pro officio tantum non bestiis objiciatur. Putabat, ut Magnum Inquisitorem sibi conciliaret, concedendum ei aliquid esse. Paucis igitur exponit, se severiora remedia, quae cauteria nominat, ubi mitiora effectu caruerint, non omnino damnare. Tacet se cogitare de fanaticis hominibus, omnes leges humanas ac civiles tollentibus, quales Monasterii apud Westphalos aliisque locis surrexerant. Ceteroquin vero ad Alphonsum illum talia elocutus est, qualia vix unquam alium quemquam ad ullum Hispaniarum Magnum Inquisitorem pronuntiasse conjectaverim.[1] Ex quibus pauca hic afferam.

Diversos esse inquirendi modos ostendit; eum, quo monachi utantur, salsissime traducit, immo illos se ipsos traducere ostendit. ,Inquirit,' inquit, ,scurra ut calumnietur, inquirit tyrannus, ut publicam libertatem opprimat, inquirit et Satanas circumiens ut leo rugiens, quaerens quem devoret.' Nihil a Christo, ab apostolis, a veterrima ecclesia longius abfuisse quam violentiam et crudelitatem in agendo cum errantibus et haereticis, egregie demonstrat. ,Quando', interrogat, ,Paulinianis aut Jovinianis ex Caesarum edictis dicta est mulcta? Nunc ad ignem pertrahitur, qui dubitet, an Romanus Pontifex jus habeat in purgatorium.' ,Accedit, ut res agatur per relatores, deputatos ac judices monachos, nec sincere, nec legitima forma; pronuntiant in carcere tres priores, monachis duobus testibus, et apparatur rogus.' Dialogum illum, qui tantum horrorem monachis incusserat, ab Erasmo eo tempore scriptum esse vidimus, quo in universum favebat Luthero. Ad amovendam illorum accusationem iterum utitur callidis artibus suis, sed etiam hic admiscet audacem veritatem. ,O Sanctam', inquit, ,Inquisitionem! In eo colloquio sub Barbatii nomine facio loquentem ipsum Lutherum, sub Auli persona me vel alium orthodoxum. Hic invertunt personam et ex Barbatio faciunt Erasmum satis impudenter.

1) Opp. IX, 1054 ss.

Barbatius dicit se praeter causam esse excommunicatum; significat, Pontificem frustra eum excommunicare, qui nihil admisit sceleris. Hoc verissimum est, etiamsi sit jure excommunicatus qui loquitur in dialogo, quum is, qui loquitur, sentiat se non excommunicatum.' Lutherum non jure excommunicatum esse, Leonis bullam saevissimum monachorum opus fuisse, Erasmus apertissime planissimeque saepius declaraverat. Nunc pro tempore, pro loco, pro praesenti consilio ea, quae dixerat, neque tollit neque affirmat. Satis esse ducit verba ita componere ut non mentiatur. Prudens neque negat neque non negat excommunicationem illam justam fuisse. Hoc modo, ut Lutheri verbis utamur, super aristas graditur.

Idem agit in epistola, quam ad Hispanum quendam Doctorem Sorbonicum scripserat, fratrem ejus, qui dux exstiterat monachorum tumultuantium.[1] Horum stultitiam, timentium scilicet a bonis litteris et a Christianismo spirituali, acerrime castigat. De lue et incendio Lutherano locutus, majorem culpam a Luthero (contra quem jam duos hyperaspistas scripserat) iterum in ejus adversarios transfert. ,Martinus', inquit, ,proposuerat aphorismos disputandos de condonationibus pontificiis. Eas non minus impie quam impudenter depraedicabant ptochotyranni quidam, qui spe lucri nihil non audent. Horum intemperiis Lutherus opposuit sua problemata. Indignabantur quorum res agebantur. Missa sunt ad Leonem X. Respondit Sylvester Prierias, tam feliciter, ut ipse Pontifex indixerit illi silentium. Successere quorundam monachorum vociferationes apud populum, nihil habentes in ore praeter haereses, blasphemias et schismata. Visa narro. Nulla res magis conciliavit omnium favorem Luthero.' ,Spirat adhuc ille, ne dicam regnat, in animis plurimorum. Habet qui profiteantur, qui propugnent, qui vestram auctoritatem elevent ac traducant apud omnes, nihil liberius amplectentes quam quod vestris suffragiis damnatum est. In hos estote viri potius quam in Erasmum, qui in castris vestris, sub iisdem signis militat, qui non sine sanguine cum his dimicat, quos vos pro capitalibus ducitis hostibus.' Quae verba callide ita ponit, ut ipse eos, quibuscum dimicet, capitales hostes esse neque concedat, neque infitietur. Addit haec satis ingenue: ,In me certe nullum hominis Christiani desiderabitur officium. Maliciosas calumnias non feram, etiamsi sex Romani pontifices subscribant vestrae sententiae.' Similia professus alio loco, si adversarii Curiae favorem captaverint, se a dormitante Pontifice ad excitandum provocaturum esse dicit.

1) Epp. XIX, 71. a. 1527.

Non mentitur Erasmus affirmans, se in castris eorum militare. Ecclesiàm catholicam talem quidem, qualem illi volebant, manere noluit. Unitatem ejus tanti fecit, ut ad servandam eam monasticae partis sodales, dummodo sinceri essent neque liberiores catholicos vi opprimere studerent, cum erroribus et abusibus eorum interim tolerare paratus esset. Saepe ad Paulum apostolum provocat, qui Christianos iudaizantes similiter toleraverit neque longius quam necesse fuerit in impugnandis illis sit progressus. Sic Catholicis judaizantibus non statim omnem veritatem inculcandam esse arbitratur. Ideoque caute iis reticet, quantum in repurgandae ecclesiae desiderio et in evangelica doctrina cum Luthero et Lutheranis consentiat; immo hujus consensus suspicionem passim durioribus verbis contra illos adhibitis tegere conatus. Quo vero liberaliorem quendam ac puri evangelii amantiorem videbat inter ecclesiae Romanae sectatores, eo liberius et apertius ad eum loquebatur, quasi suae mentis fenestram plus minus recludens. Hanc etiam totam patefaciebat, ubi cum viris evangelicis, moderatione Melanchthoni similibus, vel ore vel litteris fidenter se colloqui posse putabat. Itaque eodem tempore, quo ad Magnum Inquisitorem et ad theologum illum Sorbonicum, etiam ad Bucerum scripsit idque apertissimo animo. Large expositis iis quae in Luthero ejusque amicis vituperaret quaeque quominus in eorum castra se transferret impedirent, ‚Velim tuam prudentiam,‘ inquit, ‚vel nunc dare operam, ut constantia moderationeque doctrinae et morum integritate res utcunque coepta perveniat ad exitum evangelio dignum. Ad hoc habebitis me pro viribus adjutorem. Nunc tametsi machinis omnibus impetunt monachorum phalanges ac theologi quidam, nulla tamen res efficiet, ut hujus animulae jacturam sciens faciam.‘ Addit: ‚Erit tuae prudentiae non spargere hanc epistolam, ne quid hinc tragoediae nascatur. Si liceret coram, plura commentaremur.‘

Haec sine ullo fuco dicta esse apparet. Facile vero cogitatione nobis fingimus, quantopere multi obstupuerint, qui talia, quum aliae ejusmodi litterae inscio scriptore longe lateque spargerentur, conferre tunc temporis cum iis poterant, quae Erasmus ad diversos Romanae curiae addictos scripserat, variis scilicet modis miscens audacem libertatem et timidam reticentiam, interdum elocutionem consilio eam eligens, quae diverso modo accipi posset. Unde saepius factum est, ut justo acerbius quis de eo propter has ingenii artes judicaret, idque eo magis quo longius ipse ab ejusmodi artibus aberat. Itaque Lutherus, qui jam antea Erasmum tanquam Proteum lubricum et flexiloquum ironice descripserat, quum hujus vita jam ad finem vergeret,

circumlatis variis ejus verbis hostiliterque ex parte detortis vehementissime iratus, semel adhuc contra illum erupit. Quam ad rem quo pacto deplorandum in modum instigatus sit, explicandum nobis erit. Quippe invitus ipse Erasmus novam litigandi causam ei praebuit scripto libello, quo quasi edita ultima voluntate omnia integerrima nobilissimaque praeteriti temporis studia pro pace suscepta complectitur. Quae studia qualia illis diebus fuerint, jam memorabimus.

Postquam Erasmus ad librum de servo arbitrio eo quem diximus modo respondit, omnes fere Lutheri amici admodum injuste et aspere de illo existimabant. Inde ab eo tempore praesumpta prava opinio inter eos praevaluit. Neque tamen defuerunt, qui de illo, quum hyperaspistas ejus valde improbassent, postea aequius iterum judicarent. Idque vere meruit, quoniam non modo gravissimas injurias ab illa parte sibi illatas ignoscere paratus erat, verum etiam in restituenda inter omnes sinceros Christianos concordia operam consumere perrexit. Ita vult componi rem, ut utraque pars concedat victoriam veritati et gloriae Christi. Ut universae religionis nostrae, ita ecclesiae indolem esse unanimitatem et pacem: an plus possit in perituro corpore naturae connexus quam in mystico et immortali? Cum Melanchthone, quem in conscribendo libello de servo arbitrio Lutheri logodaedalum fuisse falso suspicatus erat, amicitiam renovavit et usque ad mortem servavit. Hujus doctrinam et animi candorem etiam coram adversariis laudare non desiit. Visitationis Saxonicae tempore gavisus est audiens, Lutherum res quasdam cautius atque mitius aliquanto agere; eodem tempore debilitari ei falso videbatur ipse Lutheranismus; mox timuit, ne si totus ille obrueretur, ‚ut quondam Assyriorum, Medorum, Graecorum, ita monachorum aut stultorum regnum exsisteret.‘ Noverat, a curia Romana incitari Caesarem ad opprimendos vi protestantes; ‚Pontifici‘ ait, spectaculum non ingratum daturos esse Germanos se mutua laniena conficientes.‘ Scripsit compluries ad Carolum, Ferdinandum, Georgium Ducem, Granvellam, Campegium, implorans eos ne violenter quid molientibus cederent. Sadoletum Cardinalem oblata occasione admonuit, non tam sinistre et hostiliter, quam vulgo fieret, de omnibus Lutheranis cogitandum esse. Quod inter ea fuisse videtur, quae Sadoletum moverunt, ut ad Melanchthonem celeberrimam epistolam amicissimo animo scriberet. Ubicumque Erasmus inter episcopos vidit aliquem ad liberiora et meliora consilia inclinantem, ut Hermannum Coloniensem et similes, amicitiam nectere studuit. Sic animati plures viri, qui summae auctoritatis erant, anno ejusdem seculi tricesimo impense ab eo peti-

verunt, ut ad colloquendum cum Melanchthone Augustam proficisceretur, ubi de rebus religionis in comitiis imperii agendum erat. Praeclarissimus iterum Erasmo campus praeberi videbatur, quo consilia sua pacifica coram orbe christiano palam testaretur et vindicaret. Sed senex morbis confectus tunc etiam vehementius, quam comitiorum Wormatiensium tempore, abhorruit a publicis negotiis; netuebat (in hoc maxime iterum Luthero dispar) inimicos suos Augustae praevalentes; magis excusatur eo quod dicit: ‚Multi scribebant: utinam adesses. Caesaris nomine nemo jussit adesse.' Itaque nihil sibi faciendum censuit, nisi ut quantum poterat datis litteris pacem foveret. ‚Inprimis Campegio, Pontificis legato, bellum adversus protestantes dissuasit. Caesarem ejusque fratrem eo tempore non adiit, ‚ne periculoso negotio sponte se immisceret.' Jam enim bellum prohiberi sat habebat; num humanis remediis, etiam concilio oecumenico, ad quod Augustae utraque pars provocaverat, concordia sarciri posset, ipse dubitare coepit. Carolum nimium Papae connivere videbat: ‚paulo melior esset,' inquit, ‚laeti spes eventus, nisi Caesaris pietas tantum tribueret quibusdam infulatis.' Rem humanam industriam vincere arbitratur; in tanto principum et regionum discidio precandum esse a Deo, ut ecclesiae et reipublicae proceres spiritu vere christiano afflare velit, ut ipse conditor ecclesiae instauret plasma suum. Quare Dominum his verbis invocat: ‚Tu solus res quamlibet discordes redigis in concordiam. Tu Chaos illud vetus, in quo nullo ordine nulloque decore confusa jacebant discordia rerum semina, digessisti et admirabili ordine, quae natura pugnant, aeterno foedere sociasti. At quanto turpius est chaos, ubi nulla est caritas, nulla fides, nulla foedera, nulla legum, nulla praepositorum reverentia, nullus dogmatum consensus, sed velut in dissono choro suam quisque canit cantionem? Digere hoc chaos, domine Jesu, expandat se spiritus tuus super has aquas male fluctuantium dogmatum. Fac ut, quemadmodum cunctis in tua domo versantibus una lux est, unum baptisma, unus Deus, una spes, unus spiritus, ita sit et vox una, catholicam veritatem profitentium.' Atque etsi iterum iterumque Erasmus timere ait ne sanguinarium instet aevum, tamen de praeclaro ultimo fine non dubitat, cujus divinam quandam necessitatem cum Luthero agnoscit. ‚Fata', inquit, ‚viam invenient; spero hos omnes ecclesiae tumultus tandem in bonam catastrophen exituros artificio summi illius choragi, cujus inscrutabili consilio res hominum temperantur.' [1]

1) Cf. de his: Woker de Erasmi studiis irenicis Paderbornae 1872 (dissertatio Bonnensis) p. 32 ss.

Quum Augustana comitia multorum spem fefellissent, Julius Pflugius illi scripsit: ‚In te unum omnium, qui pacem amant, oculi sunt conjecti.' Dux Juliacensis, ab eximiis viris Erasmum grato animo sequentibus adjutus, ecclesiam ex illius consilio moderate reformandam suscepit. Sed ipse Erasmus in his et in similibus aliorum studiis tam parum fiduciae collocavit, ut vereretur, ne ‚moderatorum sectae' nomen daret. Etenim non ab ejusmodi singulis experimentis quamvis laudabilibus, sed a recta cognitione et intellegentia per totam ecclesiam spargenda salutem exspectabat. Hoc sensu imbutus tribus annis post comitia illa ad Psalmum, qui incipit: Quam dilecta sunt tabernacula tua, Domine, commentariolum composuit, ‚de amabili ecclesiae concordia.' Eo tempore nimirum ipsis crescentis discidii periculis utriusque partis reconciliandae desiderium et spes renasci visa erant. Favebat ejusmodi studiis rex Ferdinandus, jam rex Romanus factus, qui fratrem, ut contra Turcas omnes Germaniae vires consociaret, strenue commonefaciebat. Plures Imperii ordines catholici postulaverant, ut Caesar, si Papa Concilium universale denegare obstinate pergeret, ipse pro suo jure illud convocaret; si etiam id impediretur, Concilium nationale in Germania congregandum esse declaraverant.[1] Erasmo vero ea, quae ad sinceram religionis pacem restituendam maxime necessaria erant, neglegi a plurimis videbantur. Id demonstrare studet libello suo. In quo quum multa insint verissima et pulcherrima, etiam in iis, quae Evangelici satisfacere sibi non posse jure judicaverunt, nobilissimus finis, quem scriptor sibi proposuerat, agnoscendus nobis est.

Proficiscuntur enim omnia a sincero et fervido ecclesiae amore, tanquam ‚invisibilis et coelestis sanctorum communionis.' Hujus tantam majestatem et felicitatem esse dicit, ut quod in ea contemptissimum sit, longe praestet omnibus mundi splendoribus. Hujus amore allicere vult homines, ut, etiam in externis rebus internarum memores, veram fidem oboedientia erga ipsum divinum ecclesiae dominum comprobent. Sic igitur interim, dum apparetur synodus, praeparandos esse Christianorum animos, ut omnia convenienter illic agantur; utramque partem adhortandam, ut praemolliat discidiorum paroxysmos. Sed vereri se, ne sint, qui vel ob inopiam judicii, vel ut ipsi sint in tuto, properent adeo exulcerare omnia, ut frustra coëat synodus. ‚Quidam', inquit, ‚dum impotenter vociferantur: Haeresis, haeresis! ad ignem, ad ignem! in pejorem partem interpretantes, quae dicta sunt ambigue, per calumniam depravantes etiam quae pie dicta sunt, plurimum favoris con-

---

1) Ranke l. c. III, 289. 302 s.

ciliarunt iis, quos exitio dignos judicabant. Rursus qui sub evangelii plausibili titulo moliuntur ea, quae ex diametro pugnant cum evangelio, vehementer adjuverunt partes eorum, quos oppressos volebant. Itaque dum illi nihil omnino patiuntur innovari, hi nihil sinunt relinqui, tempestas est orta paene insedabilis, et dum utrimque nimium tenditur funiculus contentionis, fit ut utraque pars rupto fune in tergum cadat. Non quod ecclesia concidat, quae nixa saxo immobili Christo nullis turbinibus concutitur, sed de quibusdam hominibus loquor, qui causam ecclesiae tuentur, magno quidem zelo, non dicam malo, sed non secundum scientiam. — Jam nimium diu rixis indultum est, vel delassati quaeramus concordiam. Nondum eo morbi hoc processit, ut sit immedicabile. Exstingui potest hoc incendium, si materiam igni subtrahamus. Praecipuus autem hujus tumultus fons sunt impii mores hominum. Non est quod alii in alios culpam rejiciamus. Primum hoc humani generis parentum exemplum est, sed ut per se pravum ita nobis infelix: mulier decepit me, serpens decepit me. Placabilior erit alienis erratis, qui prius sua inspexerit. Praecipuum est discordiae seminarium, quod sinistro tantum oculo proximorum vitia intuemur. Claudatur ille sinister et dexter vicissim ad eorum virtutes aperiatur. — Omnes iram Dei provocavimus, restat ut omnes ad illum simul sincero corde convertamur; ille ut est exorabilis, vicissim convertetur ad nos atque hos inconditos rerum motus vertet in tranquillitatem. Huc si omnes intendimus animum, res auspice Christo feliciter cessura est; sin Domini lenitas nos provocat ad licentiam, verendum est, ne, quod de Judaeis scripsit Paulus, perveniat in nos ira Dei in finem.‘

In ejusmodi vero admonitionibus Erasmus non subsistit, sed progreditur ad demonstrandum, quomodo sedatis et expurgatis animis rixae posthac vel evitari vel componi possint. Hoc ut fiat firmissime teneri jubet, quod spiritualis Christianismi nomine toties celebraverat. ‚Illic tantum veram esse concordiam‘ dicit, ‚ubi lex et prophetae consentientes Christum novi testamenti ministrum non littera sed spiritu praedicent,‘ neque vero illic inveniri eam posse, ubi Judaistae dominentur, quos ait ‚foris quaerere quod intus quaerendum sit.‘ Rursus, sicuti saepius antea, iterum commemorat, ecclesiae unitatem et concordiam tanti pretii habendam esse, ut ad servandam eam imperfecti aliquid in ecclesiae membris tolerari debeat. Hanc esse humanarum rerum naturam, ut mutet saepe vitia, ponat nunquam. ‚Quid igitur,‘ inquit, ‚superest, nisi ut se quisque discutiat et omnes ad Christi misericordiam confugiamus? Quaedam leviora vitia minore

religionis incommodo dissimulantur quam exagitantur. Quae graviora sunt, manum doctam et artificem requirunt, ne nobis eveniat quod solet imperitis medicis, qui quum parum dextre admovent remedia, pro morbo exstinguunt hominem aut ex leviore malo reddunt immedicabile. Pleraque paulatim ac per occasionem irrepserunt, ea paulatim ac per occasionem tollenda sunt. Eousque postulandum esse dicit, ut a liberioribus Christianis, Pauli apostoli exemplo, Judaizantium christianorum, infirmitas feratur, ita quidem, ut paulatim invitentur ad perfectiora.'

Cum eodem vero apostolo propugnatores illos libertatis evangelicae exhortatur, ne superbia inflati sibi ipsi placeant. Posse fieri ut et ipsi errantes vel in ecclesia *ἀκίνητα* moventes jure vituperentur ab iis quos parvi faciant. Idcirco utrique parti ut altera alteri sese nonnihil accommodet, moderatam quandam *συγκατάβασιν* adhibendam esse, sine qua nulla constet concordia. Ipse quidem, ut vidimus, iis qui veritatem sincere quaerunt, ad disputandum et investigandum plenissimam libertatem immo audaciam concedi vult. Eos qui nihil mutari volunt etiam in hoc libello reprehendit. Nihilominus ad mutanda ea, quae mutatione egent, summa cautione et timiditate utendum esse iterum docet. ‚Illud omnibus,' inquit, ‚infixum esse oportet, nec tutum esse, nec ad fovendam concordiam utile, temere desciscere ab iis, quae majorum auctoritate tradita sunt, quaeque longo seculorum usu consensuque confirmata. Nec quidquam omnino novandum est, nisi huc aut cogit necessitas aut insignis invitet utilitas.' Abusu libertatis fieri putat, ut viri docti vel semidocti, sparsis assidue opinionibus et diversissimis et absurdissimis, indoctam plebem omni spolient religionis ac fidei certitudine. Quam rem, quasi jam nostra tempora vidisset, sic describit: ‚Beatus Paulus anathema minatur Angelo, qui vel coelitus afferret aliud evangelium atque ipse tradiderat. Nunc multorum animos adeo conspicimus vacillantes, ut, si vel obscurissimus homuncio proferat novum dogma, inveniat discipulos. Unde tanta vacillatio in animis Germanorum, qui semper ceteris nationibus fortitudinis ac constantiae laude praecelluerunt?'

Utramque partem Erasmus dehortatur a vi in rebus religionis adhibenda. Hoc quoque libello satis distincte et perspicue declarat, quantum abhorreat ab illis, qui clamabant: ad ignem, ad ignem! Jam vero etiam Protestantes jure admonuit, ne et ipsi, licet non tam atroci, tamen non minus vituperanda violentia peccarent. Etenim Lutherus, quum initio ab ecclesiae gubernandae cura alienissimus omnia solo verbo Dei efficienda esse praedicaret, summa sollicitudine caverat, ne

vel furiosissimis hominibus propter sententias ad religionem pertinentes ulla vis inferretur. Deinde vero, quum necessitate quadam coactus in administranda renovata ecclesia primarias partes auctoritate et consilio suscepisset, magis magisque, praesertim post bellum rusticanum, recte intellexit, tantos fieri posse libertatis pseudoevangelicae abusus, ut amputare eam magistratuum officium esset. Tunc vero a priore sententia justo longius recessit.[1] Turbae, confusionis, anarchiae periculis perterritus de diversa doctrina in republica non toleranda sic locutus est, ut Romana tyrannis inniti verbis ejus jure posset. Nunquam quidem propter religionem morte quemquam plecti voluit, sed ut sacramentarios, quos vocabat, ita etiam papistas e civitate ejicere fas esse censuit, quippe qui, si valerent, pro Papa gladio adversus civitatem usuri essent. Itaque non mirum quod erant, qui exilii evitandi causa renovatae ecclesiae contra conscientiam accederent. De his omnibus Erasmus certior factus, satis clementer rectam viam ostendit: ‚Nihil per vim ac tumultum agamus, neque cuiquam hoc faciamus, quod si nobis fieret, coelum ac terram ac maria inclamaremus: neque quemquam ad novam religionem, a qua abhorret, perpellamus. Aequissimum enim est, ut qui sibi vim fieri nolunt, ab aliis eam abstineant, praesertim quum hic quoque melior sit causa tam longi praescriptione temporis se tuentium.‘

Quae hucusque dicta sunt, ad animum vere christianum spectant, quo controversiae in ecclesia tractari debeant. Eorum, quae de singulis rebus controversis hoc animo conciliandis Erasmus judicat, exempla quaedam proferam. Praescriptione illa temporis non ea sinit excusari, quae verbo divino et spiritui Christi manifeste repugnant. Passim aliquid critici ingenii, licet pro fine proposito moderati, etiam hic conspicitur. ‚Superstitiones et sordes‘ ubicunque irrepserint, auferri jubet. Eo animo haec scripta sunt: ‚Turbam festorum dierum, quos vel episcopi multitudinis affectibus indulgentes induxerunt vel Romani Pontifices causis non necessariis instituerunt, ipsi facile patientur abrogari, quod genus sunt festum conceptionis et nativitatis virginis matris, festum praesentationis in templo. Et haud scio an expediret nullum omnino festum solenne indici, nisi cujus argumentum exstet in sacris litteris. Diem dominicum semper excipio. Facile patientur esse festa pauciora, modo ea, quae supersunt, majore religione celebrentur. Festa, quae sodalitates sibi privata constituunt auctoritate,

1) Cf. de his: Neander, das Eine und Mannigfaltige des christlichen Lebens p. 222 s.

una cum ipsis sodalitatibus a magistratu tollenda sunt. Nihil enim aliud sunt, quam Comi et Bacchi conventicula.' Delectum ciborum et jejunia non indixisse ait ecclesiam nisi ad sanitatem corporis et animi. Haec non jugi instar imponenda esse variae indolis hominibus. ,Nullus alium dijudicet; vescens non insultet abstinentibus, abstinentes non condemnent vescentes: suo Domino stant aut cadunt.' In Missa cum Luthero et mysterium praesentis in sacramento Christi, et piam ac venerandam veterum liturgiae partium rationem agnoscit; inserta vero multa superstitiosa ac supervacanea, caudas verborum, quas vocat, ac malas consuetudines libere taxat; ,sordida turba conductitiorum sacrificulorum' offendi pios homines memorat; iis, qui omnes Missas privatas improbant et requirunt in omni Missa communionem, concedit sic fuisse a Christo institutum et olim sic solitum esse conservari. Ceterum iterat quod antea docuerat, firmiter credendum esse Christum in sacramento praesentem, de modo autem praesentiae ejus varias sententias nunc esse admittendas. Item confirmat, quae de superstitiosis opinionibus et religionibus in invocatione sanctorum conspicuis saepe dixerat; ,qui vero citra superstitionem implorent Sanctos, ut preces pro se fundant apud Deum, eorum pium ac supplicem affectum interim tolerandum esse, etiamsi sit cum aliquo conjunctus errore. Ut nostra vota non sentiant Divi, sentire tamen Christum qui amet simplices animos.' Praebito Sanctorum imaginibus honore facile fieri confitetur, ut incauti homines revolvantur ad horribile idololatriae crimen; quare qui saevierint in illas imagines, haud prorsus abs re concitatos fuisse, licet immodice sua quidem sententia. Etenim artem statuariam et picturam recte habitas esse tacitam poësin, plus interdum repraesentantem affectibus hominum, quam homo eloquentissimus possit verbis exprimere. Se ipsum optare, ut in templis nulla sit pictura nisi cujus argumentum in canonicis scripturis contineatur. Sed dandum aliquid esse piae consuetudini, ubi innocua sit. ,Itaque, cui persuasum sit, divorum imaginibus, quoniam non sentiant, nihil habendum esse honoris fruatur suo sensu; ne tamen obstrepat iis, qui citra superstitionem illas venerentur eorum amore quos repraesentant, quomodo nova nupta sponsi absentis amore exosculetur anulum aut strophium ab illo relictum aut missum.' ,In his,' inquit, ,Paulus, opinor, concederet, ut in suo quisque sensu acquiescat.' ,Hoc pacto fiet ut nec scindatur omnis christiana concordia, nec mores infirmorum in omnem licentiam proruant.' ,Ergo moderatis consiliis affectibusque sedatis, incubemus ad sarciendam ecclesiae concordiam, tunc fiet, quod vaticinatur Esaias: Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis; jamque simul omnes

uno ore nobis invicem gratulantes dicemus: Quam amabilia tabernacula tua, Domine virtutum.‘

Adjungam quae illic de eo dogmate dicit, de quo maxime cum Luthero disputaverat. Quae quum hujus amicis admodum placerent, erraverunt existimantes, Erasmum sententiam mutasse. Semper enim eadem docuerat. Liberum arbitrium nunquam ita defenderat, ut salutem nostram a sola divina gratia petendam esse negaret. Id ut appareret, etiam doctrinam de justificatione per fidem adhibendam esse monuit. Quam saepius tam egregie explicaverat, ut, quamvis singula ejus vocabula ut minus apta carpi possent, tamen etiam Lutheranissimo Amsdorfio satisfaceret.[1] His igitur verbis Erasmus utitur:

‚De libero arbitrio spinosa est verius quam frugifera disputatio. Et si quid de hoc quaerendum est, in theologicis diatribis sobrie discutiatur. Interim inter nos illud convenire satis est, hominem ex suis viribus nihil posse, et si quid ulla in re potest, totum ejus deberi gratiae, cujus munere sumus quidquid sumus: ut in omnibus agnoscamus imbecillitatem nostram et glorificemus Dei misericordiam. Conveniat inter nos fidei plurimum esse tribuendum, modo fateamur, et hoc esse peculiare spiritus sancti donum idque multo latius patere quam vulgus hominum credit, nec omnibus adesse qui dicunt: Credo Christum pro me passum esse. Concedamus fide justificari, hoc est purificari, corda credentium, modo fateamur ad consequendam salutem necessaria caritatis opera. Neque enim vera fides potest esse otiosa, quum sit fons et seminarium omnium bonorum operum.‘ Atque alio ejusdem libri loco dicit: ‚Aditus in ecclesiam fides est, sine qua nihil prodest baptismus. At fidem nemo sibi largitur: Dei donum est; quo Deus quos vult praevenit et ad Christum trahit. Nam homo, quatenus est homo, carnalis est et nihil nisi mundum sapit. Homo ex sese nihil potest. Fides autem proprie robur addit homini, ut jam nec mundum nec Satanam metuat.‘ Neque improbabimus, quae Erasmus addidit, ut varios doctrinae de fide abusus arceret: ‚De verbis nulla sit digladiatio, modo de re conveniat, nec interim ingerantur auribus imperitae multitudinis illa paradoxa: Nihil refert, qualia sint nostra opera, tantum habeto fidem et servaberis. Et, homo quidquid agit, nihil aliud quam peccat. Quae ut in aliquo sensu vera sint, tamen ab imperitis alio rapiuntur quam expedit. An Christus pro nobis mortuus est, ut nos vivamus in peccatis? an potius, ut semel illius sanguine loti, abstineamus ab omnibus inquinamentis? Pro nobis crucem gesta-

1) Cf. supra p. 284.

vit, sed idem clamat: Qui non tollit crucem suam quotidie, non est me dignus.'

Hic Erasmi libellus non modo tunc multorum animos movit, sed etiam postea eodem seculo, quotiescunque desiderium restituendae cum pace christianae concordiae renascebatur, iterum emersit.[1] Luthero vero ansam dedit ad judicium palam iterum de Erasmo ferendum. Quod quidem fecit primum aequius quam antea, paulo post multo etiam injustius. Diversos nimirum animi impetus diversorumque hominum temperationem et instigationem sequebatur, id quod magno illo viro, in summis sentiendi et agendi principiis plerumque constantissimo, ubi de aliorum indole dijudicandum erat, saepius accidisse supra memoravimus.

Anno illius seculi tricesimo quarto Antonius Corvinus, vir egregius deque pluribus Germaniae septentrionalis ecclesiis optime meritus, arte scribendi haud contemnendus Erasmi discipulus, composuit dialogum, quibus hunc titulum praescripsit: ,Quatenus expediat editam recens Erasmi de sarcienda ecclesiae concordia rationem sequi tantisper dum adparatur synodus, judicium.' Nullum inter tot scripta illo tempore colloquia inveni aliud, quo auctor tam religiose partium studio superato ipsas quasi res loquentes producere videatur. Facit se ipsum cum pio et erudito quodam Erasmiano disputantem, idque modeste, sobrie, acute. Neuter neutri sententiam suam persuadet, sed utriusque colloquium in pace finem habet. Ostendit Corvinus, quam ob rem Erasmiana illa mediocritas et mutua partium condonatio neutri parti satisfacere possit. De libero arbitrio ita nunc illum locutum esse putat, ut si antea in eundem modum scripsisset, nunquam inter ipsum ac Lutherum tantum esset conflatum incendium. (At hac in re Corvinum aliosque errasse supra ostendimus). Etiam de justificatione per fidem Erasmum, si sibi constet, non dissentire ab Evangelicis demonstrat. — Huic opusculo Lutherus praefationem addens elegantiam ejus et modestiam sibi valde probari ait; sui quidem non esse ingenii et moris de tali re tam placide et leniter agere, sed in gratiam libelli se quantum possit victurum esse se ipsum et posita vehementia dicturum. Se credere Erasmum ejusque discipulos bono animo paci consulere velle; sed quam illi proponant mediocritatem non dari a sua parte propter conscientiam et veritatem, ab altera propter furorem, quo sententias suas, etiam manifesta mendacia, multo jam fuso sanguine defenderit et sit defensura.

1) Compluries etiam typis recusus esse videtur. Teneo editionem Coloniensem anni 1543.

His paucis verbis Lutherus, quum id, quod in amabili et candido Erasmi libello infirmum erat egregie notaret, rem acu tetigit. Revera enim Erasmus, dum suo jure etiam Lutheranos christianae clementiae et patientiae commonefacit, reprehensione dignus erat, quia pluribus commentarioli locis causam ita tractaverat, quasi parem exorti discidii culpam in utramque partem conferri fas esset. At vero ipsum alias aliter iudicasse vidimus. Scilicet factionem monasticam Romae dominantem totum praesentis discordiae incendium excitasse, inde ab initio saepius declaraverat. Atque optime sciebat Curiam propter eas causas, quas memoravimus, ipsi quidem permittere, ut Lutheri sententias quasdam tolerandas esse eruditis scriptis contenderet, sed nunquam eas toleraturam esse, verum gladio potius ac rogis oppressuram. Immo proximis annis sanguinolenta ejusmodi facinora ab Aleandro aliisque satellitibus pontificiis jam plus semel perpetrata esse non sine horrore perceperat; viri sibi carissimi et spectatissimi, Ludovici Berquini, aliquot annis ante Parisiis combusti, exitum ardentibus verbis saepius descripserat.[1] Haec tamen omnia Erasmus in libello suo dissimulanda ratus ita locutus est, quasi Romae vel viri sui similes nunc praevalerent, vel furiosi isti tyranni et carnifices civilibus verbis ad temperantiam ac sobriam mediocritatem converti possent. Quare Lutherus, cui iterum super aristas incessisse ille videbatur, agnito bono ejus animo nihil ita profici posse recte existimavit. Simul scepticum ejus ingenium incertamque doctrinam partim injuste partim justo durius denuo quidem reprehendit, verum non adjicit atroces, quas pridem profuderat, suspiciones.

Utinam hoc ultimum de adversario suo judicium palam fecisset! Sed eodem anno Vitebergae alter libellus prodiit qui inscriptus erat: ‚Epistolae Amsdorfii et Lutheri de Erasmus Roterodamo.' Duae epistolae sunt. Priore, quae est perbrevis, Amsdorfius Lutherum admonet, ut contempto Vicelio, qui omnia sua furatus sit ex Erasmo, hunc tandem depingat suis coloribus, qui sint inscitia et malitia. Additis ineptis quibusdam conviciis, barbare dejerat: ‚Si aliud est in suis scriptis, moriar.' Tali instigatori tunc, proh dolor! obtemperavit Lutherus. Quod quomodo fieri potuerit ita nobis exponendum est, ut de Georgio Vicelio, quem primum ecclesiae evangelicae et catholicae nomina introduxisse supra diximus, nonnulla hoc loco interponamus.

Hic Erasmi quondam scriptis ad amplectendam Lutheri doctrinam perductus est. Ipse ‚qui illa legisset, eum hujus coeptis non favere non potuisse' testatur.[2] Propterea ex oppido patrio, quod in Hassiaca

1) Epp. XXIV, 8. 15. XXV, 37. XXVII, 17. XXX, 48.
2) Cf. Ritschl in: Zeitschrift für Kirchengeschichte II, 390.

dicione erat, expulsus, postea ex presbytero romanocatholico pastor evangelicus factus, a Luthero ut vir ‚valde eruditus et industrius' Joanni Electori commendatus est.[1] Itaque pastor apud Niemeccenses constitutus per sex annos ministerio illic functus est. Sed erant, quae magis magisque in emendatae ecclesiae moribus, ritibus, dogmatibus ei displicerent. Rediit paulatim ad Erasmum et ad ecclesiam catholicam, qualem ille cogitando finxit et postulavit, a Romanensi satis diversam. Sed, licet eruditionis ac sagacitatis nequaquam expers, quum tamen magnum neque Lutheri[2] neque Erasmi ingenium vere unquam intellegeret atque assequeretur, ipse major semper quam erat sibi visus est. Jam antequam pastor apud Saxones fieret, multa habebat quae in evangelicis vituperaret; neque tamen unquam Vitebergam Niemeccio valde propinquam adiit, ut cum viris optime de eo meritis egregieque in eum animatis colloqueretur ac conferret. Quin immo explorabat quod in iis reprehenderet; distinxit jam tunc Philippistas et Lutheristas; horum nonnullos haud male postea Lutheropithecos vocavit. Neque vero videbat, semetipsum dignum se praebere Erasmopitheci nomine, quippe qui Erasmicam illam, quam novimus, reformationem, sine Erasmi ingenio ac prudentia exhiberet atque proponeret. Scilicet non tantum ecclesiae externam quandam aetatis apostolicae imitationem imperavit, sed etiam a reipublicae magistratibus postulavit, ut illius temporis simplices mores et consuetudines vi legibusque restituerent, abolitis ludis nuptiarum et conviviis, vetitis litibus forensibus, sublatis judiciis civilibus. Talia somnia in libro conscripta velut sapientissima consilia Melanchthoni et Justo Jonae misit. Melanchthon hominem valde sibi placere suspicatus molliter admonuit, laudans animum juvandae ecclesiae cupidum. Justus Jonas nihil omnino respondit. Has res Vicelius, superbiam illorum incusans, velut summam injuriam sibi illatam graviter tulit seque non satis honeste pro dignitate sua tractari existimavit.

Accessit gravissima revera injuria, qua accepta nascens ejus odium in omnes Vitebergenses immodice auctum est. Cum Erasmo Vicelius de sacra coena Lutheri sententiam probavit, neque vero eos, qui Zvinglianam sententiam profitebantur, licet errantes, pro diaboli filiis habuit, neque evitavit eruditum eorum commercium. Quare quamquam de haereseos crimine, propterea ab angustis quibusdam Lutheranis in eum

1) Luther's Briefe III, 49.

2) Vicelium Lutheri magnitudinem nunquam perspexisse Neander bene cognovit, qui ceterum quam clementissime de eo judicat: Das Eine und Mannigfaltige etc. p. 264, cf. p. 197.

intento, se purgaverat, variae suspiciones remanebant. Quae auctae sunt captatis furtivis passim indiciis infensi, quem ille in Vitebergenses alebat, animi. Denique infelicissimo casu proruperunt. Publico Electoris edicto oppidi portae affixo cautum erat, ne quis fanaticos homines, pravas opiniones foventes, quales multi per Germaniam vagabantur, hospitio dignaretur. Istis adnumeratus est vir quidam eruditus, Campanus Juliacensis. Quem quum Vicelius per mensem in consuetudinem et familiaritatem recepisset, edictum illud violasse visus est. Neque dubitari potest quin hostili quodam in Lutheranos animo conjunctus cum Campano fuerit. At falso accusatus est, quod singulares ejus opiniones antitrinitarias et fanaticas probasset. Has enim Campanus eum non minus caute quam Lutherum et Melanchthonem, quibuscum per duos annos conversatus erat, semper celaverat. Nihilominus, quum illius opiniones Torgae patuissent, Vicelius, quod tali viro favisset, injectis vinculis in durissimum carcerem abductus est. Lutherus, ubi id rescivit (ipso enim ignorante factum erat) statim datis ad Electorem litteris impetravit, ut ille dimitteretur; simul viro captivo amice et fraterne scripserat. Itaque Vicelius ad Niemeccenses redux per annum evangelium iis praedicare perrexit, sed invito et hostili animo. Etiam Luthero, qui benignum semper se ei praestiterat, male voluit; se tum timuisse fatetur, ‚ne illo machinante in antrum denuo raperetur.‘ Denique illius seculi anno uno et tricesimo praetexta causa aliqua petiit, ut deposito officio in patriam urbem rediret, quod cum gratia Electoris ei concessum est.

Relicta Saxonia confestim aperte declaravit, sese deserta secta Lutherana rediisse ad ecclesiam catholicam. Sed revera inde ab eo tempore usque ad extremam senectutem (nam anno illius seculi septuagesimo tertio demum decessit) medius inter ecclesiam evangelicam et catholicam consistebat. Hanc reformari salva unitate voluit. Impugnavit ejus partem, quam vocavit, papisticam et sophisticam. Multa vere christiana a Lutheranis, praesertim in confessione Augustana, doceri contendit. Bonas litteras cum sincero christianismo conjungere studuit. Utramque partem sollerter admonuit, ne altera alteram vi impugnaret, sed in quaestionibus ad religionem pertinentibus plenissimam cuique concederent libertatem. His omnibus in rebus ab Erasmo pendebat, quem quum partim servili quem diximus modo, etiam in librorum titulis quibusdam, imitaretur,[1] simul ab eo aliis in rebus haud feliciter recessit. Sic in tractandis Bibliis criticae artis liber-

1) Scripsit v. c. ‚Querelam pacis,‘ ‚Querelam evangelii etc.

tatem, in qua adhibenda Lutherus Erasmum secutus erat, condemnavit.[1] Doctrinam evangelicam de justificatione rejecit. De Lutheri ingenio ac meritis pusillo animo judicavit. Ubi pressis iterum Erasmi vestigiis super Papam pariter atque super Lutherum christianam veritatem ponendam esse dicit, his utitur verbis: ‚Dedat cognoscendum atque judicandum sese tam Papa quam Lutherus communioni Patrum, qui ante mille annos ecclesiam Christi rexerunt et ad horum arbitrium reformetur uterque'.[2] Quae non minus quam somnium illud restituendi ecclesiae apostolicae formas prorsus discrepat cum sanioribus et altioribus Erasmi rationibus, quem ostendisse vidimus damna ecclesiae per omnes aetates crescentis et progredientis redeundo ad ejus infantiam reparari nequaquam posse. Id ut fieret vir omnium eruditissimus conjunctis reipublicae et litterariae et civilis praesidiis amice quasi cogi Curiam voluit ad concedendam veram ecclesiae reformationem; hunc vero finem persecuturus, licet a tot ecclesiae magnatibus adjutus, locum ipse in ea tenere non poterat, nisi adhibitis quas descripsimus callidis artibus aliisque subsidiis partim satis ambiguis. Jisdem fere Vicelius usus est, at minoribus viribus et majore periculo. Scilicet aliquamdiu inter Lutheranos versatus e nova domo quasi remigraverat in veterem; hanc vero, quum modicum in eo locum vix obtinuisset, penitus renovandam esse clamitabat. Qua re satis suspectus esse coepit. Praeterea jam ante, quam ad Saxones profectus erat, uxorem duxerat, postea viduus factus alterum et tertium matrimonium iniit; presbyteros romanocatholicos evitabat; adjutores singulos tantum nactus est. Quorum potentissimo Ferdinando I. fretus, extremis vitae annis animum Erasmo magistro dignum praestitit, quum Tridentini concilii decreta, a Jesuitis potissimum fabricata, viriliter impugnaret. Omnino, quidquid in eo desideratur et vituperatur, id agnoscendum nobis est, seria pietate ac sincera mente eum, dum vixit, pro principalibus illis Erasmi axiomatis, ad reformandam ecclesiam pertinentibus ac propter excelsum finem sane laudandis, viriliter propugnasse.

Quod quamvis nobis totam illius vitam contemplantibus facile appareat, Vitebergenses fugit. Quare durius eos de illo viro judicasse mirum non est. Confitebatur ipse, se orbis plausu, eruditorum assensu, novitatis cupidine pellectum[3] ad Lutheranos transiisse; itaque hi rursus

---

1) Neander l. c. p.
3) Kampschulte de Vicelio p. 37.
3) Doellinger, die Reformation I, 18.

persuasum habebant, quum ad Romanenses rediret, manifesta hominem vanitate in causa fuisse. Neque enim excusabatur injuria, quam subierat, gravissima sane sed mox reparata. Odium, quod tamdiu celaverat, nunc subito erumpens, justam illorum iram excitavit. Quis enim ferre poterat transfugam et proditorem, qui in aliena castra receptus, confestim, quidquid humanae infirmitatis et perversitatis apud Lutheranos animadverterat, odiosissime auctum evulgavit? Inprimis eorum vexilliferos, quos vocavit, immodicis conviciis incessivit. Erasmus aliquo jure Lutherum notaverat, quod caecis sectatoribus et adulatoribus non satis fortiter resisteret; Vicelius ut pessimum haereticum et tyrannum illum depinxit, Romanorum scilicet gratiam et fiduciam recuperaturus. Simul vero, Sophistas qui vocabantur audacter perstringens, Erasmum ut ‚margaritam preciosissimam,‘ ut aevi sui Phoenicem, ut ecclesiae doctorem Augustino et Hieronymo aequiparandum celebravit: ‚hunc primum inter aequales scholarum et ecclesiarum informitatem vidisse et improbasse, sed matrem ecclesiam non deseruisse.‘ Talia litteris adulatoriis plus semel ipsi Erasmo scripsit, sed hic nunquam ei respondit. Nonnulla ex illis hic afferam.

Satis declamatorio sermone usus repetit multa, quae ille saepius dixerat, de ‚Germaniae et christianismi periculis,‘ de ‚surdis Romae auribus,‘ de convocandi concilii necessitate. Sperat fore ut Carolus Caesar emolliat aut certe fatiget Curiam, quo ob pudorem saltem detrectare non possit id, quod sua imprimis interfuerit. Arbitratur etiam Lutheranos ad condiciones aequas descensuros esse: horum enim multi jam languere ei videntur. ‚Ferocia‘, inquit, ‚auctoris Lutheri mitescet, ubi doctissimorum hominum ex omni Europa advocatorum judicium audiet; cristae superbissimae conflaccescent, cornua immania decident illi, quum non in sterquilinio suo, sed in luce virorum clarissima ratio opinionis hesternae reddenda fuerit. Tu ab actione utilissima minime omnium aberis. Non audirem te si Caesar essem dicentem: Laboro calculo, venire non possum. Immo juberem et senem et calculosum deferri. Ob concordiam omnia tentanda sunt. Non est audiendus Lutherus, non sunt audiendi sophistae, sed Erasmus et hujus similes, hoc est ii, qui neutram partem, sed christianismum ab animo et sincere juvant. Faxit istuc bonus Christi spiritus.‘ Addit, Justum Jonam, qui ab Erasmo quondam laudatus nunc ejus inimicus sit, contra se quoque mendacia et convicia scripsisse.[1]

1) Er. opp. III, p. 1755 s. (d. 30. m. Mart. a. 1533).

Talia multa Vicelius et scripsit, et viva voce protulit, immo etiam de sacro suggestu proclamavit. Etenim ab Hojero Comite in urbem jam totam fere evangelicam, Islebiam, vocatus erat, ut ejus incolas sermonibus suis ad Romanam ecclesiam reduceret. Qua in re quamquam frustra laborabat, tamen Evangelici tam industrio suae causae desertori et impugnatori quam acerrime obviam eundum esse censuerunt. Primus Justus Jonas contra eum scripsit, partim praeclare, partim pro injustis opprobriis non minus injusta regerens. Sed id non sufficere multis videbatur. Optabant ut tam protervum hostem ipse Lutherus profligaret. Tum igitur Amsdorfius iis, quas supra attulimus verbis persuadere Luthero studuit, ut contempto Vicelio contra summum illius magistrum, ex quo omnia sua furatus esset, calamum stringeret. Obtemperandum ei esse Lutherus censuit, praesertim quum illis annis id fieri videret, quod fatale fuisse evangelicae reformationis operi memoravimus, ut plures viri a recentioribus humanarum litterarum studiis minime alieni et in republica litteraria insignes, contra inceptum illud exsurgerent et Romanae ecclesiae, tametsi multa in ea rejicere pergebant, inexspectatum auxilium ferrent. Lutherus, quum ipsius Christi causam se agere confideret, nihil veri Christianismi, quod ipsum fortasse fugeret, licet cum errore mixtum, ab altera parte esse posse putabat, sed istos omnes protervos Christi hostes existimabat, qui regnum mendacii Romae constitutum jamque multo hominum innocentium sanguine maculatum falsa eruditione sua fulcirent. Quare ducem eorum Erasmum palam iterum objurgare officium suum duxit.

Quod quo animo fecerit, ex his ejus verbis ad Amsdorfium scriptis apparet: ‚Unum est consilium, quod tu primus suggessisti, ut, contemptis Viceliis, Crotis, Haneris, Cochleis, in Erasmum eorum caput et auctorem arma vertamus. Nam istos nobis ipse peperit scriptores sua flexiloqua et inani loquacitate. Ideo in ipsum urgendus est impetus. Nam melius est ruere litteras quam religionem, si litterae nolint servire sed conculcare Christum. Quodsi hoc permiserimus, rei erimus conculcati Christi, et suscitabit, si nos nolumus, alios, qui audebunt, quia Christus regnabit. Quidam volunt per sapientiam concordare Christum et Belial; da wird nichts aus.‘[1]

Sic jamdudum de Erasmo judicaverat. Sed eorum memor, quae illi debebat, hucusque denuo semper se ipse collegerat et cohibuerat. Ubi vero similiter atque Aleander Erasmi sectam (hoc enim verbo utitur) progredientem ubique videre sibi videtur, in adoriendo

1) Briefe IV, 545.

et persequendo illustrissimo viro illo quasi suo genio frenos permittit. Itaque in iis, quae ad Amsdorfium scripta edidit, inest et magni et parvi aliquid. Admiramur Lutherum, ubi christianae veritatis fiducia nisus Erasmum infirmum, ambiguum, ingenio suo abutentem accuratius et ingeniosius quam unquam antea depingit. Sed deploramus inauditam ejus injustitiam, qua totum ita Erasmum se depinxisse ratus, Epicureum illum fuisse, fictam pietatem prae se ferentem, multis et aequalibus et posteris inculcat, ipse vero, dum id probare vult quod probare non potest, in easdem sophisticas artes, quas in Erasmo castigavit, inscius et invitus delabitur.

Initio id urget, a quo in omnibus quae sequuntur proficiscitur, impugnari a Romanensibus agnitam veritatem. ,Audita est,' inquit, ,causa nostra coram Caesare et toto mundo inventaque est irreprehensibilis. Vulgata est deinde nostra confessio et apologia, et versatur publice in luce per mundum. Per haec respondemus infinitis libris et omnibus mendaciis papistarum praeteritis, praesentibus, futuris. Confessi sumus Christum coram generatione hac nequam et adultera: ipse nos rursum absque dubio confitebitur coram Deo Patre et Angelis suis. Lucet lux nostra super candelabrum; diximus impio suam impietatem; nos animas nostras liberavimus. — Gloria nostra haec est: quidquid in Scripturis et Patribus contra nos produci potest, productum et declaratum est. Manet illis gloria tantum maledicendi, mentiendi, calumniandi; quam cur eis invideamus, quum nullis aliis virtutibus possint et velint nobiles fieri?'

Jure igitur Erasmum vituperat, qui in tanto certamine propter varias causas nunquam omnia quaecunque animo sentiebat palam aperire vel voluit vel potuit. Scilicet et medius inter utramque partem stabat, et conservandae unitatis ecclesiasticae causa a parte Romanensium haud prorsus secedendum sibi esse censebat. Quem locum quam miris artibus a Luthero contemptis et quam continuo ingenii lusu et abusu tenuerit, demonstravimus. Quare Lutherus aliquo jure ridet illius versutiam, qua et Lutheranos et ,truncos' Romanos offendere ita studeat, ut, si offensos se senserint, triumphet et gaudeat, atque inventa rhetoricandi occasione clamitet se male intellectum esse. Sic eum eloquentia sua ,mirificam tyrannidem exercere, qua adversariis suis et ,ferendae amphibologisandi libidinis et tacendi necessitatem imponat.' ,Ludamus amphibologiis' (hoc enim verbum Lutherus quasi pro amphibolologia sibi fingit) ,in rebus aliis levibus, quales sunt nuces, poma, denarii et similes puerorum et stultorum deliciae: in religione et causis gravibus politiae amphibolon ceu Diabolum et mortem fugia-

mus, quantum fieri potest. At noster rex Amphibolus sedet in throno amphibologiae securus et duplici contritione conterit nos stupidos christianos. — Servum arbitrium tibi documento esse potest, quam difficile sit Proteum illum aggredi propter flexiloquentiam et lubricitatem, qua mirabiliter confidit. Non enim consistit certo loco et callidus est ad evitandos ictus velut irritatus crabro. Ego autem miser consistere cogor, loco certe iniquo, velut signum contradictionis.'

Quae omnia, quatenus vera, admirabili modo dicta sunt. Sed aliquid iniquissimi animi immixtum esse facile apparet. Saepissime enim Erasmum et Lutheranis et Papistis veritatem aperte et audacter testatum esse ostendimus. Talia etiam libellus ille de concordia ecclesiae scriptus continet, quem Lutherum, tunc ut ipse ait in gravissimis laboribus, inprimis in vertendis Bibliis, occupatissimum, nunquam accurate legisse putaverim. Quae Erasmus plus semel eum monuerat, ne omnia dogmata sua, quae privata Scripturae Sacrae interpretatione niterentur, sine ullo discrimine cum verbo divino aequaret, ea frustra dicta fuerant. Hyperaspistas ,viperaspidas', scriptorem viperam vocavit. Erasmiani, sicuti Zwingliani, jam non christiani, sed mera Satanae organa esse ei videbantur. In sobrio et misericordi de errantibus judicio revera Vicelius iste, quem ut miserum ,Grammatellum seu Vocabularium' contemnebat, propius quam ipse ad veritatem accesserat. Id huic ejusque similibus facilius fuisse, quam viro fortissimo ad pugnandum coacto, ne obliviscamur; graviter peccasse Lutherum non reticendum est.

Iterat certius atque atrocius quae de Erasmo sceptico et Epicureo jampridem protulerat. Quod ad scepticismum pertinet, quae ille prudenter responderat, plane neglegit. Explicationem symboli ab Erasmo nuper editam, quae multa pia ac pulchra continet, injuste carpit velut infantibus periculosam; etenim catechistis potius quam catechumenis destinata est, id quod scriptor diserte affirmat. Critica ars illic et alias in tractandis quaestionibus theologicis adhibita apud Erasmum aeque atque nostro seculo apud Schleiermacherum vel Neandrum cum sincera ac viva fide christiana conjuncta erat; ipse Lutherus eam ab illo acceptam in suum usum passim verterat; eandem audacius provectam novas tempestates in ecclesia excitaturam esse, recte cum Melanchthone praesagiebat; immo theologorum quorundam nostri temporis rationem ac viam e longinquo introspicere et describere videtur, quum exclamat: ,Quis ex hac methodo aliud accipiet, quam fastidium, immo odium discendae tam confusae, perplexae ac fortassis fabulosae religionis?' Verumenimvero his verbis ne minime quidem theologicam

Erasmi methodum feriit, quam ipse gravissimis in rebus secutus erat quamque universa ecclesia evangelica inde ab illo tempore magis minusve secuta est. Quae vero Lutherus ad accusandam Erasmi frivolam et Epicuream mentem affert, ea omnia praecipitata, vana et ipso plane indigna sunt. Haec enim vel raptim legendo et male recordando sibi finxerat, vel aliorum, fortassis Amsdorfii, narratiunculis credens coacervaverat. Quare Erasmus haud temere, quum contristato animo ei responderet, questus est, quod tenebrionibus nimis flexibilem se praebuisset.

Pauca exempli causa ex Lutheri epistola illa excerpam. Leguntur illic haec: ,Quum Erasmus de Joanne evangelista tam leviter et ridicule dicit: Meros crepat mundos, feriendus est judicio Epicuri et Democriti et dicendum ei: Disce de majestate loqui reverentius.' At illis verbis Erasmus nusquam usus neque unquam aliter atque summa reverentia de evangelista locutus est. Adversus veterum dubitationes de priore Joannis epistola adnotaverat, hunc ejusdem apostoli esse, qui scripsisset evangelium, vel ex sermonis colore conspicuum esse: ,Multus est in mentione lucis ac tenebrarum, vitae ac mortis, odii et caritatis, in iterandis verbis velut exceptis ex sermone proximo. Quod genus est illud: Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo, quoniam omne quod in mundo est etc. Ac mox: Non est ex patre, sed ex mundo est, et mundus transit. Quantum hic est mundorum!' Quorum verborum loco in altera editione posuerat: Quoties hic iteratur mundus! Atque in fine paraphraseos Joannis dixerat, ,Joannem, quemadmodum peculiarius adamatus fuisset a Domino, ita nihil aliud spirare quam meros amores.' Ex his duobus locis memoriae lapsu confictum illud esse videtur: Meros crepat mundos. — Neque majore jure Lutherus contendit Erasmum in epistola quadam (quam non indicat) obscoeno verbo usum esse de incarnatione filii Dei, quum locutus fuerit de coitu Dei cum virgine. At Erasmus nunquam tam impio et blasphemo, quem ipse vocat, sermone usus fuerat. In paraphrasi evangelii locutus est de ,sancto divinae naturae cum humana coitu'; unionis verbum ad exprimendam Graecorum ἕνωσιν ut ,in eo sensu non satis latinum' evitaverat, fortasse propter ignorantes non satis prudenter; sed verbum coire ejusque derivata apud Latinos saepissime verecunde adhiberi suo jure adnotat. Atque ejusdem generis alia omnia sunt, quae huc pertinent.

Erasmus ad Amsdorfii epistolam haec respondit: ,Ille plaustrum sponte pronum commode perculit, ut contempto Vicelio Erasmus pete-

retur ac suis tandem depingeretur coloribus, qui sunt, ut ait, inscitia et malitia. Summam enim meae doctrinae hanc esse (utar verbis illius): Doctrina Lutheri haeresis est, quia damnata a Caesare et Papa; sua vero est orthodoxa, quia episcopi et cardinales, principes et reges mittunt et donant ei aurea pocula. Si aliud est in suis libris, moriar. Ego nusquam in libris meis appello Lutheri doctrinam haeresin. Tamen Moriar inquit. Ego non tantum ei precabor mali, sed potius, ut in eo moriatur vanitas et vivat veritas.' Addidit se Vicelio, qui semel atque iterum ei scripsisset, nunquam respondisse: ,quod si fecisset, se admoniturum eum fuisse, ut aut ne lacesseret Lutherum, aut certe stomacho non indulgeret, quem satis exulceratum ipsius litterae prae se tulissent.'

Ex iis, quae ad repellendam Lutheri criminationem in medium protulit, haec exscribam: ,Conatur Lutherus orbi persuadere, Erasmum non tantum nihil credere de rebus divinis, verum illud jam olim dolis, insidiis totisque viribus agere, ut universam religionem christianam labefactatam tandem det praecipitem proque hac paganismum in mundum revocet. Non vereor autem, ne tam atrox et impotens convicium in me haereat apud eos, qui vel legerunt meas lucubrationes vel domestica consuetudine inspexerunt mores et ingenium meum. Illis satisfaciendum, qui quum nec me norint, nec meos libros evolverint, sic Luthero sunt addicti, ut oraculum existiment quidquid dixerit. Utinam in vita tam obtemperassem divinis praeceptis, quam de his, quae sunt fidei, liberam et quietam habeo conscientiam apud Deum. Quod ad mores attinet, quotidie cum suspiriis et dolore cordis interpello Domini misericordiam, quem tamen nolim mihi unquam fieri propitium, si diabolici facinoris unquam vel levissima cogitatio pupugit animum meum, non dicam ut universam Christi gloriam obscurarem sed ut ipse a fide catholica resilirem. Atque utinam hujus corpusculi jactura queam hoc ecclesiae dissidium consopire. Quam lubens et gaudens eam mortem susciperem! Haec coram Deo loquor ex animo.'

Multi tunc recrudescentem inter utrumque virum pugnam cum Melanchthone deploraverunt. Non deerant, qui temporis illius reminiscerentur, quo spes fuerat fore ut illi ad efficiendam veram ecclesiae reformationem tamdiu desideratam vires amice cunjungerent. Utroque rempublicam christianam carere non posse, duodecim annis ante flagrantissimis verbis et egregius Constantiae consul, Thomas Blaurer, testatus erat, et Zvinglius in epistola ad Beatum Rhenanum his verbis affirmaverat: ,Judicat uterque gnaviter et graviter. Est tamen utrique quiddam peculiare (quod citra invidiam dictum volo), quod si alteri

adfuerit, jam is illi comparari, nedum aequiparari non possit. Quin ista nobis cur non servet uterque?' Nunc vero Melanchthon, quamquam plus quam antea humanae voluntati tribuere didicerat, tamen renovatam pugnam illam necessarium malum (ἀναγκαῖον κακόν) appellavit. Agnovit in ea fatale quoddam, quod non tantum a peculiari utriusque viri indole et culpa, sed etiam a praesenti universalis ecclesiae condicione penderet. Quo factum est, ut salva veritate et libertate evangelica, quales erant homines, magnum discidium ad tempus evitari non posset. Huic tristissimae sane necessitati sua sponte cessit, qui voluntate fortior erat, Lutherus, frustra repugnavit, qui debilior, Erasmus. Itaque non adversari sibi invicem non potuerunt.

Neque tamen Melanchthon, ubi fieri potuit, paci inservire desiit. Erasmus cum eo per duos amplius annos usque ad extremum amicitia conjunctus erat. Mense ante decessum ultimam ad eum epistolam scripsit, nuper demum ex apographo Gothano editam.[1] Ex qua nonnulla hic quoque memoriae prodere operae pretium duco. Plura Melanchthoni de scriptis ejus sana judicia et egregia consilia amice impertit. Deinde virulenta Caesaris Scaligeri convicia (quorum hunc postea valde poenituit) memorat veteremque ethnicorum, quos ab initio impugnaverat, inimicitiam; Romae novam ejusmodi factionem in dies serpere latius. ‚Nec dubium est', inquit, quin haec organa moveat Satanas, qui mallet omnes esse Ciceronianos quam Christianos. Multi mihi gratias agunt, quod ex scriptis meis, qualiacunque sunt, aliquam pietatis scintillulam hauserint. Hoc lucelli Satanas Christo invidens instigat istos. Interim usurpo vocem Davidis, quum saxis et conviciis quovis saxo durioribus lapidaretur: Dominus praecepit illis ut maledicerent mihi: quis scit an misereatur mihi! Haec effudi in sinum tuum, quem scio non distringi temere.'

Haec quum scriberet jam per aliquot menses invitus apud Basileenses, qui reformato cultui se addixerant, gravissimo morbo retinebatur. Catholicae ecclesiae fidam communionem assidue testabatur, cum evangelicis, etiam iis, quibuscum lites antea intercesserant, amice conversari non dubitabat. Cum pia Jesu Domini invocatione, in qua modo Latina, modo Germanica lingua usus est, vita decessit.

Jam aliquot annis ante apologiae instar vitam suam quam brevissime scripserat. Quae in fine hujus commentarioli, post mortem ejus editi, de se ipse testatur, hoc loco non omittenda mihi esse censui. ‚Valetudo', inquit, ‚semper fuit tenera, unde crebro tentabatur febribus.

1) Corp. Ref. III.

Ingenium erat simplex, adeo abhorrens a mendacio, ut puellus etiam odisset pueros mentientes, et senex ad illorum aspectum etiam commoveretur. Linguae inter amicos liberioris, nonnunquam plus quam sat esset. Et saepe falsus, amicis tamen diffidere non poterat. Nec putidulus erat, neque quidquam unquam scripsit, quod ipsi placeret. Ac ne facie quidem propria delectabatur vixque extortum est amicorum precibus, ut se pingi pateretur. Dignitatum ac divitiarum perpetuus contemptor fuit, neque quidquam prius otio ac libertate habuit. Candidus alienae doctrinae aestimator fautorque ingeniorum unicus, si fortuna suppetiisset. In provehendis bonis litteris nemo magis profecit gravemque ob hanc rem invidiam sustinuit a barbaris. Usque ad annum quinquagesimum nec impetiit quemquam, nec impetitus est a quoquam stilo. Idque habebat sibi propositum, omnino stilum incruentum servare. A Fabro primum est impetitus. Nam Dorpiana orsa suppressa sunt. In respondendo semper civilis erat. Lutherana tragoedia intolerabili illum oneravit invidia. Discerptus est ab utraque parte, dum utrique studet consulere.'

Mortuo Erasmo lugebat Basileensis civitas; funera a magistratu, amicis, viris eruditis, universitatis litterariae civibus honorificentissime parata sunt. Inter longinquos inprimis lugebat etiam Melanchthon cum Camerario suo. Neque unquam dignam Erasmi memoriam Vitebergae evanescere passus est. In hujus laudem, adhuc superstite Luthero, Melchioris Acontii carmina de Erasmo composita edidit, praefixis suis ipsius versibus quibusdam, quorum priores hi sunt:

Quamvis ingrata est hominum natura nec unquam
Reddere pro meritis praemia justa solet:
Nulla tamen laudes aetas abolebit Erasmi,
Non omnino mori gloria vera potest.

Lutherus post Erasmi mortem de eo loquens varios affectus sequitur. Etsi saepissime, praesertim in colloquiis familiaribus, injusta sua de illo judicia iterat, aliquoties tamen, compluries quam plerique opinantur, honorifice eum memorat. Sic gloriatur, quod libellum suum de votis monasticis Erasmus recommendaverit. Enumeratis pluribus viris probis, qui martyris Constantiensis innocentiam perspexerint, post Maximilianum Caesarem statim Erasmum nominat; hunc enim in libello typis expresso, quem ipse adhuc possideat, palam scripsisse: Johannes Hussus exustus non convictus. Quumque consultationem Cardinalium Paulo III. pontifice publicatam adjectis notulis ederet, ei loco, quo illi post accusatam scholarum publicarum, praesertim Italicarum, impietatem Erasmi colloquia taxant, haec verba Germanice adscripsit: ,Itane hic

culpam sustinebit? Utinam viveret vobisque turpissimis nebulonibus vices rependens orbi monstraret, quam pie pulchreque et vosmetipsos et omnes alios reformassetis!'[1]

Supererant et per satis longum tempus et apud varias gentes haud pauci, qui primum Erasmi et libris et domestica consuetudine ad amplectendum sincerum evangelium ejusque libertatem perducti, etiam posteaquam haec tanta bona nisi extra ecclesiam Romanocatholicam servari non posse intellexerunt, gratissimam illius viri velut eximii divinae providentiae organi memoriam semper retinuerunt. Ex quorum numero nobilissimum Polonum, Joannem a Lasco, producimus, qui iniqua quorundam de illo judicia his verbis repellit: ,Nihil dubito, quin Erasmus, si nunc viveret, aequior multo nobis futurus esset. Sed habet quisque donorum suorum modum, ut non possimus ubique omnia et multa adhuc superesse puto, quae nunc etiam ignoramus. Nostrum est de iis nobis gratulari, quae Deus prout vult juxta fidei nostrae mensuram conferre in nos dignatur. Ita et de Erasmi donis, quae sane et plurima et maxima fuisse negare nemo potest, gratulari nobis merito Deumque in illis agnoscere debemus. Si quid autem amplius nos assecuti nobis videmur, id quoque a Domino nobis donatum cogitemus.'[2]

In media ecclesia Romanocatholica Erasmus unicus veritatis evangelicae testis et vindex ita fuit, ut sermo ejus audacissimus pro ingenti auctoritate, qua inter cunctas gentes curiae addictas fruebatur, et ab omnibus audiretur et ab ecclesiae proceribus, quoad vixit, toleraretur. Timebant scilicet, ne novum tantum adversarium sibi excitarent, id quod et Aleandrum aperte confessum esse memoravimus. Ipse Erasmus, ut vidimus, divinaverat fore ut, ubi post primas illorum temporum tempestates respiraret pharisaismus, servitus duplicaretur. Quod ubi evenit, inter prima pristinae debilitatis quasi piacula, Romana curia condemnationem Erasmi postulavit. Qua re ipsi duraturam ejus magnitudinem inviti celebraverunt, etiamsi magnum eum vocari in Hispania publico edicto vetitum est. Condemnationis opus post mortem ejus inceptum Cardinalium quos diximus, consultatione, a patribus Tridentinis et ab Indicis Romani et Hispani scriptoribus perfectum est. Collecta quidem Erasmi opera ex bibliothecis excludere etiam tunc non ausi sunt, quasi puderet eos illa sine ullo

1) Lauterbach's Tagebuch p. 147. — Lutheri opp. Germ. ed. Jen. (a. 1561) VI 493. Seckendorff III p. 164.

2) Joannis a Lasco opp. ed. Kuyper II, 584. Cf. Neander l. c. p. 181 Dalton, Johannes a Lasco p. 113.

discrimine condemnare, quae Pontifices summis laudibus toties cumulaverant, immo partim sibi dedicata vel missa summo favore acceperant. Sed ipsum auctorem jamdudum mortuum damnare, spretis iis quos ipsi falli nescios jam vocabant, non verebantur. Decreverunt igitur, ut in quovis Erasmi operum titulo ejusdem nomini adderetur ‚authoris damnati' et infra cujusvis tituli paginam gravissima verba adscriberentur, quibus lector ad indicem purgatorium referretur. Id in iis quoque Erasmicorum operum tomis, qui ex monasterio quodam ad bibliothecam Halensem pervenerunt, accurate ubique factum conspicimus. Quae minuta quidem et parva dictu res esse videtur, sed unum signorum est tyrannidis illius monasticae ab Erasmo praevisae, quae, a novo potissimum Lojolae ordine condita, colore ac specie sua universam ecclesiam Romanam magis magisque induxit. Quod quomodo exstirpato ex hac non sine crudeli violentia Erasmi ingenio paulatim factum nostraque memoria concilii quod dicitur Vaticani auxilio consummatum sit, altera hujus libri parte breviter explicabimus.

Halis, Typis Orphanotrophei.

ERASMUS REDIVIVUS.

ERASMUS REDIVIVUS

SIVE

DE CURIA ROMANA HUCUSQUE INSANABILI.

SCRIPSIT

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN.

Non enim possumus aliquid adversus veritatem sed pro veritate.
Ep. II. ad Cor. 13, 8.

II.

HALIS
SUMPTIBUS ORPHANOTROPHEI
MDCCCLXXXIX.

PARS ALTERA.

PARS ALTERA.

Caput I.

Francogallus quidam, celeberrimus Romanae ecclesiae propugnator, ingeniose dixit, papismi fortitudinem in catholicismo sitam esse, catholicismi debilitatem in papismo. Quod verbum quasi clavis esse potest ad recludenda recentioris ecclesiae Romanocatholicae ejusque historiae mysteria. Etenim magnam unitatem catholicam non minus quam veritatem ac libertatem evangelicam constat ideam esse specialiter christianam eamque non tantum invisibilis quae dicitur ecclesiae propriam, verum etiam visibilis christianorum coetus administratione gubernationeque exhibendam atque effingendam. In hac vero unitate inter divisas orbis christiani partes defendenda ac propaganda summam hucusque operam et curam prae omnibus aliis Romana ecclesia consumpsit. Propterea similiter atque Erasmus multi deinceps viri magni vereque christiani papismum duxerunt retinendum et ad tempus tolerandum esse, quamvis quantopere hic a veritate et libertate evangelica recessisset non ignorarent. Putabant, ubi tot gentes christiana concordia ad incrementa eidem regno spirituali adferenda concurrerent, ibi fieri non posse ut quaecunque in Curia Romana reformanda esse jamdudum apparuisset, ea paulatim non reformarentur. Qua spe non aliter quam Erasmus denuo semper frustrati sunt. Curiae Romanae enim Vicedei potius, quem nominabat, quam vivi Dei regnum, quale in Novo Testamento praedicatur, curae erat. Eam ad rem aptissimum adjutorem nacta est Jesuitarum ordinem. Quorum mentem atque indolem, quantum pro incepti nostri consilio necesse esse videbatur, jam supra descripsimus.[1] Hi igitur pharisaici cujusdam et carnalis catholicismi summi artifices, in Erasmo spiritua-

1) V. supra I, p. 44. 55 sq.

lem, quem praedicaverat, catholicismum atrocissimo odio persecuti sunt. Ejus libros legi jam Lojola vetuit. Jesuitae maxime ut inter Indicis auctores condemnatos referretur, effecerunt. Iidem postea, ubicunque illius defensionem sinceriore ac liberaliore pietate motus aliquos susceperat (id quod apud Francogallos et a Gallicanorum et a Jansenistarum parte factum esse videmus) quam celerrime ejusmodi ausum opprimere conabantur.

Quarum rerum causa facile cognoscitur. Recens, quod inceperat, aevum a resuscitatis classicae antiquitatis studiis prorsus divelli non posse etiam Jesuitae intellegebant. Politiore quodam monachatu opus esse putabant quam Mendicantium ordinibus, quorum sodales plurimi, obscurorum virorum nomine famosi, morum ac linguae barbarie non minus ridiculi quam exosi erant. Ipsi igitur suam societatem ad humaniores artes sollerter accedere volebant. Sed non tam veram animi culturam appetebant quam polituram quandam Lojolae fanatismo et phantasmatis haud prorsus adversam. Externas tantum antiquitatis formas ad excolendam facundiam et ad erudiendos pueros scitissime et callidissime sibi accommodabant. Quae in veteribus scriptoribus levia ac frivola occurrunt, Jesuitarum multitudini facilius semper placebant, quam quae serium ac virile quoddam vindicandae veritatis jurisque ingenium illic spirant. Ab hoc enim ordo abhorrebat videns, quantum inde periculi immineret medii aevi fabulosis quibusdam, quae pretiosissima ipse putabat, commentis ac mendaciis. Mentori scilicet etiam privatae domesticaeque utilitatis causa peccatum veniale habebatur,[1] tanto libentius mendacia admittebantur regno papali, quasi divino, inservientia. Crassos illorum temporum errores, abusus, superstitiones, phantasmata, quae omnia Erasmus, adprobantibus praeclarissimis Romanae ecclesiae viris, tanquam turpissimum hujus dedecus castigaverat, Jesuitae tanquam summum ejusdem decus, quantum fieri potuit, conservare summisque laudibus efferre studebant. Papismum eumque irreformabilem, ut tutissimum illarum rerum refugium pro summo ecclesiae bono, spiritualem catholicismum, ubicunque contra inveterata mala hiscere ausus est, pro haeretica pravitate habebant. Ubi vero ejusmodi catholicismi sectatores de malis illis tacebant vel, dum enthusiasmo quodam absorbebantur, illa non videbant, Ordinis gubernatores eorum viribus prudenter utebantur. Itaque huic societati neque sodales quidam ipsa meliores pharisaicaeque luis expertes de-

1) Pascal, lettres provenciales chap. XV.

fuere,[1] neque viri in diversissimis doctrinae partibus insignes, in arte mathematica, astronomica, chronologica, denique in iis omnibus, quae, ut quis in iis excellat, eruditionem quidem sagacitatemque desiderant, non vero animi libertatem, nobilitatem, excelsitatem. Quare ad summum, quod mortalibus positum est, veri indagandi et vindicandi fastigium Jesuitarum nemo unquam pervenit. Impediebantur nimirum etiam praestantissima ingenia foedissimae illius servitutis halitu, quam ista societas, ubicunque terrarum vel clam serpit vel palam dominatur, in scholis, institutis, legibus suis semper spirat cujusque jugum universis gentibus imponere tum insidiosa fraudulentia, tum, si necesse videbatur, sanguinaria violentia uti nunquam reformidavit. Sic virus illud jam pridem, ut ita dicam, a Curia usu captum, Jesuitae et vehementius ac letalius reddiderunt et per universum quasi christianae reipublicae corpus diffuderunt, unde factum est, ut Romana ecclesia magis magisque in tristissimam illam servitutem delaberetur hodie omnibus oculis conspicuam, a qua contemplanda supra profecti sumus. Jam igitur, postquam ipsius Erasmi pro catholicismo quodam spirituali pugnantis imaginem adumbravimus, quaenam apud Romanocatholicos Erasmici ingenii fata fuerint explicabo. Opus aggredior inde ab initiis suis atrox, quoniam quaecunque usque adhuc a Papistarum parte ad confirmandum imperium suum mundanum gesta sunt, ea omnia partim pendent a sanguinolentis facinoribus religionis specie perpetratis, partim a clandestinis consiliis fraudibusque, quibus ante haec tria secula factum est, ut Concilium universale, apud varias gentes nobilissimorum ingeniorum desiderio efflagitatum, a Curia summo horrore reformidatum et quam diutissime procrastinatum, denique inopinatum exitum haberet ad augendam immanem Pontificum potentiam.

Incipiam a sanguinolentis illis facinoribus. Omnibus, quicunque historicam veritatem quaerunt, satis notum est, quot innumerae caedes vel, ut Bartholomaei nocte, per fraudulentos insidiatores et sicarios, vel, ut in sancta, quae dicebatur, Inquisitione sub pharisaicis christiani judicii formis perpetratae sint, quam dira etiam bella suscitata, ut progrediens ubique libertas evangelica cum inter Teutonicas quasdam gentes, tum inter Latinas fere omnes opprimeretur. Exquisita scilicet crudelitate fanatici Curiae Romanae asseclae, ubicunque fieri potuit, per plura secula in optimos quosque viros evangelicos, nec non in feminas, id egerunt, quod Bellarminus Jesuita et Cardinalis ‚pie saevire in

1) Cf. quae de ea re supra dicta sunt p. 44.

haereticos' nominavit, idem omnipotentiae et infallibilitatis papisticae tam impudens propugnator, ut ejus argumentationes, latinitate politissimas, ipse Hefele quondam (nam nescio an idem nunc sentire audeat) a praesenti Romana ecclesia in medii aevi barbariem transferre conatus sit.[1] Qui si alio loco recte admonet, Pontifices quosdam Sanctam Inquisitionem Hispanicam a regum tyrannide profectam, coërcere frustra studuisse, infitias tamen non ibit, ipsos Pontifices saepissime a Principibus, ut vi fidem evangelicam exstirparent, postulasse, eosdem in sua sede atrocissimae et crudelissimae Sanctae Inquisitionis exemplum dedisse, in papali palatio propter Bartholomaeanae noctis lanienam summum gaudium triumphale perhibitum esse, cujus foedissimum monumentum pictura quadam in Vaticani palatii ‚sala regia', quae dicitur, adhuc conservatur. Idem Hefele non ipsum solum Torquemadam, sed ipsum cum tribunalium ei subditorum inquisitoribus duo millia homines cremasse adnotat, quod satis horrendum fuisse sine dubio concedet. Miserrima vero Romanae ecclesiae excusatione utitur, quum a sanguine semper eam abhorruisse probaturus sollemnem formulam affert, qua inquisitores eum, quem condemnaverant, brachio seculari tradebant orantes, ne morte multaretur, quasi scilicet serio id dictum fuisse Hefele vir satis prudens unquam crediderit. Sed jam tunc in papalis ecclesiae honorem pravissimae causae patronum se gerere didicerat. Itaque ad subeundum majus illud dedecus, quod supra memoravimus,[2] quodammodo se praeparabat.

Quam prava causa illa, quam sustinebat, fuerit, multis ostendere necesse non esse puto. Paucissima tantum ex tot caedium exemplis proferam, ut quales interfecti, quales interfectores tunc fuerint illucescat. Quod discrimen etiam ab Erasmo fervidis verbis designatum esse memoravimus. Hunc igitur rerum suo tempore in Gallia gestarum testem producam. Quare quae de Berquino martyre in epistolis passim narrat, in unum contraham. Unde simul apparebit, id quod saepius factum esse scimus, reipublicae proceres furiosis Curiae asseclis, damnationes, tormenta, mortes pervicaciter efflagitantibus, non statim quidem obtemperasse, sed per longum tempus resistere non ausos esse. Bene vidit Erasmus, saevissimos egregii viri interfectores ipso Clemente Pontifice nisos esse, praecipue Beddam Sorbonae Parisiensis syndicum, totius tragoediae actorem. Hic enim cum barbara

1) In Wetzer et Welte encycl. s. v. Bellarmin.

2) Cf. supra p. 78.

sua mente et latinitate vivus obscurorum virorum et ,articuliferorum' typus erat, sancti et religiosi Inquisitoris, ut sibi quidem videbatur, exemplar, quippe qui etiam qua hora Sancti Lucae paraphrasin Erasmicam, horrendis haeresibus refertam, legere incepisset accurate religioseque adnotavit, scilicet ,anno Domini MDXXIII mensis Januarii diei decimae, quae erat dominica, hora postmeridiana quarta.'

Etenim Ludovicus Berquinus monachis exosus erat ut unus Erasmianorum, quorum jam elegantiorem latinitatem, praesertim si Graeca quaedam verba admixta erant, pro certissimo haereseos signo habebant. Gratissimo ille animo confessus est, Erasmo se cum ad humaniores litteras accessionem debere tum purioris christianismi scientiam. Hunc ipse Erasmus nobili loco natum fuisse dicit, Berquinii regionis dominum, Galliae regi a consilis eique carissimum, in aula ejus vita tam pura conspicuum, ut ne rumusculus quidem impudicitiae sit unquam in illum exortus, mire benignum in amicos et egenos, constitutionum ac rituum ecclesiasticorum observantissimum, alienissimum ab omni fuco, ingenio libero ac recto, quod injuriam nec cuiquam facere vellet neque a quoquam perpeti posset. Tunc pergens, ,Quid multis?' inquit. ,Negabant quidquam esse in vita quod non deceret christianam pietatem. Hoc ajebant in eo crimen esse gravissimum, quod ingenue prae se ferebat odium in morosos quosdam theologos ac monachos non minus feroces quam stolidos. Fuerat illi pridem nescio quid conflictatiunculae cum Querno theologo. Mox ex libello, quem opinor ediderat, decerptae sunt aliquot sententiae, quae viderentur ad fidei negotium pertinere. Erant quantum memini hujus fere generis, in concionibus incongrue beatam virginem invocari pro spiritu sancto nec apte vocari fontem omnis gratiae et in cantico vespertino praeter scripturarum consuetudinem appellari spem et vitam nostram, quum haec magis quadrent in Filium. Ob ejusmodi naenias ductus est in carcerem, reus haereseos periclitatus est. At judices ubi viderunt causam esse nullius momenti, absolverunt hominem. Qui detulerant, jactabant eum elapsum favore regis, ipse se praedicabat jure victorem. In hoc articulo rerum mihi primum coepit innotescere. Scripsit ad me de causa sua deque judicio parum aequo, quod Quernus et Bedda tulissent de quibusdam scriptis meis. Ex epistola visus est mihi vir bonus. Respondi, ne involveret me suae causae: natura me abhorrentem a contentionibus nunc ob aetatem et valetudinem magis desiderare quietem, quum ad eum diem me pararem, qui jam longius abesse non posset. Admonui simul amanter ac libere, si

saperet sineret crabrones et suis se studiis oblectaret. Ille ut habebat quiddam cum palma commune, adversus deterrentem tollebat animos.'

,Prorepserunt libelli ejus, quibus ex meis versis interjecerat sua quaedam. Id ubi sensi, acrius expostulavi cum homine, qui nec prudenter ageret nec satis amice, qui me plus satis gravatum pergeret magis etiam aggravare. Ille sui similis respondit me tota errare via: non alia ratione magis conflatam ex monachorum sycophantiis invidiam posse opprimi, quam si vulgus mea legeret. Addebat exemplum episcopi cujusdam non mali quidem sed illitterati, quem illi sic inflammassent in me, ut ne nomen quidem Erasmi ferre posset. Huic tradidisse se Pacis querimoniam Gallice loquentem. Ea delectatum episcopum coepisse in nos amico esse animo et illos delatores vehementer detestari.'

,Interea Beddaici quidam collectis pluribus articulis curarunt hominem iterum pertrahendum in carcerem. Horum aliquot ad me misit, simul cum censuris judicum. Responsionem ad illum remisi declarans, quam illic nihil videretur impium.[1] Monachi pronunciarunt in carcere sententiam definitivam jamque nihil supererat, nisi ut exustis libellis ac peracta palinodia reciperet praescriptam satisfactionem, quae nunquam non immitis est a monachis, aut si id recusaret iret ad ignem. Ille vir fortis ne in uno quidem illis cessit ac perierat nisi quidam ex Senatu cordatiores perspicientes rem respondissent se totam causam a capite usque ad calcem velle cognoscere, idque non sine fremitu eorum qui pronuntiaverant. Hoc enim nihil aliud videbatur quam illorum sententiam rescindere. Dum haec aguntur, Rex commodum reversus est ex Hispanica captivitate. Is admonitus, Berquinum suum inter monachos ac Beddaicos periclitari, primum per caduceatorem, mox per litteras denunciavit Senatui, ne quid temere paterentur fieri in suum consiliarium, se brevi adfuturum ac diligentius de toto negocio velle cognoscere. Aliquanto post Berquinus suae libertati redditus est, quo posset facilius suae causae consulere. Ibi dictu mirum, quantum fiduciae conceperit animo. Non solum sibi promittebat absolutionem verum etiam victoriam eamque speciosam quam ajebat esse in manibus. Mutatis vicibus ipsam Sorbonam sacratissimam, monachos et Beddaicos, peragebat impietatis. Nam quaedam arcana deprehenderat in eorum actis. Quo magis sibi placebat, ego

1 Tunc igitur Erasmus, quum antea perspecto periculo timorem prae se tulissot, fortem animo iterum se praebuit.

magis timebam homini. Proinde crebris epistolis adhortatus sum, ut vel arte quapiam semet extricaret ex causa; puta curarent amici ut praetextu regiae legationis longius proficisceretur; profugeret fortassis in Germaniam, ubi nulli facessitur negocium ob hujusmodi articulos ne apud orthodoxos quidem. Expenderet sibi cum immortali adversaria rem esse, Facultas enim non moritur; simul illud cogitaret, qui cum tribus monachis belligeretur, eum cum multis phalangibus habere rem, non solum opulentis ac potentibus, verum etiam improbissimis et omni malarum artium genere instructis. Neque plus satis fideret Regis praesidio. Principum enim favores esse temporarios ac delatorum artibus facile in diversum trahi illorum affectus; denique magnos etiam principes vel delassari talium improbitate, vel metu nonnunquam cogi ut cedant, praesertim quum Franciscus Rex, ipse quidem humanissimus, parum secundis fortunae flatibus uteretur. Obtestatus sum, ut si suam incolumitatem pro nihilo duceret, vir doctus et bonus, certe se servaret studiis et amicis, quibus intolerabilem excitaret invidiam, si quid secus ac vellemus accidisset. Quaeris quid profecerim? Tot modis deterrens addidi animum.‘

Hactenus Erasmus. Epistolarum, quas ad Berquinum plures scripsit, paucae supersunt.[1] Ex his nonnulla afferam. Berquinus vehementibus litteris iterum eum provocaverat ad causam opera communi capessendam: nunc esse tempus, ut theologis in posterum omnis detraheretur auctoritas; nec defutura magnatum auxilia. Cui rescribit quo fructu sit theologis Sorbonicis responsurus, qui sua non legant, vel in principibus quid spes sit, se nescire; si tantum posset sua responsio, ut nemo posthac crederet judicio theologorum, jam tot mendacia, tot indoctas delirationes, quas Beddae impegerit in os, non approbaturam fuisse sacratissimam Facultatem. Addit haec verba: ‚Pontifex revixit, habet suos Cardinales et potentes et addictos. Dominicani et Franciscani passim incipiunt rem strenue gerere et audio judicibus, qui in te pronunciarunt restitutum jus. Multi moliri te neque quidquam efficere scripsi fateor, sed non absque dolore, mi Berquine. Utinam res suppeditaret aliud orationis genus.‘ Et in subsequenti epistola ita loquitur. ‚Equidem te non possum sic amantem non redamare; sed tuus iste amor, utcunque excusas, me non ferenda gravat invidia. Ostentas litteras meas, quibus tecum in aurem *ῥητὰ καὶ ἄρρητα* communico. Praedicas me non fore mutum. Ista nihil

1) XIX, 871 (a. 1525); XX, 88. 99 (a. 1528).

aliud sunt quam irritamenta crabronum. Faveo tuae fiduciae, sed aut ista te fallet, aut me fallet augurium. Satis odoror ex amicorum litteris, Beddaicos aliquid atrox moliri. Argumento est, quod ille pridem amicus minis eorum[1] conterritus non audet quidquam ad me scribere. Accipio Beddam actu publico honorificam fecisse mentionem primo loco Lutheri, secundo Erasmi, tertio Fabri. Nihil pudet. Sic ornatus incedit et triumphat, quasi mundus non habeat nisi fungos. Audio Fabrum clam subduxisse sese, sed arbitror rumorem esse vanum.'

Berquini exitum in epistola ad quendam ejus amicum, in Italia tunc versantem, ita describit: ,Ludovicus Berquinus proximis ipsius ad me litteris promiserat alias ad te scripturum. Eas litteras ne frustra exspectes, nam decimo Cal. Maias vitam morte commutavit, exustus Lutetiae in Gravia. De causa nihil certi hactenus potui cognoscere. Tantum audivi judicibus duodecim delegatam pronunciandi auctoritatem. Quum instaret dies, hominem fuisse traditum carceri. Pronuntiatum est, ut exustis libellis et abjuratis articulis lingua illi ferro perfoderetur, mox perpetuo carceri dederetur. Is audita praeter exspectationem atroci sententia Regem appellavit et Pontificem. Judices indigne ferentes appellandi verbum: Si non recipis, inquiunt, hanc sententiam, efficiemus, ne posthac quoquam appelles; et postridie pronunciarunt illum flammis tradendum. Ajunt primum articulum fuisse, quod scripsisset in rem esse pietatis, ut sacri libri in linguam vulgarem translati legerentur a populo, id quod Senatus fieri vetuerat. Adhibiti sunt satellites armati sexcenti, qui cohiberent si quid oriretur tumultus. Haec qui retulit, praeterea nihil certi potuit adferre. Montius noster, cujus religiosam nosti fidem, nihil aliud ausus est scribere nisi quod oculis suis cominus vidit. Aderat enim valde vicinus, quum curru veheretur ad supplicii locum. Nec vultu nec ullo corporis gestu dedit ullum animi perturbati specimen. Dixisses illum in museo de studiis, aut in templo de rebus coelestibus cogitare. Ne tum quidem, quum carnifex truculenta voce crimen ac supplicium pronuntiaret, quidquam de vultus constantia mutare visus est. Jussus de curru descendere nihil cunctatus descendit alacriter. Nec erat tale quidquam in eo vel audaciae, vel ferociae, quale in maleficis nonnunquam gignit immanitas. Relucebat in eo mentis sibi bene consciae tranquillitas. Ante mortem verba facit ad populum, sed unde nemo aliquid potuit percipere. Tantus erat satellitum fremitus, quem data opera putant excitatum fuisse. Quum ad palum

1) In editionibus falso legitur ,minis rerum'.

praefocaretur, nullus e turba acclamavit nomen Jesu, quod parricidis etiam ac sacrilegis acclamari solet. Sic omnium animos in eum excitarant, qui nusquam non adsunt et nihil non possunt apud simplices et imperitos. Eat nunc qui volet et Phormiones istos lacessito. Aderat illi Franciscanus quidam, quem adiit Montius rem expiscaturus, num vel moriens agnovisset errorem. Is ajebat agnovisse, asseverans se nihil omnino dubitare, quin anima illius transierit in quietem. At ego Franciscani dictis nihil habeo fidei, praesertim quum hoc sit istis solenne, post exstinctum hominem spargere rumores, quod in incendio cecinerit palinodiam, quo simul et vindicatae religionis laudem auferant et multitudinis invidiam calumniaeque suspicionem effugiant. Nam quum Bruxellae primitias immolassent exustis duobus monachis Augustinensibus,[1] tertio in carcerem reducto et clam interfecto, quum mira constantia mortem oppetiissent, quae res judicibus gravem movebat invidiam, sparserunt ridiculam fabulam, unum ex illis apparuisse cuidam Augustinensi, qui nunciaret animas eorum esse incolumes, quod in extremis resipuissent, videlicet jam in ipso incendio. Idque factum precibus virginis matris. Nam et pridie Visitationis exusti sunt et Nicolaus Carmelita magno studio sacrificium hoc procurarat. Rogatus carnifex ecquam poenitatiae vocem edidissent in rogo, negavit, sed quum ducerentur ad palum clara voce testati sunt se mori christianos, et alligati palo admoto igni canere coeperunt symbolum fidei, mox doxologiam: Te Deum laudamus, donec flamma vocem intercluderet. — Imposuit Berquino sua fiducia, nocuit ingenuitas. Periculum est ne Beddis sua sponte plus satis insanientibus nimium accedat animorum. G a l l o r u m r e l i g i o s a m m e n t e m v e h e m e n t e r a p p r o b a r e m, s i q u a n t u m p r o p e n d e t a d s u p e r s t i t i o n e m, t a n t u m v a l e r e t j u d i c i o s p i r i t u a l i. C e r t e h a c t e n u s s e p r a e s t i t e r u n t R o m a n o P o n t i f i c i f r u g i m a n c i p i a. Digni principibus optimis, qui qualescunque contigerunt, bona fide serviunt. — Tantum habui quod de Berquino scriberem, qui si decessit cum bona conscientia, quod admodum spero, quid eo felicius? Damnari, dissecari, suspendi, exuri, decollari, piis cum impiis sunt communia. Varia sunt hominum judicia. Ille felix qui judice Deo absolvitur.‘

Haec et similia scripsit Erasmus senex anno millesimo quingentesimo vigesimo nono, eodem tempore, quo propter decussum a Basileensibus jugum papale Friburgum Brisgoviense domicilium petiverat.

---

1) Iidem sunt, quos Lutherus immortali carmine Germanico celebravit.

Plura ejusmodi etiam ipse edidit. Ne propter ea quidem Curia Romana ipsum, a Beddaicis vehementissime accusatum, condemnare ausa est. Quid tamen novae cladis a sede illa populis christianis immineret bene vidit. In praesentia nihil melius speravit. Inter comitia Augustae habita ejusdem urbis episcopum, a liberaliori parte stantem, de Fabri periculo Berquinique innocenti morte certiorem facit, de ‚cerebrosis ac capitosis‘, quos vocat, praemonet, addens: ‚Scio tuam sublimitatem extra reptilium morsus esse; nihil tamen est, quod non moliantur illi crabrones, et si credimus apologiis etiam in coelum subvolans scarabaeus ultus est aquilam.‘ Alias Batavum quendam proposito Berquini exemplo a simili pugna retinere studet; sin vero omnino statuerit jacere aleam, prospiciat ut pugnet ex tuto, ne se conjiciat in manum hostium, qui nec vinci possint nec placari. Horum furorem adhuc superstes ad summum illud immanitatis fastigium aspirantem videbat, in quo infernalis aliquid ingenii inesse meliores aequales haud frustra censuerunt. Ab ipsa Romana Curia, jam respirante et reviviscente, istos homines ad atrocissima quaeque facinora, humano et christiano nomine indigna, vel instigatos vel adjutos esse, cum Erasmo ipsa historia, cujus vox nullis sophistarum artibus opprimi aut corrumpi in sempiternum potest, clarissime testatur. Etiam id ille rectissime praevidit, cum aliis principibus humanissimum, quem vocat, Franciscum regem Beddaicis cessurum esse. Cujus praesidio ne venerandus quidem senex, Faber Stapulensis, cui maxime faverat, satis tutus erat. Servavit eum secum ducens Navarrensis regina. Ibi ad extremum senectutis finem perveniens quum de tot amicorum martyriis nuntios audiisset, virum de propaganda evangelica veritate optime meritum saepius poenituit non fortius cum illis eam vindicasse.

Ibidem grato animo salutavit eum Calvinus Lutetia profugus, quem, licet in nonnullis peccaverit et erraverit, magnum tamen et religiosum virum, ignorantia tantum et praejudicii vi multis etiam melioribus hominibus exosum, universa quondam Gallia christiana agnoscet. Hic Basileam postea conversus, eodem anno, quo Erasmus illic mortuus est, nobilissimam immortalis operis, institutionis christianae religionis, praefationem ad Franciscum regem scripsit. Evangelicam doctrinam supra omnem mundi gloriam stare sublimem, supra omnem potestatem invictam ostendit, quia non hominum sit, sed Dei viventis et Christi ejus. Hujus doctrinae propugnatores contra callidissimas impudentissimasque adversariorum omni humanitate exutorum calumnias ac mendacia defendere studet. Quum enim multis piis viris

in Gallia exustis grave passim apud Germanos odium ignes illi excitassent, ejus restinguendi causa ab aulicis artificibus improbi ac mendaces libelli sparsi sunt: non alios tam crudeliter tractari, quam fanaticos anabaptistas ac turbulentos hominos, quales tunc Monasterii perversis deliriis non religionem modo sed totum ordinem politicum convellerant. Haec Calvinus refellit. Queritur Regem tam foedis machinis conniventem sinere, ut tot homines innocui tam sanguinari vi, tam abjecta fraudulentia obruantur; implorat eum, ut placidus compositusque semel illorum causam examinet. ‚Sin vero', inquit, ‚ita aures tuas occupant malevolorum susurri, ut nullus sit reis pro se dicendi locus, importunae vero istae furiae, te connivente, semper vinculis, flagris, equuleis, sectionibus, incendiis saeviunt, hos quidem velut oves mactationi destinatae ad extrema quaeque redigemur: sic tamen ut in patientia nostra possideamus animas nostras et manum Domini fortem exspectemus, quae indubie suo tempore aderit. Dominus rex regum thronum tuum justitia stabiliat et solium tuum aequitate.'

Sed hanc veritatis vocem neque Franciscus Rex neque successores ejus secuti sunt, qua re quantas clades tum domui suae, tum reipublicae et universo populo inflixerint, satis constat. Nihilominus tot fusi sanguinis fluminibus purioris et liberatioris christianismi semina nunquam in Gallia prorsus exstincta sunt. Quod quum inter Hispanos et Italos mox factum esset, tanto tristior nobilissimarum earum gentium condicio per longum temporis spatium exstitit. Quibus vero machinis apud eas papalis ecclesiae unitas sustentata fuerit, historia testis est. Famosissima ubique terrarum Hispanicae Inquisitionis facinora sunt, Italicam illi vix cessisse indicavi. Cujus gloriam quum Romana Curia plane indubitabilem sibi vindicet quale fuerit et quantas res perfecerit atrocissimum illud papalis omnipotentiae machinamentum, paucis in memoriam revocabo.

Caput II.

Germanos nostros, nisi Latinae gentes, inprimis Itali, viam iis aperuissent, ad pleniorem illam, quam ante haec tria secula assequi coeperunt animi culturam et puriorem spiritualis Christianismi cognitionem non perventuros fuisse, nos libenter semper profitebimur. Iam vero nostratibus eodem tempore datum est, ut pro suae indolis dotibus gentibus illis grates referrent. Id enim peregerunt, quum ea, quam dicimus, ratione amissam in ecclesia christianam libertatem et evan-

gelicam veritatem fortiter restituere inciperent. Quod etiam inter Italos multi viri praeclarissimi, et bonarum litterarum et christianae pietatis amantissimi, agnoverunt et laudarunt. Alii oblata bona vel omnem religionem explodentes ridebant, vel ea superstitioso odio viperini veneni instar exhorrescebant. Omnes fere Erasmianorum et Lutheranorum discrimen haud ita multi faciebant. Usitatissima illic semper in memoria inhaesisse videtur verbum hoc: Aut Lutherus erasmizat, aut Erasmus lutherizat.[1] Fortior quidem etiam illic exstitit Lutheri vox, quae, ut jam anno illius seculi vigesimo et uno Mediolanensis quidam poeta cecinit,

— totum penitus diffusa per orbem
Terruit insolito pectora tetra sono,
Pectora, morboso minium malesana veterno,
Cui qui misceret pharmaca nullus erat.[2]

Simul vero etiam apud illam gentem Erasmi scripta ad illustrandum evangelium pertinentia nunquam sua deficiebat vis atque potentia.

Inde ab eo igitur tempore Germanicorum theologorum scripta longe lateque per Italiam sparsa avideque lectitata sunt.[3] Quae nihil nisi horrendae haereseos venenum continere cum Curia Romana imaginabatur, ii omnes non christianae quam ipsi putabant veritatis demonstratione et praedicatione, sed solis strictis gladiis et incensis rogis vinci illa posse uno animo pro certo habebant. Quare si quis forte quod cum Germanis sentiret accusatus fuerat, Pontificii Inquisitores primum carcere eum incluserunt, deinde eum aut persuasione, quam ‚examine rigoroso‘, id est adplicato tormento, adjuvare papae jamdudum concesserant[4], ad revocandam sententiam permovebant, aut, ubi tormenti cruciatu fortior conscientia erat, exurendum curabant. His auxiliis Italos intemeratam Romanocatholicae fidei ac superstitionis unitatem per aliquot secula debuisse constat.

Non mirum est, quod multi, priusquam tormenta apponerentur, barbarae Inquisitorum facundiae cesserunt, ii maxime, quibus, quum Germanis adsentirent, patria potius a sacerdotali tyrannide liberanda quam ipsa religio cordi erat. Namque post Dantem et Petrarcam

1) Lami lezioni I, p. CLXI.
2) Schelhorn amoenitates litterariae tom. II, p. 624.
3) Gerdesii Italia reformata p. 5 ss.
4) Wetzer und Welter, Kirchenlexicon V, p. 649.

multa jam insignia ingenia intellexerant, quantopere status, qui dicebatur, ecclesiasticus, nimirum mundanum regnum, ab illius seculi papis tot belli, conspirationis, perfidiae artibus auctum, patriae salutem impedirent. Quorum plures quum Lutherum etiam Italiae liberatorem fieri posse putarent, per delatores in Sancti Officii manus traditi sunt. Ex his unus exempli instar hic prodeat, Hieronymus Bonagratia Florentinus, medica arte et administranda patria urbe illustris. Qui quum regnante Clemente Mediceo Papa Florentiae Mediceorum partem oppugnasset, in carcere non adplicatis tormentis (id quod diserte asseverandum ei erat) ad subscribendam humilem quandam et puerilem confessionem coactus est ab ipsis Inquisitoribus monachali stilo compositam a viris eruditis recens repertam et editam,[1] cujus initium hoc est: ‚Ego miser et infelix peccator confiteor me deliquisse et offendisse Dominum nostrum Jesum Christum scribens ad fratrem Martinum Lutherum sine licentia superiorum.‘ Promissum erat, ut confessione et revocatione exhibita, irrogata ignis poena in exilium mutaretur, ita tamen ut, si exul intra certos quosdam fines non constitisset, iterum incendium sibi esset contracturus. Inter singulas vero res, propter quas in longa illa confessione poenitentia ei agenda erat, etiam id affert quod dixerit, se effecturum ut veniret Martinus Lutherus.

Ejusdem cogitationes et aliis Italis tunc in mentem venisse, summus vir, Franciscus Guicciardini testis est. Qui in historiis sui temporis idem fere quod Erasmus de Luthero fert judicum. Initia eorum quae perfecerit vel honesta aestimat, vel saltem propter justam datam occasionem excusabilia: postea in oppugnanda Romana ecclesia nimium eum fuisse, sed magnam culpae partem adversariis, inprimis Leoni X., tribuendam esse. De hujus Pontificis et de Clementis VII. virtutibus ac vitiis ex accuratissima notitia (nam eorum gravissimas res ipse administraverat) sine ira et studio judicat, profana et mundana eorum consilia fuisse non dissimulat. Sed eorum, quae de his omnibus scripsit, multa a censoribus deleta multo demum post nova ejusdem operis publicatione restituta sunt.[2] Neque tamen totam mentem suam illic manifestaverat. Id fecit apophthegmatis, quae nuper demum ex chartis ejus edita sunt. Ibi tales fuisse duos illos Pontifices dicit, ut quamvis tolli statum ecclesiasticum semper cupi-

1) Archivio storico Italiano tom. III, 1879, p. 340 ss.

2) Cf. supra p. 98 s.

verit, in eorum amplitudine augenda serio laborare fato quodam compulsus esset. Quod sine dubio ita accipiendum, ut ad resistendum alienarum gentium in Italiam imperium meliorem sibi viam non patuisse fateatur. Tunc memoranda addens verba, ‚Nisi haec', inquit, ‚ratio mihi habenda esset, equidem memetipso magis Martinum Lutherum amarem sperans fore, ut sectatores ejus hanc sceleratam sacerdotum tyrannidem vel tollerent vel saltem resecarent.'[1]

Sed alii inter Italos multi fuerunt, qui non tam civilis ac popularis, quam spiritualis jugi abolitionem a christianismo evangelico, qualis in Germania resurrexerat, exspectabant. Ex his plures initio, cum Erasmo sentientes, quum publicos tumultus evitarent, a furiosis hominibus infestabantur quidem et vexabantur, sed vel propria qua vigebant auctoritate vel potenti aliorum praesidio, quoad vivebant, in ecclesia Romana tolerabantur. Tales praeter alios exstiterunt Jacobus Sadoletus Cardinalis, Antonius Flamininus, Antonius Bracciolus, Franciscus Berni, clarissimus poëta, qui versibus domestica lingua compositis verbum dei exsuscitatum per Germaniam dextre incedere dicit, ita ut jam impia damna detegantur quibus Gallia, Italia, Hispania consopitae jaceant:

> La parola di Dio s'è visentita
> E va con destro piè per l'Alemagna.[2]

Postquam vero inde a Pauli III. temporibus Inquisitioni Romanae novae illae atque horrendae quas diximus vires additae sunt, vix ullus locus ejusmodi viris relictus est. Ne Erasmus quidem ipse in Italia, ubi libri ejus cremabentur, tunc rogum effugisset. Jam plures quam antea viri peregrinas terras, praecipue Germaniam petiverunt. Alii permulti, quum fugere aut nequirent aut nollent, pura ac certa conscientia evangelii martyrium subierunt. Ex horum ingenti numero, ut etiam hic succincta quam damus historiarum epitome vivo exemplo non careat, unum Aonium Palearium, pietate christiana cum singulari bonarum litterarum studio Erasmi simillimum, in memoriam revocandum elegi. Qui et splendidissimo ingenio varia doctrina, sermonis pedestris ac poëtici puritate elegantiaque excelluit, et quavis humana

1) Opere inedite di Francesco Guicciardini tom. I, p. 203 (Ricordi politici e civili CCCXLVI).

2) Versus huc pertinentes, in Italia suppressi, postea a Vergerio Basileae publicati sunt, nuper repetiti a Panizzi Londini 1830. Cf. Young Aonio Paleario II, p. 392.

virtute atque in explicandis veterum scriptis sollertia optimis aequalibus, praecipue Mediolanensium civitati, admodum se probavit. Haec omnia etiam vir inter Jesuitas quondam illustris, Lazeri nomine, qui Palearii scripta quaedam Latina et Thusca primus edidit deque vitae ejus temporibus sagaciter disputavit, plenissime concedit. Nihilominus de Palearii supplicio admodum frigide, immo horribili animi perversitate judicat. Itaque ipse mirum eorum virorum eruditorum exemplum est, qui apud Italos, jam grassantibus illic Voltarii scriptis, Erasmici ingenii reliquias supprimere studebant.[1]

Quinque Palearii distinguit vitae partes, quos actus nominat. Itaque fabulam effingit, cujus tragica catastrophe, lectorem inopinata obruens, antea ne divinari quidem potest, quasi secundum Horatianum dictum formosa superne humana forma in monstrum desinat. Postquam enim prioribus quatuor commentationis partibus nihil nisi honorificentissime de Palearii eruditione et moribus locutus est, quintam subito his incipit verbis: ‚Restat postremus ejusdem vitae actus, isque ut in tragoediis esse solet, acerbus ac luctuosus. Mediolani quum esset et commisso sibi munere strenue fungeretur, etsi aetate confectus et infirmissima valetudine, Romam venire jussus est, ut causam diceret violatae religionis.‘ Exspectaveris non minus sagacem callidumque quam elegantem scriptorem ita fere dicere perrecturum fuisse: ‚Durius quam quod nunc probemus judicium latum est, supplicium sumptum de tanto ac tali viro, sene venerabili, propter errores, quos Pontifices non potuerunt quidem non improbare, quos vero in Erasmo et Sadoleto non tanti fecerant, ut propterea summos iis honores offerre nefas habuissent. Excusandus aliquatenus tamen Pontifex est sincere pius, ex Inquisitoris munere ad sedem Romanam vocatus, quod medii aevi ingenio imbutus ecclesiam catholicam, nisi heterodoxis violenter oppressis, servari nullo modo posse crediderit.‘ Talia fere, ajo, exspectaveris Jesuitam illum locuturum fuisse. Verum contraria dicit. Pium V., multo post ab ecclesia, scilicet a Curia Romana sanctum proclamatum et fidelium invocationi propositum, omnes res suas optime egisse et Palearium quoque jure strangulasse et cremasse pro certo affirmare non dubitat. Deinde vero quasi se ipsum excusaturus, quod tam exosi haeretici scripta cum laudare tum nonnulla edere ausus sit, a lectore veniam petit quaedam illius verba suo opusculo inserendi.

1) (Lazeri) Miscellanea ex bibliotheca collegii Rom. soc. Jesu tom. II, p. 115—186 (Romae 1757).

Quae mihi quoque hoc loco exscribere liceat. ,Et omnino, si a Deo sunt omnia, a quo non tantum mentem et bonum ingenium dari, sed vitam quam vivimus et spiritum quem ducimus nobis impertiri videmus, cur nos tam injuste avari simus aut tam odiose invidi, ut studiosis bonarum artium, qui Deo sunt acceptissimi, 'non concedamus ea, qüae si edantur nobis gloriae esse et alliis prodesse possunt, obesse certe nemini?' His igitur piissimis ipsius Aonii verbis allatis Lazerius commentationis, quam de eo scripsit, finem facit. Quae omnia si quis sana mente consideraverit, attonitum eum redditura puto, utpote qui in ejusmodi Jesuitae anima juxta communem sensum, bonis litteris educatum, quasi locum quendam torpore pharisaico obductum et ab omni humano sensu alienum conspexerit. Ejusmodi homines suo tempore Voltario, Jesuitarum alumno, ejusque sodalibus ipsam christianam religionem suspectam atque invisam reddidere. Detestabiles fructus ejusdem horrendi spiritus, quem ab illis quasi vere christianum acerrime defendi videbant, in Calasianae familiae aliorumque fatis ob omnium aequalium oculos versabantur. Ceterum, quod ad artem pertinet, qua Lojolae discipuli nobilia ac perversissima permiscebant, non male ipse Voltarius summus omnium scriptorum Jesuiticorum dux vocatus est.[1] — Sed ab hac digressione, neque longinqua, ut opinor, neque inutili, ad propositum meum redeo.

In Pio V. id atrocissimum esse a summo scriptore notatum est, quod Inquisitores etiam causas ante decem vel viginti annos dimissas resumere atque repetere jusserit.[2] Sic Palearius quoque sui seculi anno LXVIII Mediolani earundem rerum iterum accusatus est, quarum plus viginti ante annis Senae absolutus fuerat. Accusaverant eum illic bini monachi, cum plurimis fratribus suis haud optima apud Senenses fama insignes, sed freti sacrosanctae Inquisitionis auxilio, quae tunc sub profanissimo papa Paulo III. per Caraffam novis legibus stabilita recenti furore rem suam agere coeperat. Hanc acriter reprehendere ausus Palearius orationem pro se ipso scripserat et typis expressam ediderat. Plenissime victor evasit, applaudentibus piissimis eruditissimisque viris, inprimis Sadoleto Cardinali, qui jam et ipse Inquisitoribus suspectus fuerat. Neque inde Paleario mala nota adhaesisse videtur. Nam honorificentissime ad bonarum litterarum

1) Le général de tous nos auteurs — Jésuites. Hamann's Werke IV, 205. Cf. quae supra dicta sunt I, p. 4.

2) Ranke, Gesch. der Päbste 6. ed., I, 233.

magisterium primum Lucam evocatus est, deinde Mediolanum; quae urbs quum in Hispanorum potestate esset, ipsius Philippi II. regis diplomate sublevatus munus illic capessivit. Neque postea delatores alia magis ei objecerunt, quam quae plus viginti ante annis Senae scripserat. Ex his igitur nobis quoque ea proferenda sunt, quae mutatis temporibus carceris et mortis causa ei fuerunt.

Senensium civitas, ut multae tunc Italiae urbes, factionibus vexata erat. Haud multo ante Palearius amicissimum sibi Bellantem, spectatissimum virum, publice defenderat.[1] Qua re multorum odium sibi contraxerat, inprimis duorum monachorum, qui magnam Bellantis pecuniam, in matris ejus domum se intrudentes, abstulerant. Itaque quum jam ab iis haereseos accusatus esset, in oratione pro se ipso haec de iis coram civibus omnibus praedicare potuit: ‚Quid de Pansa et Ciano dicam, furacissimis hominibus? qui superiore anno a me in judicium adducti ob helluatam pecuniam, quasi talione mecum agere voluerant. Indignum facinus duo monstra religionis vagari tam libere in civitate, at exhauriant domos et furentur impune. Horum quum ego nomina detulissem susceptas mihi sensi inimicitias cum ceteris cucullatis, qui veluti sues uno laeso gregatim ingruunt universi. Actionis libellum, testium tabulas, subscriptorum chirographa produximus, ut levitatem accusatorum, testium improbitatem, subscriptorum impudentiam cognoscere possitis: a quibus accusatio non pro religione, sed religio pro accusatione suscepta est.‘ Similia Erasmus cum multis aliis de conspicua ubivis plurimorum monachorum pravitate impune saepius locutus erat. Neque Paleario ea, quae de Pharisaeis istis severe quidem, sed religiose palam protulerat, apud Senenses detrimento erant. Viginti sex annis post ejusmodi testimoniis, licet verissima fuerint, ipsa ecclesia letaliter laesa esse Inquisitoribus visa est.

Quod ad ipsum haereseos argumentum pertinet, ex Palearii epistola locum afferam, ad illustrandam rem idoneum. Alium illic accusatorem nominat, cujus mentio fit etiam in oratione. Ita scribit Bellanti filio: ‚In quam hominum inscitiam inciderim, nolo te ignorare. Cotta asserebat, me salvo vestigium religionis in civitate reliquum esse nullum, quod aliquando rogatus, quid primum esset generi hominum a Deo datum, in quo salutem collocare mortales possent? responderim: Christum; quid secundum? Christum; quid tertium? Christum.

1) Cf. Aon. Pal. opp. ed. Amstel. p. 46 Oratio pro Bellante.

Tu vide jam, in quae tempora inciderimus. Nemo est inventus, qui ausus sit in causa tam bona se patronum praestare. Francisconius aderat, sed noluit in odia tam acerba incurrere. Manus conjuratorum permagna est, plebs accensa: ut quisque in nos acerbissime crudelissimeque loquitur, ita quam maxime pius habetur.'[1]

Ex oratione videmus, accusatores nisos esse libello quodam, quem Italico sermone scripserat. Hic vix dubitari potest quin idem sit ac tractatus ille celeberrimus titulo insignitus ,de beneficio Jesu Christi crucifixi erga Christianos.'[2] Qui sine nomine auctoris ingenti exemplarium numero per Italiam divulgatus, a Marono et Polo Cardinalibus propter suavitatem et utilitatem summopere celebratus, ab Antonio Flaminino contra calumniatores defensus, postea sub Paulo IV. papa ab Inquisitoribus tanta sollertia igni traditus est, ut ne unum quidem exemplar superesse videretur, id quod Ranke et Macauley memoratu dignissimum esse censuerunt. Nuper vero vir eruditissimus Babington libellum ex exemplari, quod Italus quidam Cantabrigiensi bibliothecae dono quondam dederat, denuo publicavit.

De eodem igitur scripto Palearius in oratione sua haec dicit: ,Sunt homines acerbi, duri, criminosi, apud quos ne parens quidem et Deus salutis nostrae Christus, omnium gentium, omnium populorum Rex, omni ex parte laudari potest: cujus ex morte quanta commoda[3] allata sint humano generi, quum hoc ipso anno Thusce scripsissem, objectum fuit in accusatione. Quid hoc indignius dici aut excogitari potest? Ajebam ego, ab eo, in quo divinitas inesset, vita cum sanguine pro salute nostra tam amanter profusa, nihil nos debere de coelestium voluntate dubitare, omnia nobis tranquilla ac quieta posse polliceri: affirmabam ex monumentis antiquissimis et certissimis, finem malorum esse factum, notam omnem deletam iis, qui animo in Christum crucifixum conversi, ejus fidei se permitterent, acquiescerent promissis, spe pleni haererent in uno, qui fallere nescit opinionem.'

---

1) Opp. p. 470 s.

2) Assentior hac in re viro doctissimo Young (Aonio Paleario I, 324). Cf. etiam nota nostra infra apposita.

3) Haec latine circumscribunt libelli titulum Italicum ,del beneficio di Giesu Christo crocifisso verso i christiani' — Congruunt plane cum libelli argumento quae sequuntur. Quare nisi Palearius tractatus illius auctor esset, alium scripsisset ejusdem prorsus similem eodem tempore, quo ille primum Venetiis editus est (a. 1542). Quod veri simile non est.

Sed propter ejusmodi verba, apostolicae doctrinae puritatem, simplicitatem, fervorem spirantia, sentiendi cum Germanis accusatus est. Magis sine dubio quam accusatoris patriam amavit. Inprimis etiam Romam tanquam hospitium omnium gentium, conciliatricem populorum, lucem orbis terrarum extollit. Simul vero universam christianam rempublicam aeque atque Erasmus sincero amore amplectitur. Propter Christianorum discordiam Turcas longius semper progressos esse, cum illo deplorat, queritur amissam Rhodum insulam fidelissimam atque munitissimam. Ubi audiat apud Gallos vel Germanos litteras florere, se cupidine flagrare illuc evolandi ait; nullas sibi cum ulla gente inimicitias intercedere, nihil ad veritatem interesse, cujas quisque sit. In Germanis quaedam se probare, quaedam non probare. Non modo laudare se (ut alia praetereat), sed etiam gratias iis agendas esse putare, quod divina studia, strata in cellulis hominum otiosorum, erexerint Chaldaicis, Graecis, Latinis bibliothecis restitutis, typis pulcherrime adinventis, theologis perhonorifice stipendiis decretis. ‚Quae res clarior? quae gloriosior? quae commendatior esse potest memoriae hominum sempiternae? Secutae interim discordiae civiles, intestina bella, populorum motus, seditiones et mala cetera: quae cum multis mihi quidem ob caritatem fraternumque animum in Christianos saepe incredibilem dolorem attulerunt. Quis illa non laudet? haec non improbet? Est hic bonorum omnium communis sensus.‘

Quod vero Cotta adversarius cum Germanis eum sentire dixerat, ad id haec respondet: ‚An putas, omnes Germanos veluti in eundem fasciculum alligatos? Si sentire me cum Germanis theologis vis dicere, istuc quoque perplexum est. Nimirum in Germania theologi nobilissimi sunt multi, neque vero est provincia altera, in qua tam variae et in omnem partem sententiae diffusae sunt. Quare quum dicis me cum Germanis sentire, nihil prope dicis. At tua maledicta quum plenissima sint omnium ineptiarum, habent tamen aculeum et, quia a te profecta sunt, venenum aspersum. Germanos vocas Oecolampadium, Roterodamum, Melanchthonem, Lutherum, Pomeranum, Bucerum et ceteros qui in suspicionem vocati sunt? Ego vero ex theologis tam stupidum arbitror esse neminem, qui non intelligat et fateatur, permulta esse in his, quae ab illis scripta sunt, digna prorsus omni laude; sunt enim graviter, accurate et sincere scripta, repetita vel ex patribus illis primis, qui praecepta nobis salutaria reliquerunt, vel ex commentationibus Graecorum et nostrorum hominum, Origenis, Chrysostomi, Cyrilli, Irenaei, Hilarii, Augustini, Hieronymi. An si illi

2*

sanctissimos viros sequuntur, mihi eosdem sequi non licet? Tune me in eorum ineptias abire vis, qui omnia aeque Germanorum bene dicta, male dicta oppugnant, ut assententur iis, a quibus magna praemia exspectant?'

Favebat scilicet Romana Curia quoquo modo iis, qui immanibus atque sanguinariis Inquisitoribus delatores et adjutores se praebebant, qua re similiter, ac Tiberii quondam ac Nerones, vulgi animos corrumpebat. Quid dicam? pejus corrumpebat docens, qui fratrum vel necessariorum nomina deferrent, eos Deo servire. Hanc pestem eo ipso tempore ingravescentem Palearius describit, medicinam a solo concilio universali ac libero exspectari posse, cum nobilissimis multis aequalibus judicat. Quare post verba supra posita, quibus libelli sui argumentum, nimirum Christi unicum honorem ac beneficium in nos collatum sensu mere apostolico breviter exposuit, ita loqui pergit: ,Haec ita amara, detestabilia, exsecranda sunt visa duodecim illis, non dico hominibus, sed feris immanissimis, ut scriptorem in ignem deturbandum censerent: quae poena si mihi subeunda est pro testimonio dicto, quoniam testimonium existimari illud volo potius quam libellum, nihil est me beatius. Neque enim puto christianum esse hoc tempore in lectulo mori. Parum est accusari et deduci in carcerem: virgis caedi, reste suspendi, insui in culleum, feris objici, ad ignem torreri nos decet, si his suppliciis veritas in lucem est proferenda. Quod nisi indicto concilio spes bonis injecta esset, negotium felix ac salutare a Pontificibus, a Caesare, a Regibus una susceptum iri, ut magnis concursibus omnium gentium, omnium nationum celeberrimi conventus peragantur, desperaremus omnino tantarum perturbationum finem ullum unquam futurum: desperaremus posse fieri, ut sica illa, districta in omnes scriptores, de manibus eorum extorqueatur, qui vel levissimis de causis crudelissime ferire didicerunt: a quibus appetitus fuit aliquando vir omnium sanctissimus et integerrimus, Sadoletus meus, qua re nihil multis annis sol vidit indignius.'

Quod ad Sadoletum pertinet, pharisaicae factioni et idem, ut qui cum Germanis sentiret, exosus erat. Erasmi consuetudine usque ad mortem ejus usus fuerat; Melanchthoni dilectissimo tanquam fratri scripserat, se et illi et Johanni Sturmio et Bucero impense favere palam declaraverat.[1] Hunc Paulus III. servavit. Qui vero eidem

1) Cf. Seckendorf l. c. I, p. 43 s. Epistolae a. 1536 datae inscriptio erat: ,Dilectissimo tanquam fratri Philippo Melanchthoni sacrarum litterarum

Pontifici fuerat a sacris confessionibus, Bernardinus Occhino sive Ocellus Senensis, Capucinorum Ordinis Generalis, vir propter piae vitae severitatem et praeclaram facundiam per totam Italiam celebratus, quum de beneficio Christi cum Paleario sentiret et loqueretur, strictam contra eum Inquisitionis sicam relicta Italia aufugerat. Quod quum animis hominum inprimis Senensium ingentem stuporem incussisset, Palearius de ea re in oratione sua sic locutus est:

‚Horum, horum vulgarium et imperitorum hominum opera Bernardinus Ocellus, vir dura illa atque horrida vita, admirabili illa abstinentia, istis ipsis diebus accusatus, quod vos non valde erectos videret ad se defendendum et sustentandum, de fuga consilium cepit; nunc civis vester Italia omni (quod magno cum dolore dico) expulsus et ejectus, in remotissimis ab Etruria nostra locis vagatur solus et peregrinus. Quae littora, quae sylvae, quae oppida fortunata non sunt, quae ille attigerit? Vultus vestri me invitant, ut haec cum lacrymis dicam cogarque ipse mecum cogitare, quantum eloquentiae amiserit Etruria, quantum solatii Italia, in cujus urbibus florentissimis et celeberrimis, magno plausu, concursu ingenti populorum, summa admiratione colebatur hujus viri incredibilis quaedam et divina virtus. Non committam, ut diutius vos angam querelis: hoc tantum dico, a vulgaribus et imperitis hominibus illatum fuisse vulnus Ocello vestro, qui et mihi plagam inflixerunt.‘

Haec omnia fere, quae supra excerpsimus ex praeclarissima Palearii oratione, et idem Laderchius in Annalium Baroniensium supplementis excerpsit, ut scilicet lectoribus suis persuaderet, quanto jure piissimus Papa, Pius V., pertinacissimum haereticum comburendum postea curasset. Quod cur viginti sex ante annis nondum factum esset suo quidem jure Laderchius miratus est. Sed factio illa, quam post tempestatem Lutheranam paulatim respirare Erasmus plus decem annis ante dixerat cujusque fortissimi propugnatores Jesuitae recens emerserant, nondum id virium recuperaverat, ut tot evangelici Christianismi assertores, in ipsa ecclesia Romana summis honoribus fruentes, radicitus omnes exstirpare statim audiret. Paulus III. non religionis, sed mundanae potentiae studio ductus Caraffam acuendae Inquisitioni praefecerat; viros quosdam Sadoleti similes infestari noluit neque eos, quominus alios sui similes sospitarent, impedivit. Itaque ipse Sado-

---

professori‘, quae verba exhibet exemplum in Cizensi bibliotheca servatum. Sturmio Sadoletus amicissime scripsit a. 1539.

letus, legatus ab illo ad Regem Galliae missus, quum in itinere Senae commoraretur, Palearium illic a mortis periculo liberavit. Cui etiam quatuor annis post haud exiguo adjumento fuit. Quum enim Lucam ad docendas litteras evocatus esset, Sadoletus una cum Petro Bembo illum, episcopo Lucensi, Cardinali Vidacionio, magnopere commendavit. Idem in epistola, quam simul ipsi Paleario scripsit, ejusdem orationem summis extollit laudibus, ne minimum quidem vituperium adjiciens. Ex qua epistola deprompta quaedam huic loco inseram.

,Ex iis litteris, quas ego et collega meus ad Cardinalem Vidacionium dedimus, intellegere potes quantum te amemus quantique faciamus; neque enim majore pietate testimonium dare potuimus probitatis, ingenii, animi studiorumque tuorum. Maluisset Bembus istas ipsas litteras scribi ad Senatum populumque Lucensem; quod mihi quoque perplacuisset, si istorum hominum ingenia, mores voluntatesque cognosceremus. Optamus tibi salutares esse litteras nostras. Quae quum ad te perlatae fuerint, si Vidacionius Luca discesserit, tuum est curare ut aperiantur et recitentur in Senatu, ut qui tibi sunt infensiores intellegant, se pusillorum et malevolorum obtrectationibus, nullis satis justis de causis, fuisse commotos. — Scripsisti orationem pro te ipso inprimis ornatam et gravem, numeris quidem omnibus absolutam: in qua tu mihi tonare et fulgurare videris, neque id assentatorie. Causa nulla est, cur pudentissimo viro et mihi amicissimo mentiar: verissime tecum ago. Quum tua lego, sic afficior, ut inflammer et impetu quodam rapiar vehementis orationis: quae veluti amentata hasta, magnis viribus contorta, fertur et varietate numerorum incredibiles motus ciet. — Quod scribis te vereri ne quem offendas, quod, quum miserabiliores epilogos velles elicere apud patres conscriptos reipublicae Lucensis, ad quos oratio est, mentionem Bernardini Ocelli feceris desiderii plenam: nihil est quod metuas; sunt enim omnia abs te accurate et prudenter scripta. Si tu, quum scriberes istam orationem eadem vel sperasti, vel desiderasti, quae omnes, qui popularem illam Ocelli eloquentiam norant, quis te reprehendat?' Deinde Sadoletus caute ad Inquisitionem respicit et ad magnas perturbationes saepe ab iis profectas, qui nec clementia, nec aequitate, nec consuetudine majorum propria de scriptoribus judicent. Addit haec: ,Ego te meo et Bembi nomine non modo hortor, sed rogo, audi homines tui amantissimos: quoniam in ea tempora incidimus, quibus non quid sentias, sed quid calumnientur quidam, maxime

observent: ut ii scriptionibus te exerceas, quibus incitetur non impediatur cursus ille nobis non ignotus animi tui.'

Sadoletus anno post mortuus est. Quidam ejusdem animi atque autoritatis viri per viginti posthac annos in Italia vigebant. Tunc paucos superstites Pius V., initio statim pontificatus,[1] cum ingenti aliorum numero, quibus illi praesidio eousque ex parte fuerant, comburi jussit. Ex quibus omnium instar unum Petrum Carnesechium nominabo, patricium Florentinum, Italiae decus cum familiari suo. Flaminino libelli de beneficio Christi amantissimum. Qui, Clementis VII. quondam Protonotarius, avitissima cum Mediceis necessitudine conjunctus, Inquisitorum manibus primum a Paulo III., deinde a Pio IV. ereptus est. Exitum ejus Thuani, ecclesiae Romanae addicti, sed scriptoris probissimi, verbis narrabo: ,Pius V. Magistrum Palatii Florentiam misit, qui Petrum Carnesechium dedi postularet. Is vero quum Pontificis litteras Cosmo Duci porrexit, Petrum Cosmi ipsius mensae adsidentem invenit. Verum Cosmus, qui gratiam Pontificis obvio obsequio et quavis alia ratione demereri in animum induxisset, neglecto amici periculo, eum sine ulla cunctatione tradidit, qui Romam perductus, accusante eum Achille Statio, Lusitano, homine non illitterato, sed prostitutae fidei, qui Carnesechio ab epistolis fuerat, convictusque, quod cum Sectariis in Germania et in Italia cum Victoria Columna, Marchionis Piscarii vidua, et Julia Gonzaga, lectissimis feminis, de pravitate sectaria suspectis, amicitiam coluisset, tandem ad ignem damnatus est.' Laderchius condemnatas illius sententias, XXXVII articulis comprehensas, enumerat, omnes cum spirituali Erasmi et Sadoleti catholicismo congruas. Idem tradit, Cosmum Papae dicto audientem ,memorandum verbum' adjecisse, ,si ille Principem suum filium propter ejusmodi causam sibi tradi voluisset, se in vinculis eum traditurum fuisse.' Quare de Cosmi optima mente (ceteroquin historia teste perfidissimi hominis) Pium ,ingentem voluntatem cepisse litterasque omni officio refertas ad eum scribi jussisse; si alii Principes in hac parte ei similes essent, fore ut religionis res in posterum secundiore cursu succederent? Totam epistolam publici juris facit. Sic et suum et istorum Pharisaicum animum, omnis veritatis et probitatis osorem, ipse prodit.

Carnesechium inter multos alios et Palearius, jam omni humano auxilio destitutus, martyrio mox secutus est. De cujus suppliciis ac

1) Cf. Thuanus, hist. sui temp. XXXIX, 2.

morte haud multo plura, quam supra memoravimus, scire hucusque licet. Mediolano in vinculis Romam adductus venerabilis senex per biennium carcere inclusus, anno MDLXX mensis Julii die tertio in ponte reste suspensus, postea crematus est: cineres pro more super flumen dispersi. Amicorum et admiratorum nullus Romae superfuisse videtur, qui vel ad tanti viri finem spectandum accedere vel spectata referre ausus esset. Absentes multi, qui summi eum fecerant, ut Camerarius noster, crudeli supplicio eum affectum resciverunt, nihil fere amplius. De ipsa mortis causa scriptorum Romanocatholicorum variae sententiae erant quippe alii crematum eum esse dixerunt, quod sanctam haereticorum Inquisitionem ‚sicam adversus omnes viros eruditos strictam' vocasset, alii quod cum Germanis sensisset. Ne anni quidem, quo occisus erat, certa apud posteros memoria mansisse videbatur. Quare suo jure Graevius in praefatione, quam ad illius opera Amstelodami edita scripsit, tam terribile esse Inquisitionis tribunal judicavit, ut istic damnati uno eodemque numero haberentur cum iis qui nunquam nati fuerunt, et simul cum corpore dederetur funditus omnis eorum memoria. Quod moleste ferens Laderchius ex Inquisitionis actis nonnulla caute, ut sibi quidem videbatur vulganda elegit, sed pro stupiditate sua, eruditis viris satis superque nota, de tribunalis illius saevitate plus quam volebat prodidit. Corrigit eos, qui viventem Palearium combustum esse tradiderant. Si qui haeretici non resipiscentes ante combustionem occidantur, singulari id misericordiae tribuendum esse, qua ecclesia libentissime utatur ob quamlibet honestam causam. Talem in Carnesechio familiae ingenuitatem esse potuisse adnotat; qualis in Paleario esse potuerit ignorare videtur: Ceterum in priore tomo idem scriptor non minus pudore quam judicio carens, Thuanum increpans contenderat ob hujusmodi causas fidei Romanam ecclesiam nunquam statuisse ut homines viventes comburerentur. Supplicii annum et diem et ipse falso indicat. Haec postea vir aliquis eruditus,[1] adnotata invenit apud fraternitatem quandam Romanam, quae catalogum tenet omnium capite multatorum. Ibi iis, quae ad Palearium spectant, duae ejusdem epistolae adjectae sunt, quas die supplicii alteram ad uxorem, alteram ad filios scripsit, christiano martyre dignas, bonae conscientiae et exspectandae aeternae salutis hilaritatem testantes. Quod scribendi copiam morituro fecerunt, in eo monachalis misericordiae aliquid conspicuum est; quae num eo pro-

1) Annales XXIII, p. 000. Cf. Schelhorn, amoenit. II, 206.

cesserit, ut uxori et filiis litteras illas dederint, jure dubitatur. Non deest in catalogo monachale mendacium, jamdudum teste Erasmo usitatissimum, quasi moriturus ille propter haeresin poenitentiam egisset et ,ut sibi ignosceretur a Deo ejusque gloriosa matre Maria virgine et tota aula coelesti contritus petiisset.'[1] Quod jam epistolis illis refellitur. Etiam Lazerius Jesuita prudentior est quam ut ejusmodi nugas credat. Laderchius fortasse in ecclesiae honorem credidisset. Qui quid de magni piique viri meritis, ut putat, suppliciis judicet jam recensebimus.

Primum orationis illius locos, quos et nos supra posuimus, exscribit. Inter haereticos Germanicos, quibuscum eum sentire demonstratum sit, etiam Erasmum nominat. ,Cum Roterodamo', inquit, ,irridet nostrorum theologorum studia, immo divinas litteras eorum culpa abjectas dejectasque fatetur.' Denique in actis Inquisitionis quatuor capita se legisse dicit, quae ,illum haereticum omnique animadversione plectendum hominem perhibeant: 1) Negabat esse ac reperiri Purgatorium. 2) Morem improbabat, mortuos in ecclesiis sepeliendi, alioque hujusmodi mortuorum foetorem rejiciendum affirmabat. 3) Contemnebat maleque sentiebat de statu et habitu monachorum eos comparando sacerdotibus Martis, qui ferebant ancilia per Urbem, canentes et tripudiantes. 4) Videbatur attribuere justificationem soli fiduciae in divina misericordia, remittente peccata per Christum.'

Quod contra morem mortuos in ecclesiis sepeliendi dictum est, vix nunc aliquis horrendam haeresin esse contendet. Quod vero ad ceteras sententias controversas pertinet, etiam catholici dogmatis propugnator aliquis vere pius atque eruditus, licet Aonium in eo rejiciendo errasse putet, vix tamen nunc negaverit, cum eodem dogmate in Romanis Inquisitoribus non aliter quam in Laderchio superstitiones quasdam conjunctas et quasi complexas fuisse, quas ille tam recte quam eam, quae ad sepeliendos mortuos spectat, oppugnaverit, neque ejusmodi theologos pro scholastica sua jejunitate atque rigiditate aptos fuisse, qui religiose christianeque cum talibus viris, qualis ille erat, agerent eorumque errores, si qui erant, recte refutarent. Hi enim viri cum Erasmo nova quadam disserendi methodo utebantur, cum historiae ac vitae rationibus magis congrua, quam postea etiam meliores quidam Romanocatholicae ecclesiae theologos magis magisque sibi

1) Lazeri l. c. p. 184 ,a Dio e alla sua gloriosa Madre V. M. e a tutta la Corte del Cielo.'

accommodasse videmus. A rerum notionibus notionumque vocabulis, quibus etiam summorum scholasticorum sagacitas nimis interdum inhaeserat, ad ipsas res et ad intima quasi animi penetralia progredi studuerunt. Hujus discriminis sibi conscius Palearius in oratione pro se ipso, adversarium ita allocutus quondam fuerat: ‚Veritatis lucem, testimonii religionem, Deum ipsum revereri debebas. Tu me accusas de re, quae nisi multa disputatione, sine firmissimis asseverationibus cognosci non potest? Difficillima una omnium est dijudicatio, in qua non verba ipsa, sed animi sensum perpendimus. Etenim si voces eaedem nunc in bonam, nunc in malam partem accipi possunt et propterea difficultatem afferunt, quid putas de animi sensu? quem unum ex rebus omnibus cognitu difficillimum esse, omnes sapientes dixerunt. Verba ipsa aut audis, aut scripta vides: animum nec vides nec audis. In nulla autem facultate fit frequentius quam in theologia, ut non quid vox sonet, sed quid scriptoris mens significet, attendamus. Nam divina animo potius quam verbis complectimur, et patres qui ea scriqsere, non verborum delectum, sed haustus quosdam e sempiternis illis mentibus constat fuisse secutos. Itaque difficillima omnium dijudicatio est de theologia.‘

Talia verba Sadoletus cum multis amicis intellexit et probavit. Mutatis temporibus Inquisitores stultissima illa esse totamque Palearii orationem infandum flagitium judicaverunt. Hanc tantam rerum mutationem Lazerius optime perspexit sed astute tacuit. Etiam in iis quae de Sadoleto satis magnifice scripsit, quinam ejus erga theologos evangelicos animus fuerit mirum in modum silentio praetermittit, quod a Germano quodam erudito statim adnotatum est.[1] Pii V. saevitatem virtutem nominare non erubescit; addit tamen, ‚summopere eam illis periculosissimis temporibus necessariam fuisse, vel, ut alius quidam dixerit ab assentatione in Pontifices alienissimus, rem fuisse opportunissimam eo tempore, ut in hujusmodi homines animadverteretur.‘ Quod paene ironice dictum putaveris.

Paulo ante Laderchius Pii saevitiam summae virtutis instar celebrans nihil ejusmodi addendum necesse esse opinatus fuerat. Pro inculto suo atque rustico ingenio monachali simpliciter statuit, singulari mortis genere Palearium ‚filium illum Belial interimendum fuisse, quum appareat obstinato animo ac pervicacissima mente nulla vi ac studio ab errorum tenebris ad veritatis lumen revocari eum potuisse.‘

1) Cf. Lazeri misc. I, p. 257 ss. Göttinger Anzeigen a. 1756 p. 1168.

Quod secundum acta, quae inspexit, Inquisitionis ad luminosam veritatem papalem inculcandam etiam vim frustra adhibitam esse testatur, vix dubitari potest quin ita accipiendum sit, ut nobilissimum senem in tormenta datum esse legerit, quod in ejusmodi causis ex lege fieri solitum esse constat.[1] Certo scriptor noster haeretici tam insanabilis nullam poenam satis crudelem esse posse censet. ‚Merito', inquit, ‚igni interimendus fuit, aeterno igni post momentaneum et temporalem perpetuo mancipandus.' Tunc pergit narrare: ‚In alios praeterea inferioris notae haereticos animadverti hoc ipso anno Pium curasse ea comprobant quae ad Honoratum de Sabaudia scripsisse eum reperimus.' Quae nos carnificinae commonefaciunt, qua Curia Romana ad obtinendum imperium suum illis temporibus non minus inter simplicis plebis Christianos quam inter viros ingenio atque eruditione eminentes saeviebat.[2]

De Laderchio vero deque multis ejus similibus, qui Inquisitionem laudantes vel excusantes crucifigunt Dominum, speremus dici posse crucifixi verbum: Non sciunt quid faciant. Tanto sane furore ille scribens abripitur, ut nesciat se suam caecitatem palam facere, quam ad probandum coecum, quem somniat, Palearii furorem mitissima quaedam atque christianissima ejus verba ex secretis eousque actis proferat, nimirum verba haec, quibus judices suos quondam adlocutus est: ‚Si vos habetis tot testes idoneos contra me, nihil est, quod vobis et mihi molestiam diuturniorem afferatis. Mihi certum est sequi consilium Beati Petri dicentis: Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui quum malediceretur non maledicebat, quum pateretur non comminabatur, tradebat autem se judicanti juste. Judicate igitur et condemnate Aonium et satisfiat obtrectatoribus meis et officio vestro.' De quibus verbis jam Laderchii aequalis quidam Germanus, de Aonii memoria optime meritus, recte judicavit dicens, neminem in iis furoris cujusdam vestigia observaturum esse, nisi ipsum irae atque odii oestro percitum; dari iis potius occasionem nobis exclamandi: Hic est patientia fidesque sanctorum![3] Sic grandiore et sanctiore sensu in Christi confessore ea impleta sunt atque implebuntur, quae de vivente adhuc florente litterarum cultore carissimus amicus Franciscus Spinula, insigne ejus ingenium admirans, his quondam versibus vaticinatus erat:

1) M'Crie, Reformation in Italy, 2. ed. p. 304. 348 etc.

2) Cf. M'Crie l. c. p. 300 ss.

3) Schelhorn, amoenitates historiae eccles. I, 442. Apoc. 13, 10.

Non fera perpetuos tibi mors subducet honores,
Semper enim venies major in ora virûm.[1]

Haec hactenus. Ex magna quasi nube testium veritatis evangelicae singulos Francogallos et Italos evocavimus, ut quanam ratione inter gentes Romanicas renascens purior doctrina evangelica oppressa sit, vivis exemplis illustretur. Quibus similia et permulta et praeclara praebet Hispania.[2] Sed ex iis separatim quidquam huc adjungere necesse non esse visum est. Sancta haereticorum Inquisitio in Hispania actus fidei, qui horrendo pharisaismo dicuntur, publice perficiens cum theatrali pompa incedit. Regum arbitrio aliquatenus servit, ipsius nationis animum effascinat. Verum sine Curia Romana neque orta esset neque durasset; ingenium, subsidia, eventus ejusdem generis sunt atque in Italia. Multi illic de fide evangelica idem testantur, quod Ludovicus a Parama his verbis expressit: ‚Ista religio, nisi magna cura Inquisitores obstitissent, haud dubie vehementis instar flammae tota pervagata fuisset Hispaniam; populus enim omnis loci, sexus, ordinis et dignitatis mirifico in eam ferebatur amore ac studio.'[3] Id quadrat in ea, quae Erasmus de fatali evangelii desiderio dixit, quo aetas moveretur.

Mortalium judicia cum semper tum iis temporibus quibus summi animorum motus exstant incerta atque confusa sunt. Christiana fide credimus etiam obscurissimas res in fine demum, in judicio mundi, manifesta futura esse. Sed fit interdum etiam in medio temporum decursu, ut praeteritorum seculorum viri exsurgant. Id fit, quod ad testes veritatis de quibus diximus pertinet, nostris ipsis diebus. Populi reminisci magis magisque coeperunt illorum, qui vel crudeliter occisi sunt, vel miris haud raro modis ex carnificum manibus erepti,[4] ad exteros fugerunt. Inter Romanicas gentes clarissima Genevensium urbs solum fere per longa tempora refugium illis erat. Plurimi in terras Teutonicas emigraverunt, praecipue in Germaniam, latiore tunc

1) Gerdes, specimen Italiae reformatae p. 336.

2) Antiquissima de Hispanis evangelii martyribus relatio invenitur in Reginaldi Gonsalvi libro: Sanctae Inquisitionis Hispanicae artes aliquot detectae Heidelbergae 1567 p. 173—297. Cujus rarissimi libri partem hanc repetivit Gerdes in scrinio antiquario (cf. Miscell. Groning.) I, 603 ss.

3) Gerdes l. c. p. 581 (sphalmate 681).

4) Cf. Coelii Secundi Curionis [ejusdem qui Guicciardini historias latine vertit] de mirabili sua e vinculis ac ipsis dirae necis faucibus liberatione dialogus. Recusus in Schelhornii amoen. hist. eccl. I, p. 759 ss.

sensu nominatam. Quae tunc laudem meruit, qua nobilissima urbs Hanseatica quondam gloriabatur: Hospitium ecclesiae Dei. Multi Italorum profugi inter summa academiarum atque scholarum nostrarum decora erant. Non deerant Hispani, quorum unius liberis jam Melanchthon amice prospexit. Ex Francogallia, quia evangelicae doctrinae semen nunquam illic prorsus deletum est, per plura secula extorres propter fidem homines ad nos accesserunt iique magnam partem nobilissimi et probissimi, diversissimarum artium laudabilium gnari. Quorum omnium plurimi Germaniam tanquam novam patriam suam amabant ac celebrabant. Nos quantum multis eorum debeamus, superstita in posteris peregrina nomina nos commonefaciunt. Haud pauca eorum variis seculis in doctrina et litterarum Germanicarum historia emicuerunt. Ipsae gentes, ex quibus illi viri ad nos transierunt, lugentes jam perspiciunt quantis et quam pretiosis ingenii animique viribus propter Curiae Romanae imperium (hoc enim semper in causa erat) orbatae quondam fuerint. Intellegent, quamvis magnum profecto bonum sit christianae fidei unitas, tamen eam unitatem veram esse non posse, quae nisi tanto sanguine tantaque fraudulentia, tanto denique animi torpore sustentari non potuerit. Laderchiorum et Lazeriorum calumniae, ex torpore isto natae, vilescent; eorum, quos honore spoliare nitebantur, nomina majora semper, ut Italus ille cecinit, in virorum ora venient.

Caput III.

Quicunque illius seculi initiis, manifesta Curiae Romanae scelera et serpentem inde in omnes ecclesiae partes perniciem intuentes, de parando remedio cogitabant, ii omnes fere quae Constantiae ac Basileae acta quondem erant recordati a solo futuro novo Concilio Universali christiano et libero tantorum damnorum sanationem exspectari posse censebant. Uno eodemque anno Sorbona Parisiensis et Martinus Lutherus a Pontifice, quippe qui mala consilia secutus esset ad futurum consilium provocaverunt.[1] Id ut in Germanicis terris congregaretur Carolus Caesar et Ferdinandus Rex iterum iterumque postulaverunt. In hoc convocando post exortum schisma eos, qui vel ab una vel ab altera parte stantes concordiam resarciri posse putabant, spem suam posuisse supra memoravimus. Erasmus quique per Europam dispersi vel pariter vel similiter atque Erasmus sentiebant, omnibus

4) Koestlin, Luther I, 233.

viribus innitendum esse arbitrabantur, ut ad concilium illud recte ac christiane constituendum hominum animi quam religiosissime praepararentur. Quod quamvis difficile esse viderent, tamen fieri posse confidebant. Ab altera parte imprimis Melanchthon, licet cum Luthero a fucata pace abhorrens, tamen de restituenda concordia haud prorsus desperabat. Eadem sententia in magnis Germaniae conventibus praevaluit. Cujus rei praeclarum testimonium Augustana confessio est. Etenim qui eam Carolo V. tradiderunt, statim praefationis initio declarant nitendum esse, ut in sanctissimae religionis causa, partium opiniones in caritate, lenitate et mansuetudine mutua audiantur, ut omnes, quemadmodum sub uno Christo sint et militent, ita in una ecclesia christiana in unitate et concordia vivere possint. ‚Quod ut efficiatur se paratos esse causam dicere etiam in tali generali, christiano et libero concilio, de quo congregando in omnibus comitiis, Carolo regnante per Electores, Principes et reliquos status Imperii habitis, semper concorditer actum et congruentibus suffragiis conclusum sit.‘

Sed Romana curia ejusque asseclae nunquam sine horrore temporum illorum meminerunt, quo pontifex sceleribus onustus coram Concilio reus steterat atque concilium supra papam esse et jure et facto comprobatum erat. Itaque illi omnes, ubi postulatam iterum capitis membrorumque reformationem respuebant, ita futurum Concilium universale abominabantur. Horum vero duces ipsi Pontifices erant. Quare etiam Seripandus,[1] vir inter Patres Tridentinos spectatissimus, quem Pallavicinus summis tollit laudibus, vehementer queritur de concilio toties ab illis promisso, toties ad certum diem prorogato, toties ‚ad beneplacitum‘, priusquam inciperet, suspenso. Clementem VII. severissime reprehendit, Paulo III. domino suo aliquatenus parcit: sed utrumque Papam Concilium veris et falsis titulis evitare gavisum esse constat. Dicebantur Pontifices, quoties datis promissis se dedissent, toties serpentis instar elabi, ne scilicet hujus mundi imperio ac gloria privarentur. Salsa similitudine Lutherus usus est, ad popularem de Marcolfo fabulam alludens. Quem tradunt a Salomone capitis damnatum precibus impetrasse, ut arborem, qua suspenderetur, ipse eligeret; deinde in silvam eductum, ab arbore ad arborem progredientem, ad unamquamque exlamasse, hanc sibi non aptam illi usui videri. Lutherus talem Marcolfum, qui arborem qua suspenderetur invenire non posset, Papam esse dixit.

---

1) Cf. Doellinger, Urkunden zur Geschichte des Concils von Trient p. 2 ss.

Tridentinum concilium aliorum spem, aliorum timorem ad irritum redegit. Quare Paulus Sarpius initio operis sui admonet, illustri in omnem posteritatem documento esse concilium illud, spes cogitationesque mortalium in solum Deum conjiciendas esse neque humanae prudentiae viribus fidendum; contraria enim eorum facta esse quae exspectata fuissent; schisma ecclesiae non sublatum sed in aeternum stabilitum; tyrannidem Pontificis in episcopos et universum ecclesiam confirmatam atque corroboratam; pro vera ordinis ecclesiastici reformatione majorem quam unquam deformitatem in ecclesiam esse invectam. Quod quidem ex mente eorum dicit, qui similem atque Erasmus universae ecclesiae reformationem speraverant. Dolore atque ira abreptus non videt, ab iis qui sinceriore et altiore pietate quam ipsi papae formas ecclesiae medii aevi proprias retinere studebant, aliquam saltem abusuum quorundam reformationem licet exiguam effectam esse. Nihilominus Sarpii querela injusta non erat. Gravissimi enim morbi, quibus Romana Curia atque ecclesia laborabant, sanati non sunt. Neque sanari eos omnino non potuisse jure aliquis dixerit, nisi fatalem omnium rerum necessitatem contendere omnemque hominum in agendo libertatem ac culpam negare velit. Quaenam igitur res tot praeclaris viris spem fecerint, veram et ut inter homines sufficientem universae ecclesiae reformationem per concilium perfici posse, quibusnam vero auxiliis Curia Romana, quia ipsa sanari noluit, ejusmodi seriam reformationem prohibuerit, breviter hic exponendam nobis est.

De immodica Paparum potestate ac tyrannide haud pauci cum Erasmo questi erant, qui columnae ecclesiae catholicae habebantur. Antichristiani aliquid in Papatu, qualis per longum tempus fuerat, jamdudum a summis piissimisque viris detectum ac reprehensum fuisse memoravimus. Sed primatum quendam inter episcopos, remotis iis rebus quae evangelio repugnantes irrepserant, christiano modo ad repraesentandam ecclesiae unitatem restitui posse, etiam Protestantes Augustana confessione nequaquam negaverunt. Id tantum ibi dictum est, quum episcopi contra evangelium quid doceant aut statuant, tunc ecclesias habere mandatum Dei, quod obedientiam prohibeat, sicuti Christus dicat: ‚Cavete a pseudoprophetis‘, et apostolus: ‚Si angelus de coelo aliud evangelium evangelizaverit, anathema sit‘, et Augustinus contra Petiliani epistolam: ‚Nec catholicis episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, aut contra canonicas Dei scripturas aliquid sentiant.‘ Addo, quod etiam ipse Paulus IV. Papa, contra Evangelicos

saeviens, in bulla de haereticorum poenis edita,[1] dum mundi imperium antichristiana superbia affectat, tamen Papae fidem ab ecclesia judicandam esse confitetur. Haereticorum enim poenas renuntiaturus praefatur, ,etiam Romanum Pontificem, qui Dei et Christi vices gerat in terris et super gentes et regna plenitudinem obtineat potestatis omnesque judicet a nemine in hoc seculo judicandus, si deprehendatur a fide devius, redargui posse.'

Itaque Melanchthon Augustanae confessionis scriptor, sibi ipsi constat, quum articulos Smalcaldicos propter adnuntiatum jam tunc concilium a Luthero conscriptos, ut pios et christanos approbans, haec adjicit verba: ,De Pontifice statuo, si evangelium admitteret, posse ei propter pacem et communem tranquillitatem christianorum, qui jam sub ipso sunt et in posterum sub ipso erunt, superioritatem in episcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam a nobis permitti.' Eodem tempore theologorum adhuc Smalcaldiae congregatorum nomine tractatum scripsit de primatu papae, quo doctrinam de divino, quod illi a multis attribuebatur, utriusque gladii jure ex sacra scriptura et ex historiis refellit et duo illius immania peccata arguit, alterum, quod defendat errores suos injusta saevitia et suppliciis, alterum quod judicium eripiat ecclesiae nec sinat rite judicari ecclesiasticas controversias, immo contendat, se supra concilium esse et decreta conciliorum rescindere posse; haec igitur tollenda esse, ut evangelium admittatur. Ex eadem sententia octo post annis, quum comitiis Spirensibus decretum esset, ut et Catholici et Protestantes postulata sua iterum scripta proponerent, articuli illi concepti sunt, qui reformatio Vitebergensis nominari solent, Lutheri, Melanchthonis aliorum subscriptis nominibus insigniti. Quibus articulis Protestantes ad ultimos quasi eorum fines progressi sunt, quae instante Concilio universali pacis causa concedere se posse putabant. Quare haud multo, post Lutherum, quum Pontanus in templo Vitebergensi eum allocutus dixisset, esse qui ulterius cedi posse existimarent, suo suorumque collegarum nomine sollemniter id negavit, quidquid alii statuerent vel facerent; fieri enim non posse, ut ipsi verbo Dei et conscientiae inhaererent et simul mundi favorem et laudem aucuparent. Quae verba statim per litteras ad Electorem retulit.[2] Itaque ex formula illa reformationis Vitebergensis, quum quanti momenti sit appareat, ea quae huc pertinent, infra ponam.

1) X. Cal. Mart. a. MDLVIII.

2) Ex tabulario Saxonico haec publicavit Seckendorff, lib. III, p. 556.

Quaeritur illic, an inter ministros evangelii ordines et gradus esse necesse sit. Consideratur eorum sententia, qui monent, ‚propter hominum diversa dona multorumque imbecillitatem necessariam esse inspectionem aliquam prudentiorem, oportere esse certa loca et certas personas idoneas, ad quas negotia referantur et illa loca personis et opibus ita instructa esse oportere, ut spes sit, quantum humana diligentia provideri possit, ejusmodi politias multis seculis mansuras esse. Quare illos velle, episcopos esse tanquam gradum supra reliquos presbyteros. Episcopis vero opus esse aliqua frequentia doctorum hominum ad ordinationem recte exercendam, ad examina, ad institutionem ordinandorum, ad visitationem, ad judicia, consilia, ad scribendum, ad legationes, ad synodos seu concilia, sicut Athanasii, Basilii, Ambrosii, Augustini et similium ordinationes plenae fuerint occupationum et multas ecclesias complexae sint. Ideo censere eruditos illos homines, necessario praesentem politiam episcoporum retinendam esse; quae si dissiparetur, secuturam esse barbariem et multam vastitatem.‘

Quibus omnibus similia Erasmus jam multo ante protulerat. Ad haec igitur in libello quem diximus respondetur: ‚Nec nobis placent dissipationes politiarum aut gubernationum, et valde optamus, ut episcopi et collegae gubernationis ecclesiasticae vere faciant suae vocationis officia. Et in eo casu offerimus oboedientiam nostram, videlicet si desinent esse hostes verae doctrinae, quam profitemur, nec erunt tyranni et parricidae piorum et calamitosorum sacerdotum nostrorum. — Si vero episcopi, ut hactenus, ita deinceps hostilia facient contra doctrinam, quam profitemur, nulla poterit inter illos et nostros sacerdotes et doctores fieri concordia. Quid vero Principes et politici gubernatores facturi sint, ipsis relinquimus.‘

Haec hactenus. Quae ut juste et aeque judicentur, reminiscendum est, similem fuisse atque Sedis Romanae Sedium episcopalium et archiepiscopalium corruptionem. Eodem anno, quo Lutherus libello illi subscripsit, mortuus est potentissimus ejus post Caesarem in Germania adversarius ‚Albertus ex nobilissima stirpe Brandenburgica oriundus, archiepiscopus Moguntinus et Magdeburgicus, episcopatus Halberstadtiensis vicarius, Cardinalis et Germaniae Primas, Sancti Imperii Elector et Archicancellarius. Summus quondam, ut vidimus, Erasmi admirator fuerat, Hutteni, Capitonis aliorum virorum eruditorum fautor, ingeniorum aestimator ipse ingenio non carens, colloquio et consuetudine perquam suavis, artium inprimis artis ecclesiasticae atque decoris domus Dei‘ amantissimus, sed ab ipsa Dei domo et a pastoris

spiritualis munere alienus, sacrae scripturae et theologiae ignarus, stultissimarum superstitionum non propter religionem, sed propter utilitatem cultor, in splendidissima aula cuivis voluptatum generi deditus, extorquendae, quam profunderet, pecuniae cupidine ad turpissima facinora, immo ad caedem abreptus, conscientiae motum vix aliter prodens atque timore licet tacito tamen conspicuo assidue eum urgentis Lutheri. Hic initio modestissime, deinde fortius ac violentius eum oppugnaverat, scelera ejus incredibili audacia coram omnibus detexerat, propagato in septentrionalibus ejus terris evangelio effecerat, ut ex dilectissimo palatio Halensi Moguntium transmigraret. Ejusdem vero similes etiam ceterorum praesulum plurimi fuerunt; Principes esse maluerunt quam probi episcopi.[1] Quam prorsus alia facta esset populi nostri condicio, si Albertus ille, vir tot eximiis ingenii donis praeditus neque alienus interdum a magnis nobilibusque consiliis gravissimas partes in ecclesia sibi mandatas serio, pie, religiose suscepisset et fatale evangelii desiderium, quod teste Erasmo inter aequales vigebat, recte intellegens munere suo functus esset! Jam solo tanto exemplo ceterorum episcoporum permultos secum traxisset. Tum Lutherus quique eum secuti sunt non coacti fuissent, ut a corrupto episcopatu se segregantes principum magistratuumque opem implorarent ab iisque adjuti quasi novum externae ecclesiae aedificium ad tempus construerent.

Tum etiam quod ad doctrinam pertinet concordia necessaria res haud ita difficilis ad restituendum fuisset. Dicunt quidem utramque partem quod ad rationes ac principia pertinet, jam nimis, quam ut vere coalescere possent, sibi invicem obstitisse, praesertim in doctrina de justificatione, in qua cedere posse neutra pars videbatur. Verumtamen de eo ipso articulo inter summos utriusque viros haud multo ante indictum concilium Tridentinum Ratisbonae convenerat, nimirum uno colloquiorum illorum, qualia multa illis temporibus habita sunt jubentibus Caesare et Imperii Ordinibus, sed invito Pontifice, quippe qui Protestantes simpliciter semper denuo condemnandos ac nisi sua sponte se subjicerent, ‚absque ullis inutilibus ejusmodi colloquiis vi et armis reducendos esse' censeret.[2] Eodem animo Paulus III. Carolo Caesari, quum hic instituendi Ratisbonae colloquii propositum cum eo communicasset, admodum morose respondit, cedens tamen urgenti

1) Cf. Pallavicini hist. conc. Trid. IV, 14, 13.
2) Maimbourg apud Seckendorf III, p. 398.

Contarenum Legatum misit, ut colloquentibus adesset. Hic vero ex eorum Italorum numero erat, quos pietate et eruditione insignes in justificationis articulo, qui vocabatur, cum Protestantibus fecisse diximus. Quod postea Curiae asseclae moleste ferentes negare conabantur, sed tam inani et irrito studio, ut Quirino Cardinali pro Contareni orthodoxia sudanti Benedictus XIV. silentium imponeret, ‚ne haec controversia latius serperet et ecclesiae Romanae fieret noxia.'[1] Recte vero Melanchthon dicit serio illum de concordia laborasse, sed ‚quodam pietatis affectu, non ex Pontificis intentione.' Praeterea ex ejusdem Legati epistola ad Alexandrum Farnesium Cardinalem, Papae fratrem, scripta[2] videre licet, quanti tunc Romae a prudentioribus viris Protestantium sodalitas aestimata sit; non minoris enim eos faciendos esse ille censet quam Graecos, quum longe latius pateant, quare etiam his concedendum aliquid esse, ne detur occasio disturbandae concordiae. Quae omnia similiter atque intima Sadoleti sententia, ex epistola ad Palearium apparens, a fanatica Protestantium condemnatione, inter Curiales jam tunc inveterata, longissime distant.

Itaque factum est, ut tunc Ratisbonae, quod nunquam alias pari successu evenit, utraque pars de controversis gravissimis rebus inter se consentiret, nimirum de condicione hominis, de lapsu, de libero arbitrio, de causa peccati, de vitio originis et inprimis de justificatione. Utrimque enim collocutores tanquam ‚firmam et sanam doctrinam' confessi sunt, ‚per fidem vivam et efficacem justificari peccatorem.' His vero fidei epithetis usi sunt, ut fidem non mere historicam, quae dictur, significari clare edicerent. Definierunt autem vivam fidem tanquam eam, ‚quae apprehendat misericordiam in Christo.' Talem fidem semper efficacem esse per caritatem, etiam Protestantes cum apostolo docuerant. Ne vero illud efficacitatis epitheton fidei additum ullo modo obscuraret gratiam Dei gratis datam, haec verba addita sunt: ‚Sed interim hoc verum est, quod hac fide eatenus justificamur, i. e. acceptamur et reconciliamur Deo, quatenus apprehendit misericordiam et justitiam, quae nobis imputatur propter Christum et ejus meritum, non propter dignitatem et perfectionem nobis in Christo communicatas.' Sic congruenter cum Pauli doctrina ex ipso actu justificationis excluduntur bona opera, licet necessarius fidei justificantis fructus sint bona opera, i. e. soli fidei tribuitur justi-

1) Th. Brieger in ‚Theol. Stud. und Kritiken' 1872 p. 91.

2) Quae iterum excusa est ibidem p. 144 ss.

ficatio. Quare haec dicendi ratio, ,sola fide justificari peccatorem', licet antea consulto omissa sit, postea diserte probatur, dummodo recto illo sensu accipiatur et suo loco in universo doctrinae christianae nexu adhibeatur. Id enim sibi volunt haec verba: ,Qui autem dicunt: sola fide justificamur, simul tradere debent doctrinam de poenitentia, de timore Dei, de judicio Dei, de bonis operibus, ut tota summa praedicationis constet, sicut Christus inquit: praedicantes poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo, idque, ne haec loquendi formula aliter, quam praedictum est, intellegatur.' Si igitur non aliter intellegatur, recte eam adhiberi, liquido conceditur. Praeterea collocutores, scripturam sacram sequentes, distinguunt inter justitiam imputatam et inhaerentem, quare sancti patres justificari etiam pro eo, quod est inhaerentem justitiam accipere, usurpaverint. Sed statim adjiciunt: ,Tamen anima fidelis huic inhaerenti justitiae non innititur, sed soli justitiae Christi nobis donatae, sine qua omnino nulla est nec esse potest justitia. Et sic fide in Christum justificamur seu reputamur justi, id est accepti, per ipsius merita, non propter nostram dignitatem aut opera. Et propter inhaerentem justitiam eo justi dicimur, quia quae justa sunt operamus, juxta illud Johannis: qui facit justitiam justus est.' Operum meriti in omnibus conciliatis articulis consulto nulla mentio facta est, id quod Contarenus in epistola supra memorata contra Romanenses quosdam defendit.[1]

Haec omnia, licet de aliis inter disputantes non convenerit, in re gravissima utriusque partis concordiam exhibent non fucatam sed sinceram, ex intimo praeclarissimorum virorum animo et conscientia profectam. Quam ad rem tanquam praeclaram et memoratu dignissimam Christianos inde ab illis temporibus inter se divisos libenter respicere par est. Nam ipsum argumentum, de quo inter illos viros convenit, a nullo pio christiano alienum est, et si alii aliis de eo verbis uti soleant, nimirum gratia et misericordia Dei sine ullo nostro merito in Christo nobis data; verba vero, quibus illi viri hoc argumentum proponunt, ab indubitatis Pauli apostoli scriptis exoriuntur. Etiam verbum ,Sola', cujus supra mentionem fecimus, ex nexu notissimi loci in capite tertio ad Romanos necessario concluditur. Quare jam Erasmus scripsit: ,Vox sola, tot clamoribus lapidata hoc seculo in Luthero, reverenter auditur et legitur in Patribus.'[2] Immo apud ipsos

1) Th. Brieger de formulae concordiae Ratisbonensis origine et indole.

2) cf. Joh. Gerhard loci theol. XVII, 3, 5; ed. Cotta tom. VII, p. 217. Ubi et loca supra laudata et alia similia inveniuntur.

scholasticos doctores, qui magna ex parte recentioris doctrinae Romano-catholicae auctores sunt, multa similia inveniuntur. Sic Petrus Lombardus dicit in libro sententiarum tertio[1]: ,Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire — per hanc fidam justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.' Thomas Aquinas in interpretatione epistolae ad Romanos: ,Ostendit apostolus hic, Judaeos et gentes esse aequales, quantum ad statum gratiae, ostendendo, sola fide Christi fieri justificationem.' Idem in epistolam ad Galatas: ,opera non sunt causa, quod aliquis sit justus apud Deum, sed potius exsecutiones et manifestationes justitiae.' Idem in epistolam priorem ad Timotheum: ,Non est in operibus spes justificationis, sed in sola fide.'[2] Quid dicam? Ipse Bellarminus, doctissimus et sagacissimus fidei Tridentinae propugnator, postquam intensis omnibus viribus suis evangelicam justificationis doctrinam evertere nisus est, in fine operis id confitetur, quod illius doctrinae quasi medulla est, quum dicit: ,Propter incertitudinem propriae justitiae et periculum inanis gloriae fiduciam totam oportet in sola Dei misericorlia et benignitate reponere.' In eundem denique portum longe potentissimus illorum temporum Princeps idemque acerrimus Lutheranismi, qui dicebatur, adversarius, Carolus V., ultimis vitae annis se recepit. Qui quidem de unitate ecclesiae sollicitus Inquisitionis crudelitatem semper probavit, simul vero in sola Christi crucifixi pro nobis gratia spem salutis ponendam esse testabatur. Certo igitur haud longe aberat a Ratisbonensis concordiae sententia, quam ipse quondam probaverat, Papa condemnaverat, neque tam parum quam nunc fieri video, verisimilem duxerim rumorem post mortem ejus sparsum, quasi episcopo Toletano moriens dixerit, ,Lutheranos habere justam causam saltem in uno illo articulo justificationis.'[3] Quod quin verum fuerit vix dubitaverim, quamvis suppositicia sit epistola, qua ad Paulum IV. secretarius ejus haec verba scripsisse fertur, ad quaestionem de concilii Tridentini decretis vi imperandis spectantia: ,Metuo ne sit oleum additum ad caminum, quum ad Sanctitatem Vestram Toletanus episcopus scripserit, ipsum Carolum morientem dixisse, sibi videri veram esse Lutheranorum de justificatione sententiam. Fama idem statim per universam Europam tulit et simul, quod Sanctitas Vestra dixerit,

1) Dist. 23, D.

2) Thom. Aqu. in cap. III. Rom. lect. 4; in cap. III. Gal.; in 1. Tim., I, lect. 3.

3) Hist. conc. Trid. XIV, 11, 4.

se nolle ipsi propterea, quod cum Lutheranis in praecipuo religionis capite sensisset, ullas exsequias celebrare.‘ Episcopus ille Toletanus aliique plures sacerdotes, qui Carolo vel a concionibus, vel a confessionibus fuerant, Inquisitioni mancipati sunt; Constantinus Fontius, de eruditione et eloquentia inter Hispanos illustris, in Germania per longius tempus Caesarem secutus, in carcere mortuus et postea crematus est. Carranza post Caroli mortem statim carcere inclusus, eoque primum in Hispania, deinde Romae per longum tempus detentus est. Quem narrat Pallavicinus[1] Carolo moribundo adfuisse et pro dignitate, quam obtinuit, extrema ecclesiae officia praestitisse; causam vero, cur adesset eam fuisse, quod delato ad Carolum rumore sinistrae opinionis, quae de corrupta archiepiscopi mente sparsa esset, ad se hominem accersiri jussisset, ut ipsum commoneret. Idque Pallavicinus prae se fert sese dixisse ad abstergendam inclyti Caesaris famam, qui abjectae utriusque orbis dominationis pretio Coelum sibi mercari contenderit. Quidquid vero de his miris rebus statutum fuerit, ex ipso sparso illo rumore, quo magnus Imperator, amicis evangelice sentientibus circumdatus, moriturus doctrinam justificationis Paulinam et Lutheranam confessus esse dicebatur, semper apparebit, et quantam illa vim in piorum hominum animos exercuerit, et quomodo inter Inquisitionis horrores pro haereseos capite haberi coepta fuerit.

Jam propior nimirum in multorum animis ingens illa temporum mutatio accessisse visa est, de qua in contemplandis Aonii fatis locuti sumus. Ratisbonensis colloquii diebus res alio modo adhuc se habuerat. Tunc Pauli apostoli doctrina illa etiam Romae impune a nonnullis defendebatur. Increpuit quidem Papa Contarenum, quod initio de ejusmodi articulis disputari sivisset neque prius primatum Sedis Romanae et infallibilem ecclesiae auctoritatem agnosci postulasset. Ipsae formulae Ratisbonae conciliatae displicuerunt in Curia pluribus, inprimis Caraffae Cardinalis vehementissimam iram excitaverunt, similiter atque in Germania Johannis Eckii, qui quidem urgente Granvella nomen iis subscripserat, postea vero in eas tanquam melanchthonizantes gravissime invectus est. Neque tamen etiam in Pontificis consilio defuerunt, qui pie omnia intellegi posse contenderent. Conciliatos articulos publice prorsus rejicere papa tunc nondum ausus est. Ab altera parte Protestantes Contareni serium atque nobilem animum non tanti, quanti par erat, faciebant; solum ipsum Pontificem, id quod

1) Hist. conc. Trid. XIV, 11, 4.

mirum non erat, intuebantur, quem, quum satellites ejus jam passim tanta crudelitate in evangelii confessores saeviissent, nunc per Legatum tantas res non sine fallacia concedere putabant. Accessit ut de aliis dogmatis, inprimis de sacra coena, discidium colloquio tolli non posset. Quae Contarenus de Papae et conciliorum auctoritate liberiori sensu conceperat, a Curia penitus rejecta sunt. Iam quoque pro viribus ii omnes impediverunt sanctissimum concordiae restituendae negotium, quicunque orituram inde Germaniae et imperii potentiam formidabant. Hanc sollicitudinem atque curam, sponte in Papa promptam, Galliae Rex praetexta religione alebat; simul in Germania (id quod Granvella Contareno jurejurando affirmavit) Protestantium principes adversus Caesarem instigavit.[1] Itaque suspicionis semine inter ipsos Comitiorum sodales largiter sparso, ne id quidem, quod Carolus adnuentibus Electoribus et civitatibus maxime volebat, communi omnium decreto postulari potuit, ut a conciliatis articulis illis in futuro Concilio universali exiretur.

Id si in tali Concilio christiano et libero, quale optimi utriusque partis viri desiderabant, paulo post fieri potuisset, Germaniae universaeque Europae condicionem prorsus aliam futuram fuisse jure aliquis judicaverit.[2] Rectissime Contarenus cognoverat, a Pauli apostoli doctrina, de qua Ratisbonae tractatum scripsit,[3] proficiscendum esse, et ut ecclesiae unitas restitueretur atque servaretur, et ut ejus sincera reformatio perficeretur. Similiter de his rebus sentiebat atque Erasmus, quem ad abolendum Judaismum quendam in ecclesia grassantem et ad vindicandum christianismum spiritualem Pauli inprimis scriptis utendum censuisse vidimus. Etiam postea, jam mutatis temporibus, Patrum Tridentinorum nonnulli propius quam ipsi sciebant ad Protestantium sententias accesserunt ideoque liberaliori interdum judicio usi sunt. Ex iis Seripandum nominare sufficit, qui hac in re et ipse totus cum Erasmo sentiens cavendum esse putavit, ne quod haereticum non esset sed uni aut alteri falsum videretur, statim tanquam haereticum damnaretur; dissensiones non parvas inter primos ecclesiae doctores olim fuisse et longe plures inter posteriores theologos, neque tamen consuevisse ecclesiam varias eorum opiniones ut haereticas damnare, sed potius tolerare; nihil enim esse, quod plures pareret haereses,

---

1) L. von Ranke, die römischen Päbste ed. 6, I, 109.

2) Cf. ibidem p. 107 et Ejusdem Deutsche Geschichte im Zeitalter der Reformation ed. 4, IV, 156 ss.

3) Cf. Th. Brieger in ‚Studien und Kritiken‘ 1872, p. 87 ss.

quam leve et inconsideratum judicium de haeresibus.[1] Quare si rationes ac principia ab hoc viro eximio proposita in Concilio praevaluissent, Doellingerus futurum fuisse censet, ut illud alium prorsus cursum teneret, nisi forte Romana Curia (id quod verisimilius putat) post paucas septimanas omnes Patres dimisisset. Facilius vero viri illius rationes praevaluissent, si statim post concordiam Ratisbonensem Concilium universale exstitisset illamque amplexum esset, vigentibus adhuc Contareno atque tot aliis ejus similibus. Hi vero usque ad incipientem Tridenti synodum, nisi morte naturae concesserant, Inquisitione aut absumti aut ad silentium redacti sunt. Tales laetius quam postea Tridentini Patres, ‚Protestantium ex nobilissima Germaniae provincia adventum magno desiderio exspectassent, humaniter eos excepissent, benigne audivissent.‘[2] Acceptissimi iis fuissent collocutores Ratisbonenses, inprimis Melanchthon, quem paucis ante annis Franciscus Galliae Rex, melioribus interdum consiliis licet rarum constanter audiens, propter ‚singulare ad sedandas, quae in doctrinam inductae essent, altercationes studium‘ impense laudaverat utque ‚ad resarciendam pulcherrimam ecclesiasticae politiae harmoniam‘ in Gallia sibi adesset addita amicissima obtestatione invitaverat,[3] plane consentiente etiam Langaeo episcopo Parisiensi et admonente Melanchthonem, ‚ne occasionem differret rei gerendae inter mortales omnium pulcherrimae.‘ Si tales omnium gentium viri, ejusdem Dei et Servatoris imploratione ejusdemque veri et evangelici christianismi spiritualis studio inter se conjuncti, in Concilio universali una egissent, si nulla illic tyrannis sacerdotalis, machinis et minis hominum animos occupans, impedivisset spiritum Dei, qui spiritus libertatis est, hoc ipso spiritu adjuvante fieri fortasse poterat, ut doctrinae concordia vere catholica restitueretur et servaretur ex sensu veteris illius dicti: ‚In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus veritas.‘

Neque dubitari potest quin a tali Concilio, quale ex mente praestantissimorum illius temporis virorum futurum fuisse cogitatione sumsimus, vera ac sincera universae ecclesiae reformatio perfici potuisset. Satis notum est, diversarum nationum Principes ac magistratus a Concilio Tridentino frustra ut multos abusus tolleret postulasse, quos vel justae fidelium querimoniae vel etiam schismati occasionem dare

1) Doellinger Sammlung von Urkunden etc. p. 22.
2) Quae verba leguntur in decretis conc. Trid. cf. Sess. 13 et 15.
3) Cf. epistola Regis d. 28. Jun. a. 1535, Gulsi data C. R.

putabant. Frustra Germanorum nomine Ferdinandus poposcit, ut vernacula lingua in sacris adhiberetur, ut laicis eucharistiae sacramentum sub utraque specie impertiendum, clericis matrimonium ineundum concederetur, ut liber missalis et breviarium, fabulis atque ineptiis passim squalentia, emendarentur;[1] frustra eadem fere Poloniae Rex atque status, similia Galli petierunt; frustra Hispani episcopis priora jura a Pontificibus paulatim intercepta recuperare annisi sunt. Omnia haec multaque alia similia jam pridem Erasmus et qui cum eo sentiebant emendanda vel ingenue confessi erant vel caute significaverant. Gravissimas quae postulabantur res ipsa Curia Graecis secum unitis concesserat; quominus easdem Occidentalibus daret nulla religione prohibebatur sed solo metu, ne cedendo et aliquid reformando suam auctoritatem et potentiam diminueret, immo ad se ipsam reformandam cogeretur. At vero ejusmodi reformatione se egere ipsa aliquoties urgente conscientia fatendum fuerat. Sic Adrianus VI. Papa in mandatis, quae nuntio ad Comitia Norimbergensia dederat, his verbis usus erat: ‚Scimus in hac sancta sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, omnia denique in perversum mutata; nec mirum, si aegritudo a capite in membra, a summis Pontificibus in alios inferiores praelatos descenderit.‘[2] Postea Paulus III. viris quibusdam summae existimationis et prudentiae, ut quae in Curia reformanda essent, perscrutarentur mandaverat.[3] Hi in scripto de ea re consilio Papam alloquentes ab initio ingenue admonuerunt, ‚principium malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices praedecessores ejus prurientes auribus (secundum verbum apostoli) coacervassent sibi magistros ad desideria sua, non ut ab iis discerent quid facere deberent, sed ut eorum studio et calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet.‘ Deinde longam enumerant tollendorum abusuum seriem, qui ex Pontificum superbia, avaritia, profana mente emanaverint. Primus scripto nomen subnotavit Contarenus, post eum Caraffa, Sadoletus, alii. Ille tradito Papae libello rem ad Calendas Graecas relatam esse vidit. Qui si post Comitia Ratisbonensia tali, quale diximus, Concilio universali interfuisset, sine dubio, ut erat vir religiosus, ad pristinas de Curia querelas revertisset. Sin vero ceteros episcopos plurimos propter nimiam sedis Ro-

1) Cf. Friedrich, Geschichte des Vatic. Concils I, p. 13 ss.
2) Conring l. c. p. 348.
3) Ibidem p. 159 ss.

manae reverentiam rem acu tangere puduisset, veritate a Protestantibus dicta gavisi essent, id quod etiam in Tridentino Concilio aliquo modo factum esse videbimus. Itaque nihil eorum illic defuturum fuisse videtur, quae ad abolendos denique Curiae et ecclesiae abusus necesse erant.

Dicet quispiam haec omnia nihil esse nisi bellissima somnia ab historiae veritate longissime remota. Cui non est quod refragemur. Ipse Melanchthon, praesentium hominum indolem rerumque condicionem respiciens, libelli cujusdam similes tantae spei imagines evocantis margini adscripsit: Respublica Platonis! Verumtamen aeque ac Contarenus aliique immortalis memoriae viri etiam ipse Melanchthon ita egit, quasi in veritatem mutari possent ejusmodi somnia. Quare et haec, et quae tantam spem illis viris injecerunt, investigare ex historiae officio est, quippe quae non tantum ad res actas sed etiam ad hominum res agentium mentem cogitationesque pertineat. Etiam ii vero, qui aliorum spe frustrata sua proposita assecuti sunt, itaque totis gentibus et temporibus suum quasi colorem induerunt, antequam illud perficerent, aliquo modo somnia captabant, neque semper haec eorum, quos frustrati sunt, somniis meliora ac nobiliora fuerunt, neque auxilia, quibus victores exstitere, laudabilia. Jam igitur, quibusnam potissimum praesidiis Romana Curia in universali Concilio vicerit, mihi dicendum est. Quae praesidia ne eos quidem, quibus victrix causa placuit, probaturos vel excusaturos esse arbitror, nisi forte partium studio historiae veritatem et conscientiae sanctitatem contemnere pro virtute habuerint.

Constat enim eos, qui illa aetate pacem inter Christianos fraternis de religione colloquiis praeparari, universali Concilio vere libero, ad reformandam ecclesiam convocando, plene perfici volebant, sincero veritatis et caritatis studio ductos fuisse, ejusdem vero temporis Pontifices fere omnes cum ab ejusmodi studio, tum ab omni sincera pietate alienissimos nihil nisi id contendisse et laborasse, ut suae suique imperii utilitati inservirent. Quod quisquis historiae gnarus est et de Clemente VII., qui imminens Concilii periculum semper declinavit, et de Paulo III., qui post multam cunctationem illud sustinuit, jure dicendum esse confitebitur.

Caput IV.

Haud fortuito factum est, ut Curia, quae Concilium universale a Caesare et Principibus efflagitatum simulatis frigidissimis causis per longum tempus detrectaverat, tum demum illis cederet, quum nefandae machinae, ad necandos trucidandosque evangelicos viros, quorum exem-

pla contemplati sumus, excogitatae, manifestum quendam effectum praestiterant et ad ea applicanda ipse Carolus Caesar alacriorem se praebere coeperat.

Non ante enim Concilium convocatum est, quam inter ipsos Italos magnus eorum numerus, qui, cum Erasmo sentientes, veram ac sinceram Curiae et ecclesiae reformationem servato hierarchiae ordine instituendam cupiebant, oppressus et medio sublatus esset. Ipse Joannes Petrus Caraffa ille, cui conciliata a Contareno justificationis doctrina tantum horrorem incusserat, haud frustra Papae consilium dedit, ut ad instar Hispanicae Inquisitionis Romanam constitueret. Quo facto simul Principes, quos Curia jam antea ad violenter exstirpandum Lutheranismum excitaverat, ad novum ejusdem rei studium excitati sunt. In Italia Caesar et Papa Inquisitionem invitis civitatibus obtrudere certatim nitebantur, hac in re plane consentientes, quamquam alias acerbissimo alter alterius odio ardebant. Reipublicae rationibus ductus Carolus V. etiam id patienter tulit, quod libelli, suo nomine collocutoribus Ratisbonensibus propositi, auctores catholici a Paulo III. homines impii et scelerati nominati sunt. Scilicet Curiae, si quis cum iis, quos ut haereticos condemnaverat aliter atque vinculis, rogis, armis agere suscepit, impium scelus committere videbatur. Jam eadem justificationis doctrina, quae paulo ante post colloquium illud Ratisbonense in Cardinalium consessu defensa erat, haereseos fundamentum certissimaque nota existimabatur. Propter eandem maxime Bernardinus Ocellus, aeque ac Martyr, et Curio clarissimi viri, ut imminens sibi carceris et mortis periculum evitaret, relicta patria septentrionales terras petivit. Bernardinus in fugae itinere Bononiae Contarenum convenit moribundum, quem sibi confessum esse ait, in illo articulo se facere cum Protestantibus, licet in aliis ab iis aversum.[1] Eodem tempore fratres Veneti Luthero, gratissimum erga eum animum testantes, scripserant,[2] urgere illic Antichristi immanitatem, quae quotidie magis incrudesceret adversus electos Dei: proscribi multos, quorum aliqui in longinquas terras secessisse dicerentur, plurimi caperentur, ut perpetuo tandem carcere contabescerent.' Crescebat sequentibus annis immanitas illa perpetratis per totam fere Italiam cruentis facinoribus. Non minoris atrocitatis exempla, quae nunquam ex humani generis memoria tollet oblivio, ex Gallia et Nederlandia

1) M'Crie l. c. p. 220.
2) Datum Venetiis VI Kal. Dec. 1542 cf. Seckendorf l. c. III, 401.

Germanis adnuntiabantur.[1] Curiae atque magistratuum quorundam ei obsequentium furorem jam passim etiam privati homines, odio vere Cainitico inflammati, sequi coeperunt. Ingenti horrore hominum animos Alfonsi Diaz Hispani scelus in ipsa Germania commissum perfudit. qui Joannem fratrem, virum nobilem et eruditum, quum ab Argentoratensibus cum Bucero ad novum colloquium de religione habendum missus esset, reducem in itinere blandis sermonibus deceptum per famulum securi occidendum curavit, deinde vero Oeniponti correptus atque parricidii accusatus et convictus intercedente Pontifice liberatus est, ita ut multo post coram Sepulveda, probissimo scriptore Hispano, facinus tanquam rem bene gestam gloriaretur.[2]

Haec omnia multi adhuc Curiae patroni, vel ignorantia, vel mendacio conniventes, si non probari at ex communi universae illius aetatis errore excusari posse putant. Et revera alte etiam tunc inhaerebat multorum hominum animis medii aevi opinio, quasi christianae fidei puritatem constitutis in haereticos suppliciis servare fas esset. Verumtamen non frustra contra hunc errorem Erasmus surrexerat, quem etiam in ea re multi clarissimi et spectatissimi viri in ipsa Italia, quid dicam? in ipsa Curia per satis longum temporis spatium sequi impune poterant. Ne inter Patres quidem Tridentinos defuerunt, qui quamvis tribunal fidei, dummodo mite ac moderatum esset, non improbarent, tamen eam formam atque indolem, quam auctore et impulsore Caraffa illud induerat, ut a Christi spiritu alienam exagitare non verebantur. Quorum quasi nomine loquentem Seripandum introducam, qui satis benigne de Papa Domino suo, Paulo III., loquens: ‚Fuit equidem tribunal hoc‘, inquit, ‚initio moderatum ac mite, quale certe semper fuit Pauli ingenium; verum aucto postea Praesidentium Cardinalium numero et judicum jurisdictione in dies magis ac magis confirmata atque corroborata, imprimis vero Joannis Petri (Caraffae) severitate nulla humanitate aspersa in eam crevit magnitudinem, ut nullibi toto terrarum orbe magis horribilia magisque formidolosa judicia esse existimarentur; quae justa omnino et honesta censenda sunt, si ea fuerint caritate condita, quam Christus Jesus mortalium omnium a Deo Patre judex constitutus et docuit et exercuit.‘[3] Neque res ita se habet, quasi ejusmodi sententiae eruditis quibusdam hominibus

1) Ranke, deutsche Geschichte etc. IV, p. 277 ss. Röm. Päbste I, 135 ss.
2) Ranke, deutsche Geschichte l. c. p. 280.
3) Seripandus apud Doellingerum Urkunden etc. p. 7.

peculiares fuerint. Immo vero ipse Seripandus clarissime indicat, novae illius Inquisitionis horrorem universo populo communem fuisse. Idque permultis factis indubiis compertum confirmatur. Namque initio omnes fere Italiae gentes Inquisitionem vel Romanam vel Hispanicam respuerunt, magistratibus invehi eam molientibus, partim tumultuantes, restiterunt. Idem in Nederlandia, etiam a parte eorum, qui sub Papae regimine manere voluerunt, factum esse constat. Ipsum vulgus Romanum post mortem Caraffae, qui assumpto Pauli IV. nomine cathedram obtinuerat, cum in effigiem ejus saeviit, tum ex Inquisitionis carcere septuaginta duos captivos vi liberavit et ipsam diri tribunalis aedem invasit, diripuit, diruit, improbandum sane popularis vindictae facinus, sed ex longe justiore illius loci horrore oriundum, quam quo multo post vulgus Parisiense castellum illud, sub mitissimo rege Ludovico XVI. sola praeteriti temporis memoria terribile dolo et vi effregit. Ceterum nonnulli Italiae magistratus, quum novum tribunal papale prohiberi prorsus non posse putarent, saltem inspiciendi ejus et aliquatenus coërcendi jus aliquamdiu sibi reservarunt. Unde factum ut usque ad sequentis seculi initia inter Venetos mascula Pauli Sarpii oratio, quasi ultima in patria Italica libertatis christianae vox, infringeretur quidem, sed non consopiretur. Quibus omnibus rite ponderatis apparet, Curiam Romanam pedetentim demum educatione sua sacerdotali universas gentium quarundam generationes eo perduxisse, ut perversam corruptamque conscientiam, qualem in Laderchio et Lazerio descripsimus, pro sana vel haberent vel habere se metu profiterentur.

Itaque mirum non est, quod jam incipiens ista quasi educatio gentium nefandis artibus sancita, in qua summi magistri sacerdotales, vicedeorum auctoritatem usurpantes, puerilis ferulae loco restim ac rogum adhibebant, etiam Italorum praestantissimis viris tam abominanda res esse videbatur, ut de papatu, quem antea cum Erasmo unitatis christianae vindicem tueri impense studuerant, paulatim desperarent et, quidquid in eo antichristiani ingenii Sanctus Bernardus castigaverat, immodice interim auctum longissimeque diffusum, solum augustissimae quondam dignitatis residuum esse arbitrarentur. Unde accidit, ut, postquam fatali constitutae novae Inquisitionis anno Paulus III. concilium Tridenti habendum indixit, illius fraudulentiam Aonius Palearius non minus quam Lutherus accurate perspiceret acerbeque judicaret. Cujus rei immortale monumentum libellus quidam accusatorius est, quo nobilissimus ille Italus clarissime posteris demonstrat, incredibilem istam Curiae perversitatem et malignitatem, a sanguine nunquam

abhorrentem, omnia restituendae pacis ecclesiasticae studia impedivisse, ut suum imperium mundanum servaret et confirmaret Quare praemissis nonnullis, quae ad perspiciendum Aonii consilium prodesse possunt, gravissima quaedam libelli supra dicti exscribam. Qui quatenus cum Lutheri libello, de quo post illum mihi dicendem erit, comparari possit, facile apparebit.

Palearius primum epistolam dedit ad Lutherum, Melanchthonem, Bucerum, Calvinum et Germaniae Helvetiaeque Christianos, non addito scriptoris nomine, quod vero tabellario illam perlaturo notum erat. Quae epistola num ad viros illos suo tempore pervenerit incertum est.[1] Praeclaris eos hortatur verbis ad servandam concordiam evangelicam, qua sola unanimis adversariis resistere possint. Graphice depingit, quam incredibili diligentia Pontifex ad habendum Concilium se paret et expediat, ita ut, quamvis non satis firma sit valetudine, tamen ne nocturnum quidem tempus ad quietem sibi relinquat; orare eum et obsecrare omnes, ut in communem curam incumbant, et in hoc Concilio de majestate ecclesiae Romanae deque fortunis omnium episcoporum et Summorum Pontificum agi putent. Adjicit Palearius, inter episcoporum multitudinem ubivis terrarum singulos tantum esse viros bonos, integros, divinarum rerum peritos; longe plurimos corruptissimos non de ecclesia sollicitos esse, cujus caput Christus sit, sed de se ipsis unum quoddam corpus conficientibus, cujus caput sit Pontifex Romanus; pro hujus imperio, immo vero tyrannide, tanquam pro aris et focis pugnare, commune omnium consilium esse; synodum ita constitui volunt, ut per ejusmet sententias firmentur eorum regna, census et quaestuosae traditiones. Nihil esse igitur, quod dicant in Spiritu Sancto convenire se atque congregari in nomine Christi. Quare Caesari, Regibus, Civitatibus cavendum esse admonet, ne Curia judex fiat in sua causa, atque consulendum, ut ex omni gente optimi viri ad concilium delegentur; ipsos vult Concilio adesse atque prospicere, ut omnia libere, juste, christiane gerantur. Sic adhuc sperabat fore, ut et ipse Pontifex, quem primum inter pares manere volebat, ad perficiendam pro virili parte sinceram capitis et membrorum reformationem permoveretur.

Verum haec spes evanuit crescente antichristiana Inquisitionis crudelitate. Mutatam mentem prae se fert libellus, quem Aonius

---

1) Hanc primus typis excudendam curavit Schelhorn in amoen. hist. eccl. I, 448.

sequentibus indictionem Tridentini Concilii annis, antequam congregatum est, ad Imperatorem, Reges et Principes reipublicae christianae, summos Oecumenici Concilii Praesides, conscripsit. Hic continet ‚actionem in Pontifices Romanos et eorum asseclas' proponendam Concilio, quod suadentibus multis piissimis viris etiam invita Curia congregari vult. Praemissa igitur est ad Praefectos sanctarum ecclesiarum Helvetiorum et Germanorum epistola, in qua haec leguntur verba: ‚Quodsi vetus vulpecula Romana spem Concilii fecerit et ipsa refugiens aliquot tamen episcopos dolo malo submiserit, ut saepe jam factitavit, dabit Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, ut aliquando, concitatis et confluentibus populis, a Regibus cogatur adesse; cogatur, inquam, adesse. Quod quum videbitis, tum, viri fratres, levate oculos, tollite manus, erigite animos: tempus illud est sublevandae ecclesiae.' Neque postea animum despondit Aonius, quum synodum Tridentinam talem factam esse vidisset, qualem, nisi conjuncti Principes et Populi Curiae machinas impedirent, futuram illam esse praedixerat. Biennio enim ante quam in carcerem conjectus est, fidissimis depositariis libellum illum tradidit, qui suo tempore in Germaniam transferretur. Quod quum multo post factum esset, initio sequentis seculi Lipsiae libellus in lucem primum prodiit. Quem editor reipublicae christianae utilissimum fore jure arbitrabatur, etsi Concilii Oecumenici liberi et sancti aliquando futuri spes omnis jampridem sublata esset. Invenitur etiam in posterioribus Palearii operum editionibus.

Libellus ille, quod ad orationis formam judicialem pertinet, Ciceronianae actionis in Verrem ingeniosa imitatio est, ita tamen ut sermonis artificium simplicius sit, testimoniorum gravitas sanctior. Quoniam orationes illae in Verrem, quales legimus, habitas non esse constat, uterque scriptor ad judices cogitatione tantum praesentes loquitur, alter ad summum orbis Romani tribunal, alter ad summos universi orbis christiani magistratus, episcopos, theologos. Tullius quum eum accusare auderet, qui suae securitatis atque commoditatis causa nullum flagitium reformidabat, quem splendidissimi optimates auctoritate, opibus, fraudibus tegebant, quem celeberrimus patronus Hortensius facundia sua defendendum susceperat, in quantum ipse periculum incurreret sibi conscius erat. Sed longe gravius aliquid ausus est Palearius, quare scribens jam ab initio ante oculos habebat martyrium fortasse tolerandum, quod quo animo postea subiisse supra vidimus. ‚Quid est', inquit, ‚viri fratres, quod timeamus? quid est,

quod ludibrio esse hominibus, virgis caedi, in ignem conjici, pro testimonio sancto dicendo recusemus? Non proponuntur haec nunc primum iis, qui Christum sequi volunt.' Cicero quum omnia illa pericula et labores susciperet, dicere potuit, se in hoc uno reo tot inaudita facinora sceleris, audaciae, perfidiae, libidinis, avaritiae, crudelitatis detexisse, ut saluti florentissimae provinciae Siculae, quae suum auxilium implorasset, consuleret, ut dignitatem populi Romani servaret; nullam ad rem, nisi ad officium et veritatem omnes suas curas, vigilias cogitationesque elaborasse. Ad sublimius vero officium et sanctiorem veritatem, ad sinceri evangelii splendorem et universi generis humani salutem ea omnia spectabant, quae Palearius ut ,scriba ad coelorum regnum eruditus' cum ceteris testimoniis christianis, tum Curiae Romanae accusatione praestare studuit. Se ad orandos, observandos, commonendos fratres suos non odio, non invidia, non ostentatione dolove malo adduci, sed amore sanctae veritatis et gloriae Christi, coram Deo profitetur. Hac fiducia et falsas opiniones, quibus Curia nititur, impugnat et corruptos ejus mores castigat; in utraque re accurata praesentium rerum experientia et cognitione utitur. Opiniones falsas et perniciosas inveterasse ait, non tantum in vulgus imperitorum sed aliquando apud Reges ac Caesares, quum quasi praestigiis quibusdam per multa jam saecula acies ingeniorum perstricta fuisset; magnum vero esse atque difficile, veterem consuetudinem, quae jam naturae vim obtineat, evellere ex animis hominum. Quod ut efficiat, majestatem verbi divini egregie vindicat, judaismum, quo medii aevi ecclesia a perfectae revelationis divinae substantia ad umbras saepissime reverterat, cum Erasmo exagitat, ex abusuum superstitionumque stultitia et culpa animos hominum ad simplicem evangelii veritatem reducere studet, idque satis feliciter, adhibitis ingeniose et fortiter cum veterum patrum, tum scripturae sacrae testimoniis. Quod ad antichristianam Curiae indolem pertinet, omnia vitia, quaecunque in crudeli et libidinoso provinciae vexatore Romanus quondam orator digito monstraverat, eadem Aonius in orbis christiani tyrannis castigat, ante omnium tunc temporis hominum oculos posita, sed propter contemptam revera divinam lucem, qua verbis gloriabantur, multo illis graviora et turpiora, cum exsecranda hypocrisi, cum impudentissima sanctimoniae simulatione conjuncta. Quod Palearius ut in aliis rebus, ita in coacti coelibatus spurcitia ostendit, qua factum sit, ut Romae atque alibi in sacerdotibus non quidem legitima matrimonia, sed vagae libidines, stupra, adulteria facile passim tolerarentur. Quum vero coe-

libatus illius probandi causa Paparum asseclae ad apostoli dictum provocarent: ,Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus', justa ille ira commotus ad sui temporis Papas spectans exclamat: ,Quasi vero regnis inhiare, tyrannidem exercere, conflare bellum, hos atque illos detrudere de regnis avitis, in his spurios suos collocare vel cognatos, excitare reges, advocare Caesares, conducere externas nationes, permiscere omnia, perturbare bello provincias christianas ob regnum obtinendum, agere internunciis, legationibus ultro citroque, negocia secularia non sint et mentes non implicent.' Qualis sub talibus pastoribus christiani gregis miseria facta sit, ardenti maerore profligatus exponit. ,Superstitio', inquit, ,imitatur religionem. Christi evangelium conversum et confusum videtis miserum in modum, beneficium sanguinis Christi velatum atque obtectum, infirmis male consultum, onus grave innumerabilium praeceptorum super humeros fidelium gentium et nationum impositum. Quid exspectandum? Libertas Christi sublata est; instituta apostolorum eversa sunt; rescissum est verbum Dei; praeceptorum Christi majestas imminuta; crux quantum per hoc licuit evacuata est; abusus magni et incredibiles invecti; confusa denique jura humana atque divina. Quis Christi nominis tam est inimicus, qui possit haec audire et ferre? aut si nullo modo mederi queat, ne cum impiis sensisse videatur, non morte testatum relinquat?' Itaque haec omnia et similia, suscepta communi causa, locutus in fine libelli ad mortis periculum, sibi fortasse aeque atque Husso subeundum, revertitur. ,Nunquam profecto', inquit, ,pigebit, si defenso evangelio filii Dei id sequi necesse est. Accede lictor, colliga manus, caput obnubito, ipsum me cruciatibus et Pontificum irae offero. Percute securi. Si saturari illi nequeunt, nisi viscera nostra lanianda et in ignem conjicienda praebuerimus, id etiam feremus.' Sed etiamsi tale quid futurum sit, tamen se non frustra laborasse persuasum habet. Moribundi vocem ad eos aliquando perventuram esse ait, quibus cordi sit ecclesiam Dei in pristinam ejus lucem et dignitatem gentibus ac nationibus vindicare. Id quasi triumphans postremis libelli verbis vaticinatur.

Eodem tempore, quo Aonius vir in bonis litteris versatissimus, hoc scriptum multa cura ac diligentia latine composuit, dum de Concilio Tridenti convocando agitur, Lutherus et idem librum scripsit Germanicum, argumento et affectu illi quodammodo similem, stilo valde diversum, rudi et agresti asperitate illa, de qua diximus, ex parte horridum. Ex quo singulos locos duriores, incomptos, inde-

centes excerpere facillimum est, ex iis cetera omnia judicare et condemnare ineptissimum. Nam justa indignatio, quam castus et elegans spirat Aonii stilus, etiam Luthero totum librum illum dictavit. Cui titulum inscripsit ‚de Papatu Romano a diabolo fundato.' Neque enim a Christo, neque a Conciliis ecclesiasticis, neque a magistratibus civilibus illum constitutum esse, sed talem, qualis ab omnibus conspiciatur, originem ducere a Diabolo caedis ac mendacii patre. Hujus indolem revera tunc Papatus, licet piis verbis uteretur, tamen quasi nudam coram omnibus prae se ferebat. Dira facinora non tantum ipse perpetrabat, sed ad eadem etiam alios ubique instigabat. Melanchthonem, qui Pontifici, si modo evangelium admitteret, primatum humano jure concedere paratus fuerat, alta invasit moestitia propter auditas undique adversariorum saevitias et fraudes, inprimis crudelitates Belgicas, de quibus per probum hospitem suum, Franciscum Hispanum, certior factus erat; Carolum Caesarem, quem laudare gavisus erat, asperiorem fieri putavit; summi gubernatores mundi, suam quisque utilitatem praetextu religionis quaerentes, mentione, indictione, prorogatione synodi ludere ei videbantur non secus atque illi ipsi in historia Christi, qui divinare eum jubebant a quo percussus esset.[1] Vix autem his omnibus in rebus superare posse aliquis videbatur Pontificem. In iis maxime negotiis, de quibus cum Caesare admodum dolose eo tempore agebat, non Christi sed Diaboli vices eum gerere multi Germani judicabant. Quod claris et fortibus verbis edicere eo magis necesse videbatur, quo saepius adulatio, simulatio, insana pietas exsecrandam Curiae pravitatem vel silentio vel mendacio tegebant. Qua de causa multi viri optimi Lutheri libello illo, quippe quo scapha diceretur, quasi justitiae publicae actu laetabantur et erumpentis legitimae irae rusticas quasdam et indecoras dictiones, licet improbandas, excusabant. Facilius profecto coram incorrupta conscientia excusabantur, quam mendax quarundam Pauli IV. epistolarum intemperies, quae maxime Luthero scribendi ansam dedit. Quod quomodo factum sit, eo accuratius et uberius mihi explicandum est, quo magis id necesse esse puto non tantum ad recte judicandum Lutheri libellum, verum etiam ad intellegendum, quali ingenio Curia, quum Concilium Tridentinum aperiret, inspirata fuerit. Quod Concilium ab illa eodem spiritu ad finem perductum esse infra videbimus.

---

1) In ep. ad Camerar. d. d. XVI. Cal. Apr. 1545.

Carolus Caesar illius seculi anno XLIV in Comitiis Spirensibus adhortatus erat Germanos omnes, ne intestinis bellis et religionis discidiis animum communibus hostibus facere pergerent, nimirum Turcis et Gallis utrimque in Imperium irruentibus. Protestantibus, pace inita, largiora quam unquam antea jura concesserat. Colloquii, quod ante triennium Ratisbonae actum erat, mentione facta controversiam illic non diremtam vel Concilio vel synodo nationali vel Comitiis posthac futuris componendam esse declaraverat. Itaque Protestantium maxime auxilio factum est, ut bellum et Gallicum et Turcicum ad felicem exitum veniret. Deinde Caesar ab illis postulavit, ut ad Concilium Tridentinum aliquot ante annis indictum legatos et theologos mittere parati essent. Quod ut concederetur Lutherus suasit et hortatus est. Quamquam enim nihil boni a synodo exspectare potuit, quae Pontificis auspiciis, declarato consilio ut haeretici vi exstirparentur, indictum erat, nihilominus spreto etiam supplicii periculo illuc eundum esse et coram omnibus populis dicendum testimonium censuit. Sed alia Principum Protestantium sententia erat. Qui quum promittere nullo modo possent, se Concilii a Papa pendentis placitis, qualiacunque forent, submissuros se esse, ne legandum quidem illuc quemquam, sed scripto votum edendum putabant. Haec ‚reformationis Vitebergensis‘ a Melanchthone scriptae, de qua supra diximus, origo est. Quae quum Electori Saxonico nimis mansueta visa esset, inprimis propter vulgatam interea Papae cum Caesare expostulationem, spectatissimus cancellarius Pontanus illi persuasit, ut Melanchthonis laborem probaret, Lutherum vero ad alia reservaret exspectaretque futilem futuram reformationem Tridentinam et incrementum capturam arrogantiam malitiamque Pontificiam; tunc opus fore, ut Lutherus securim fabrilem arriperet et pro spiritu prae ceteris ei hominibus dato fortiter caederet, ut nimirum (id quod egregie sine dubio facturus esset) Papam falsi praeposterique judicii et impudentis mendacii convinceret.[1] Postea vero consultius visum est, ut Lutherus jam ante coeptum concilium ejusmodi scriptum ederet. Cujus rei causa illae, quas supra diximus, Pauli III. epistolae erant, tam immani petulantia ac protervitate pontificia refertae, ut turpius ejusdem exemplum dari non posse videretur. Quae epistolae plus, quam vulgo creditur, ad frustrandam prorsus pacis religiosae spem et ad excitandum bellum Smalcaldicum fecerunt; a scriptoribus pontificiis, ubi asperrimum Lutheri scriptum

1) Seckendorf, l. c. III, p. 536 s.

memorant, callide vel praetermitti vel excusari solent.[1] Quarum causas et rationes accurate exponam.

Pontifex Caesari varias ob causas irascebatur, maxime propterea, quod magnam quandam exspectationem suam ab illo deceptam esse videret. Quippe per plures jam annos nihil avidius expetiverat, quam ut spurii sui filio Octavio, qui notham Caesaris filiam in matrimonium duxerat, Mediolani Ducatus, nobilissima ac florentissima regio, daretur. Quod desiderium Carolo, postquam animum ejus per familiarissimum Cardinalem Carpensem praeparaverat, ejus conveniendi causa Buxetum profectus, coram exposuit, atque foedus cum eo ineundum et auxilia contra Franciscum regem, si pacem hic non acciperet, ferenda promisit.[2] Eam rem ad finem tunc non perductam Caesar anno post, quum in Germania per Alexandrum Farnesium Cardinalem denuo tentata esset, prorsus rejecit. Inde ascensam Pontificis iram mirum quantum auxere decreta Spirensia, quibus in Germania totum imperium suum periclitari ei visum est. Quare irae admiscebatur, ut Pallavicini verbis utar, ‚ingens molestia et timor propter impunitatem aequalitatemque cunctis in rebus impertitam haereticis.‘ ‚In Carolo non adeo levem esse morbum ratus, qui levioribus remediis curari posset, liberis reprehensionibus ac severis minis uti constituit.‘ Itaque de ejusmodi epistola sive diplomate, quod dicebatur, per tres menses in pluribus Cardinalium consessibus deliberatum est.[3] Quod scriptum denique placuit, id per Oedatium Brixiensem, qui Paulo a cubiculis

1) Sic a Brischar in: ‚Controversen Sarpi's und Pallavicini's.‘ Ranke brevissime epistolarum illarum mentionem facit: Deutsche Geschichte etc. IV, 253. 255. Quarum una tantum Sleidano (lib. XVI initio) et Sarpio (lib. I, fine) nota fuerat.

2) Sarp. l. c. lib. I, fine. Contra Pallavicinum (V, 3, 1—10) cf. Ranke, Päbste I, 162—164; III, 36. Brischar l. c. p. 131: Papam Buxeti ut Mediolanum Farnesiis daretur petivisse fatetur, foedus contra Galliam promisisse negat; serio de pace concilianda esse actum. Id sine dubio congressui praetendebatur sicut narrat Pallavicinus (V, 2, 1—5), sed tradit hic ipse, teste Sadoleto jam antea rumorem circumlatum esse, iter a Papa suscipi Suorum utilitatis, non publicae cunctorum quietis causa (V, 3, 10). Neque tam stultus erat Paulus, ut aut Franciscum I. Mediolano, quod suum esse voluit, Farnesiis dato pacem accepturum esse, ant Caesarem sine initi foederis pretio tantum regnum Octavio traditurum putasset. Quare ipse Pallavicinus circumspectior est, quam ut talem honestandae rei rationem, quam a Jovio et Belsario tentatam esse dicit (V, 3, 5) non rejiciat. Videt totam rem, ut Papae memoria vindicetur, negandam esse.

3) Pallav. l. c. V, 5, 5; 6, 20.

erat, ad Carolum missum est. Easdem litteras Papa per episcopum Cavensem cum omnibus Germaniae Principibus Romanocatholicis communicari jussit. Caesari de ea re questo respondit, ‚id ei potius gratum esse debere tanquam excusationem legitimam revocandi promissa sibi ab aliis extorta, dum ea cerneret a Christi Vicario damnata.' Diploma illud totum vulgavit Pallavicinus; addit se Romae vidisse alterum ejus exemplar minacius et acerbius, quod postea prudenti consilio temperatum esse cum laude memorat, expositis pluribus ejusdem rei causis. Prius istud et minacius diploma ipse non edidit, sed in tabularia occultum manere voluit; quod typis expressum imprudentiori demum Raynaldo debemus.[1] Etiam hoc vel jubente vel permittente Paulo III. Germanicis Principibus missum est. Id vero ne Pallavicinus quidem noverat; tantam scilicet malignitatem in probissimo, quem describit, Papa suo non divinavit. Haec duo igitur exemplaria ejusdem epistolae in Germania pro diversis epistolis habebantur, a Papa ad ipsum Caesarem missis; quas duas etiam Lutherus legerat et in scripto suo respicit.[2]

Utraque ad Caesarem epistola superbissimi papatus, qualis medio aevo floruit, ingenium spirat. Oratio est tanquam barbari capucini cujusdam, a viro docto elegantis latinitatis dictionibus induta. Papa Carolo dilectissimo filio, quem vocat, quasi conscientia coactus virgam minatur: moreri se ait Eli sacerdotis exemplo, quem propter nimiam in filios indulgentiam Deus subita morte mulctarit. Factum enim esse in Carolo filio quod dicat apostolus, corrumpi bonos mores colloquiis malis. Corrupti vero Caesaris mores Papa judice propterea existimandi sunt, quod patriae amore ductus iis, quibus solis fieri potuit, condicionibus pacem cum Protestantibus composuit, quod de religionis discidiis in colloquiis, Comitiis, synodis agi cum illis voluit, quippe qui fortasse teste Erasmo multa recte monerent et docerent, quod denique cum Conciliis Constantiensi et Basileensi ecclesiis, nationibus, Principibus jus vindicavit reformationis necessariae etiam sine Pontificis mandato deliberandae. Propter haec igitur commissa flagitia Papa perterrere eum studet congestis ex toto vetere testamento eorum poenis, qui sacerdotii jura affectarunt, ut Ozae, Dathan, Abironis, Core, Oziae. Non minus horrenda exempla ex historia partim fabulosissima conquirit; sic Friderici secundi Caesaris mentionem facit, quem strangu-

---

1) In historia anni 1544, n. 7.

2) Quod primus demonstravit Seckendorf l. c. III, p. 479 ss.

latum interiisse ait, ipso filio carnificis munere fungente, facinus ex Curiae mente laudabilissimum. Imitandum vero ponit quod de Constantino Magno contra notissimam veritatem impudenter fictum est, quod ipse nihilominus ‚ab historiarum scriptoribus qui adfuerint' narrari non minus impudenter affirmat, scilicet recusasse eum judicium de sacerdotum disceptationibus, dicentem: ‚Deus vos constituit sacerdotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; vos autem non potestis ab hominibus judicari.' Ex Eusebio notum est, Constantinum justo magis in sacerdotum disceptationes se immiscuisse, Papa vero fabulam illam sumpsit ex Gratiano duodecimi seculi scriptore.[1] Post ejusmodi declamationes et jactationes in fine Caesarem ad Concilium invitat, non jam ut ibi cum Protestantibus disceptetur, sed ut judicium de iis fiat, quos jamdudum condemnatos esse dicit; postulat, ut quae per nimiam indulgentiam rebellibus contra sanctam sedem et contumacibus concesserit, ipse rescindat ac tollat.

Haec in eo diplomate leguntur, quod ad Caesarem missum est; in altero quanto vehementius cum illo expostulat Papa, paucis exemplis ostendere sufficit. De decretis Spirensibus hic ita agitur, quasi iis concessis Imperator a fide defecerit, quippe qui sic manifeste declaret, se in Protestantium aggregari societatem et eandem fidem profiteri, quam scelerata et adultera illa factio praedicet, quam vero sedes apostolica cum omnibus catholicis ecclesiis anathemati subdiderit. Si ille postulaverit ut Concilium esset in Germania, quasi ibi tantum posset esse christianum et liberum, ubi maxime Lutherana factio vigeret et praestaret ceteris, id ex illius mente licere ita interpretari, christianum esse quod fuerit Lutheranum. Sed ut Concilium sit christianum, non oportere illic haereticos admisceri, tanquam sint illi pars Concilii. Denique ‚Nolumus', inquit ‚o Caesar, duris ullis verbis malum exulcerare et tamen veritatem continere non possumus, ad quam si aequo animo respicias, erit tibi profecto salutare. Quid ignominiosum tibi magis, quid majorem tibi potest conflare invidiam, quam quod dicatur Carolus Imperator Lutheranus?'

Utrumque diploma ex ipsius Papae animo scriptum esse, nemo est qui negare possit. Commisit quidem rem Senatui Purpuratorum, sed illic, ‚plene fere omnes ab eo purpura donati ab ejusdem voluntate pendebant.'[2]) Neque qui vel mediocriter mentem ejus perspexe-

1) Caus. XI. quaest. 1. Cf. Seckendorf l. c. III, p. 485.
2) Verba Pallavicini V, 3, 6.

rit dubitabit, quin tantum Principem publice tam acerbe perstringens privatae vindictae et ambitioni se satisfacere gavisus sit. Simul vero omnia ad sui imperii utilitatem quam astutissime accommodaverat. Quamquam enim rerum Constantiae gestarum nunquam immemor Carolum, si cum Concilio universali vel cum synodo nationali ad reformandam ecclesiam conjunctus esset, summopere timebat, tamen optime cognoverat illum, nisi fulcris illis sustineretur, unum solum in rebus ad religionem pertinentibus nihil intra ecclesiam Romanam contra Papam valere, neque eum vel pro imperatoriae dignitatis rationibus, vel pro praevalente gentium subditarum opinione, vel pro sua ipsius, qualem saepissime testatus fuerat, sententia ad Protestantium partes prorsus transire posse. His rebus fretus Pontifex coram orbe adversus eum inaudita illa convicia postulataque proferre ausus est, quae quum ille pari acrimonia publice recusare non posset, vulgatae litterae pro ‚papalis auctoritatis tropaeo'[1] a multis habebantur, Protestantibus vero et in suspicionem adduxerunt fidem Imperatoris tantam expostulationem tacite ac patienter ferentis, et omnem spem, si quae supererat, praeciderunt Concilii illius christiani ac liberi, cujus partem ipsos pariter atque antea colloquiorum de religione habitorum futuros esse Caesar promiserat. Itaque Pontifex pacem, quam inter Caesarem et Protestantes conclusam periculosissimam suo imperio cognoverat, satis callide turbavit.

Errat sane Pallavicinus quum dicit, diploma illud a Caesare sine animi perturbatione exceptum esse, quippe qui jam antea, quae Protestantibus Spirae indulserat, ex se damnasset. Etenim in mandatis, quae sequente anno ministris suis de Comitiis Vormatiae habendis dedit, in decretis Spirensibus subsistit, a clandestinis Papae consiliis, quibus praetenso Concilio pacem turbare pergat, cavendum esse monet, de reformanda ecclesia et a Protestantibus et a Romanocatholicis sententias ferri vult; denique etiam de diplomate illo, non minus Imperii statibus quam sibi ipsi molesto, in Comitiis agi posse censet.[2] Haec omnia nimirum nesciebat Pallavicinus. Prorsus vero ridiculus est, ubi multis verbis magnanimam Caesaris pietatem extollit, qua ‚acerba illa monita a Christi vicario sibi denuntiata reverenter exceperit et obsequenter servaverit.'[3]) Ridiculum dico, quia paulo post

1) Pallav. l. c.

2) Ex archivo Bruxellensi haec deprompsit Ranke: Deutsche Gesch. etc. IV, 255.

3) V, 5, 5.

mirifice se ipse refellit, tradito ipsius Caroli ad Papam responso, quod quum apud Oedatii illius Brixiensis familiam invenisset, nimis curiosus historiaq scrutator erat, quam ut tam pretiosi monumenti argumentum non proderet.[1] Scripsit nimirum Caesar Papae, ‚se ad omnia opprobria contra se jactata responsurum esse suo tempore, loco et opportunitate atque ostensurum, tot tantaque reipublicae christianae incommoda non sibi culpae vertenda esse, sed se semper ut probum Caesarem et catholicum Principem deceret, debita ratione etiam sanctae sedis habita, occurrere ac mederi illis incommodis studuisse; quod si unusquisque idem pro suo gradu, statu et condicione perfecisset, haud eventura fuisse incommoda illa, in quibus nunc respublica christiana versaretur; id se ita comprobaturum esse, ut veritas omnem errorem, simulationem, calumniam everteret.‘[2]

---

1) Lud. Pastor: Die kirchlichen Reunionsbestrebungen etc. p. 296 falso dicit Carolum nihil ad Papae diploma respondisse ejusque rei laudabiles quas ipse fingit causas affert quasi certissimis eorum, qui Carolo adfuerunt, testimoniis firmatas.

2) Legitur haec epistola apud Pallavicinum V, 7, 1. Quae quantopere repugnet iis, quae supra (V, 5, 5) de pia reverentia, qua Carolus acerba Papae monita excepisset, dixerat, facile apparet. Etiam cum iis, quae in fine capitis VI. dicta sunt, minime quadrat, sed argumentorum nexum mire interrumpit. Unde eam a Pallavicino postea demum, quam cetera scripserat, interjectam esse concludo. Paucissima verba addidit, ut nexus cujusdam species restitueretur. Haec igitur omnia serius addita infra circumpositis uncinis significabo. — In fine capitis VI. insignem sapientiam et temperantiam, qua Pontificalis illa epistola ad Caesarem scripta esse ei videtur, multis laudat verbis, quibus haec sunt extrema: ‚D'altro modo — scilicet non adhibita ejusmodi temperantia — quella contrarietà delle persone sacre non si riverisce da esso come zelante, ma si odia come appassionata, e al fine si calpesta come superba.‘ Pergit initio capitis VII: ‚Questa lettera fu portata all' imperadore per Davide Odasio Bresciano, cameriere di Paolo [e n' ebbe l'infrascritta risposta — il che non è pervenuto a nostra contezza salvo in questi ultimi mesi per opera d'un altro Davide della istessa familia, che ce ne ha communicato ancor le scritture: la risposta dunque renduta nell' idioma spagnolo suona cosi nella nostra lingua‘. — Sequuntur epistolae Caesareae verba, quae supra latine versa posuimus. Deinde ita pergit Pallavicinus: ‚Cosi fu risposto alla lettera pontificale. Nel resto] ella fu ricevuta senza risentimento da Carlo: come da principe, il cui animo, prima che la penna del papa, avea dannate le concessione fatte da se a' Protestanti.‘ — Facile ut puto quisque videbit, nisi ademptis iis, quae uncinis inclusimus cetera aequaliter non fluere neque scriptorem sibi ipsi constare. Quare hujus opus jam sub prelo fuisse conjecerim, quum curiosam illam Caesaris epistolam, inter scribendum acceptam, hoc loco interjicere constitueret.

His igitur verbis Carolus ipsi Paulo Papae turbatam reipublicae christianae condicionem culpae satis clare vertit jamque idem adversus eum odium atque contemptum prae se fert, quae haud multo post scriptis sed non editis commentariis suis ubique prodit, indignum eum tam sublimi munere esse ratus.[1] Quam vero recte ita ille judicaverit, invitus ipse Pallavicinus testis est, quippe qui ad removendum a Papa turpium arcanarum Buxetanarum crimen id maxime urgeat, quod ille postea tam acerbas litteras ad Carolum scribere non potuisset ,si conscientia suggessisset, posse sibi a Caesare exprobrari tam indecoram aviditatem, tam impudentem simulationem.[2] Majora igitur in Pontifice, quam quae ipse scriptor Jesuita cogitari posse putabat, aviditatis et impudentiae vitia erant. Nihilominus Caesar litteris suis illius violentiam non imitatus verbis usus est satis moderatis neque responsum suum publicari voluit. Reputabat enim secum potentissimus omnium princeps, fieri facile posse, ut Pontificis auxilio iterum egeret abhorrebatque ab omnibus, quibus ipsam spiritualem Romanae sedis auctoritatem infringere videretur. Eo gravius vero alii post manifestata nova illa papalis superbiae et simulationis specimina Caesaris silentium ferebant. Non satis dura tantae immanitatis castigatis iis esse posse videbatur. Itaque permulti libello illo Vitebergae vulgato, de quo diximus, honorem Germanici nominis et conscientiam christianam fortiter vindicari gavisi sunt.

Illic enim Lutherus et medii aevi fabulis, quibus universa fere sacrarum profanarumque rerum memoria corrupta ac vitiata erat, biblicam et historicam veritatem opposuit, et ad convicia, quae Papa simulato amore paterno in Caesarem et populum Germanicum palam effutiverat, ita respondit, uti ipsi Carolo, si christiani Principis personam revera egisset, licet cautioribus verbis palam respondendum erat. Dicit nimirum Lutherus, Papam admodum sollicitum esse de Carolo filio suo, quasi propter acta Spirensia coelum terraque sint ruitura. Nihil tamen aliud comitiis illis commisisse Caesarem, nisi quod imminentem in terris Germanicis sanguinis effusionem prohibuerit, ad resistendum Turcis omnium ordinum concordiam restituerit, denique de concilianda ecclesiae pace, postquam per quatuor et viginti annos concilium universale a Papis frustra flagitaverit, Constantini, Theodosii, Caroli Magni aliorumque exempla secutus, ipse prospicere

1) Ranke, Deutsche Geschichte VI, 78 s.
2) Pallav. III, 5, 10.

ausus fuerit. Papam vero malle videre Germaniam proprio sanguine suffocatam, quam pacem in ea constitutam. Quare quum abominabilis et horribilis ista voluntas per Carolum Imperatorem non modo non successerit verum etiam impedita sit, Paulum III. ea, quae praeclare ille gesserit, pessime acta et flagitia nominare, quippe cui cum sociis suis nihil, nisi quod Romae agant, bonum videatur. Simul hunc in altera epistola sua theologi personam suscipere, adducentem Eli exemplum, qui quod filiorum flagitia non coarguerit, subita morte sit punitus. Quasi vero universo orbi satis notum non sit, quam impudenter scelestus ille veterator Papa cum filio spurio ejusque filiis ecclesiae bona profundat. Neque tamen unquam in mentem ei venisse coarguendi vel illos vel se ipsum: sic illudere patrem istum verbo divino, quo ipse cum suis comdemnetur. Multo magis eum ridere judicia hominum. Scriptum scilicet esse in decretalibus pontificiis,[1] Papam omnium judicem etiam propter atrocissima scelera, quibus se cum aliis in infernum deducat, judicari a nemine posse, nisi errans de fide comperiatur — post annum Platonis, ironice addit Lutherus. Nimirum significat, in ecclesia et curia Romana nunquam futurum esse, ut Pontifex, etiamsi vel nefandi flagitii vel manifestissimae haereseos noxius sit, in judicium adducatur. Sese, quum horrenda illa figmenta de impunitate pontificia primum quondam legisset, pro innocentia sua credidisse ait Romae has res aliasque similes serio non teneri neque fiduciam in iis poni. Sed a Silvestro Papae satellite — Prieriatem magistrum Palatii dicit — aliud se edoctum esse. Itaque facile intellegi, quam proterve illic, ubi tot tantaque mendacia pro veritate vendantur, vera fides spernatur eique congruens morum sinceritas pedibus conculcetur. Plurimos Roma redeuntes secum ferre persuasionem sive fidem Epicuream. Se ipsum audivisse illic libere dicentes: Si exstat infernum Roma superposita est. In fine primi capitis epistolae ad Romanos inveniri ‚calendarium‘ papisticae virtutis. Testes adducit probissimi fraterculi Mantuani versus:

— Petrique domus polluta fluente
Marcescit luxu. Nulla hic arcana revelo,
Sic urbes populique ferunt. —
Sanctus ager scurris, venerabilis ara cynaedis
Servit, honorandae divûm Ganymedibus aedes.

Addit Lutherus ironice in scripto suo Germanico haec verba latina: ‚Sed haec vetera, nunc honesti mores sunt.‘

1) Affert Lutherus locum pr. Glossae D. c. Si. Papa dist. 40.

Quaecunque Lutherus de pravissima morum in aula Pontificia condicione protulit, tam aperta erant omnibusque notissima, ut infitiari ea nemo posset. Inprimis Paulum III. cum filio spurio ejusque filiis bona ecclesiae impudentissime profundere, omnes lectores sciebant. Iste igitur senex, peccatis onustus, adhibitis callidissimis artibus, ut Christi vicarius imperium mundi affectabat sanctissimisque verbis abutebatur, ut suis commodis atque suis affectibus inserviret. Pro inveterata prava consuetudine et ipse eodem nomine, quo Christus Deum appellavit, Sanctus Pater a vilibus adulatoribus vocabatur. Propter ea omnia Lutherus, justa ira correptus, Pharisaicum illum Christianorum fraudatorem, Germanicis verbis ludens,[1] ut infernalem Patrem, majestatem qua fulgebat ut Satanicam, imperium quo Romae utebatur ut a Diabolo fundatum depinxit.

Quae non ita proposita ab eo sunt, ut omnem in ecclesia primatum Diaboli figmentum existimari vellet. In libello illo, quem contra Papismum satis severum quondam conscripserat ad Germaniae nobilitatem, disertis verbis ostenderat, dummodo reformatio fieret in capite et membris, primatum quendam Romani Pontificis cum jure inspectionis retineri posse in salutem Ecclesiae, inprimis ad concordiae vinculum inter ecclesias nationales confirmandum. Etiam nuperrime Lutherum ‚Reformationi Vitebergensi' nomen subscripsisse memoravimus. Ibi declaraverant Protestantes, se nequaquam rejiccre ordines et gradus, qui inter ministros evangelii jam in vetere Ecclesia propter necessitatem quandam humanam orti essent, quamvis nihil de iis rebus praecepisset Novum Testamentum; quin immo se offerre oboedientiam suam episcopis dummodo cum collegis gubernationis ecclesiasticae tyranni et parricidae piorum evangelii confessorem esse desinerent.[2] Pontifici oboedientiam non obtulerant, quum Lutherus jam similiter, atque extremis vitae annis Aonius, persuasissimum sibi haberet, illum cum Curia sua insanabili prorsus morbo laborare neque finem fore sanguinariae eorum tyrannidis et parricidii, nisi vel a Principibus christianis oppressi vel ab ipso Christo judice mundi sublati essent. Nihilominus in ultimo quoque illo vehementissimoque, de quo nunc loquimur, libello accusatorio Lutherus tyrannidem istam papalem, quam dicit a Diabolo fundatam esse, clarissimis verbis distinguit a primatu quodam dignitatis et inspectionis (sive ‚superattendentiae') ecclesia-

1) Mutat ‚allerheiligster Vater' in ‚allerhöllischster Vater'.

2) Cf. supra p. 33.

sticae.[1] Dignitatem illam sive ,praelationem' episcopis Romanis (quorum veterrimos ut confessores et martyres plus semel celebrat) libenter se concessurum fuisse ait; ephoriam sive inspectionem doctrinae ab uno episcopo per totum orbem sustineri non posse censet, neque eam unquam ab ecclesiis orientalibus Pontifici concessam fuisse passim adnotat. Eos errare docet, qui vel talem primatum derivare student ex verbo Christi ad Petrum: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam (Matth. XVI); vel ex altero ejusdem verbo: Pasce oves meas (Joann. XVI). Verumtamen non hunc errorem esse diabolicum existimat, sed alterum illum, quo Papae eadem Servatoris dicta ad fulciendum immane imperium suum ecclesiasticum et mundanum perverse trahant.

Sic eum affectare non tantum primatum dignitatis et inspectionis, sed etiam primatum ,potestatis', qua possit et episcopos tanquam eorum Dominus tyrannico more per vim subjugare, jurejurando devincire, in servitutem redigere, et omnes episcopatus suos facere, ordinare, mutare, conferre, auferre, vendere, eosdemque praeterea tributis, Palliis, Annatis innumerisque aliis malarum artium oneribus gravare et opprimere; omnes vero, quicumque talia vel facere vel ferre recusent, statim declarari Romanae ecclesiae inoboedientes, contumaces, haereticos, in aeternum damnatos, quippe qui contra Matth. XVI peccassent. Neque Papam contentum esse hac tanta tyrannide ecclesiastica, sed, dum servum servorum Dei se jactet, Dominum omnium Dominorum, Regem omnium Regum haberi velle. Quapropter triplicem Papae coronam, quam Sanctus Gregorius aliique pii ecclesiae Romanae episcopi ignoraverint, non vocari galerum episcopalem sed regnum mundi; hujus enim tres partes esse, Europam, Africam, Asiam, omnium vero dominum Papam ab adulatoribus proclamari.

Tum pergens Lutherus, ,Hoc insigne capitis gestamen', inquit, ,Christo Domino nostro proposuit Diabolus, quum illi in excelsum montem assumpto omnia regna mundi eorumque gloriam commonstraret dicens: Haec omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me. Tunc dixit ei Jesus: Abi a me Satan. Sed quomodo respondet Papa? Veni ad me Satan! si plures quam hunc mundos haberes, omnes acciperem et quidquid vel turpissimum vilissimumque facere me juberes, facerem. Haec sunt verba ejus decretorum et decretalium, ubi

1) Lutheri opp. Germ. ed. Jen. VIII 219.

omnia de ejus celsitudine, majestate, potestate agunt.' Itaque hunc primatum potestatis, hoc imperium papale tot manifestis, quas descripsimus, artibus, caedibus, mendaciis tunc maxime iterum sustentatum, Lutherus dicit neque a Conciliis ecclesiasticis neque a Principibus magistratibusque civilibus, sed a Diabolo, mendacii ac caedis patre, fundatum esse; non Christi sed Diaboli vices Paulum III. gerere omnesque ejusdem farinae Papas, Sancti Gregorii I. aliorumque prioris aevi episcoporum Romanorum dissimillimos.

Dum sententiam suam de his rebus exponit, rerum historicarum, quantum fieri illo tempore poterat, satis peritum se praebet. Quod in singulis erraverit, aequi judices facile ignoscent. In iis quae summi momenti sunt mira sagacitate rectum videt. Neque frustra se inde ab eo tempore, quo cum Joanne Eckio de simili argumento disputasset, historiae papatus operam dedisse gloriari jure poterat. Fictas et ementitas multas medii aevi fabulas, quibus Papistae nitebantur, explodit; veritatem religiose, accurate, fortiter iis opponit. Istas vero fabulas, quas inepta commenta esse docti viri probare jamdudum coeperant, propter utilitatem, licet pessima conscientia mordicus a Papis teneri ostendit, praesertim eas, quibus regnum mundi iis tam plene conferatur, ut sua dumtaxat benevolentia Imperium a Graecis ad Germanos translatum esse proterve hariolari audeant. ,Sunt', inquit, ,magni et impuri adulatores, qui Papam ad tantam, quantam conspicimus, dementiam irritamentis suis sollicitant. Dicunt enim omni jure regem eum esse super omnes reges; Neronem Caesarem debuisse Sancto Petro Romanum imperium transscribere et Constantinum Magnum jure, etiam invito et repugnante Senatu, imperium Silvestro episcopo Romano tradidisse. Inde ingenti mendacio excogitatae sunt donationes Constantini et Ludovici I. et Ottonis.[1] Atque dum Papae ejusmodi mendaciis titillari amant, stultus stultum ad dementiam adigit. Non quod vera ista credant (sciunt enim longe aliter rem se habere), sed ea pro veris ab omnibus haberi cupidissime volunt, ut Imperator et Reges male conscii sibi sint, si potestate sua contra Papae voluntatem utuntur.' Neque vero jus dominationis, quam Pontifices sibi vindicent, ab Ecclesia unquam iis datum esse Lutherus ostendit. Summa Concilia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, dominationem istam Papalem plane ignorasse; neque quidquam de eo Sanctum Cyprianum, Augustinum, Hilarium,

1) Laudat Lutherus Dist. 96 et 64.

Ambrosium, Hieronymum scivisse, nedum veterrimae Orientis ecclesiae, tot praeclarissimis et sanctissimis doctoribus insignes, sub Romanorum episcoporum potestate unquam fuerint. Immo ipsum Sanctum Gregorium I. episcopi universalis nomen recusasse. Nunc vero omnes Patres illos haereticos a Papa declarari, quippe qui oboedientiam ipsi ut capiti Ecclesiae debitam summum fidei articulum esse pronuntiet. Cujus articuli ne levissimum quidem vestigium illos in Christi verbis invenisse, quibus Papistae nunc ad probanda somnia sua uti soleant.

Horum argumenta quam inania sint, Lutherus religiose demonstrat solidissimis rationibus, quarum summam quam brevissime complectar. Se litem virorum doctorum, quorum nonnulli Petrum Romae nunquam fuisse contenderint, non dijudicare ait; ex Novo Testamento apparere id certe falsum esse, quod narrent, Petrum Romanam ecclesiam fundasse ejusque episcopum per viginti quinque annos fuisse; omnino eum fuisse episcopum Romanum temere asseverari; ut vero fuerit, tamen inde nullo jure concludi, si quid forte privilegii Christus Petri personae contulerit, id quasi successione ad omnes episcopos Romanos transiisse. Denique quisquis sana ac religiosa mente Novum Testamentum pervestigaverit, eum dubitaturum non esse, quin tale imperium, quale Papae sibi arrogassent, Christus ad Petrum nunquam detulerit. Qui quum prae ceteris apostolis sed omnium nomine fidem Christo ut Filio Dei habitam confessus esset, hunc ei non aliam vim atque potestatem mandasse atque paulo post iisdem fere verbis omnibus apostolis.[1] Pontificios vero, quum Petrum caput et dominum ecclesiae constitutum esse fingant idque gravissimum fidei articulum esse praetendant, reapse sicut summis sanctissimisque priorum seculorum doctoribus, ita etiam ipsis apostolis haereseos maculam inurere. Qui si ex istorum sententia orthodoxi fuissent, primarium officium iis habendum erat, ut omnibus Christianis oboedientiam et observantiam, quam Petro ut Christi vicario deberent, diligentissime inculcarent. Quod quomodo etiam ibi neglexerint, ubi neglegi nullo modo poterat, dummodo Petrus eandem potestatem, quam nunc Pontifex sibi vindicaret, jure sibi sumsisset, id Lutherus pluribus clarissimis exemplis illustrat. Inprimis Papis, si sibi constent, Paulum ut haeresiarchum reformidandum esse declarat, quippe qui tot epistolis ecclesias ab eo conditas nusquam primatus Petri commonefaciat, sed satis libere de eo judicet, inter eos, ,qui columnae esse

1) Cf. Matth. 16, 19 cum 18, 18.

videbantur, post Jacobum illum nominet seque ipsum ei parem exhibeat,[1] Christianos vero non super Petrum, sed ,super fundamentum apostolorum et prophetarum' ita aedificatos esse dicat, ut Servator ,summus angularis lapis' sit.[2] Immo ipse Christus melius placeret Papistis, si ita diserte dixisset, ut verba ejus satis violenter interpretantur, exempli gratia: Ite (hoc est tu Petre vade solus) in mundum universum (hoc est Romam) et praedicate (hoc est ordina Papam qui Vicedeus et Dominus sit) omni creaturae (hoc est qui potestatem habeat super episcopos, imperatores, reges, coelum et terram).[3] Qui crediderit (hoc est qui Papae se subjecerit) et baptizatus fuerit (hoc est qui Papae pedes osculatus fuerit), salvus erit (hoc est haereseos non damnabitur); qui non crediderit (hoc est qui se non subjecerit), damnabitur (hoc est haereticus est).

Itaque Lutherus, quia penitus perspexit argumentorum, quibus imperium papale fulciebatur, vanitatem et futilitatem, cum hilaritate quadam Papistas deridet atque traducit, quod in vexando Christi verbo illo ad Petrum dicto tantopere laborent, praesertim quum inde id quod velint probari posse etiam inter summos eorum jurisperitos duo, Joannes Teutonicus et Panormitanus, infitientur. Quippe multo facilius usitatis exegeseos papalis praesidiis ea, quibus delectentur, ex quovis Scripturae Sacrae loco derivari posse. Affert ridiculam notissimi Geneseos loci interpretationem in litteris obviam, quas Pontifex quidam ad Imperatorem Constantinopolitanum in Decretalibus dedisse fertur:[4] ,Nonne legisti Deum fecisse duo magna luminaria, solem (id est Papam) et lunam (id est Imperatorem)? Jam quanto sol major est luna, tanto praecellit Papa Imperatorem.' Addit glossatorem ex eo loco acute supputasse, Papam quadragies septies Imperatore majorem esse. Scilicet in omnibus creaturis, scriptum, depictum, expressum istis videri Papam esse caput, dominum, judicem omnium. Quare magnopere miratur quod Papa innumeros Scripturae locos, velut lucidissima testimonia, in suum usum non verterit, verbi causa ex primo capite Jesaiae: Novit bos dominum suum (hoc est Papa Romanus est dominus super omnia) et asinus praesepe possessoris sui (hoc est orbis christianus mancipium est Papae). Luminosis, inquit, ejusdem generis documentis plenissima sunt Biblia; huc trahi possunt etiam logica et parva logicalia, verbi

1) Gal. 2, 9. 14.
2) Eph. 2, 20.
3) Affert Lutherus ex jure canonico c. omnes.
4) Laudat locum, ex capite Solitae 6. X. de majoritate I. 33.

causa: Nullus et nemo mordent se in sacco (id est Papa est caput Ecclesiae); Propositio hypothetica (id est Papa) induta cappa categorica (id est in urbe Roma) sedet in arbore Porphyriana (id est caput ecclesiae universalis) et devorat genera et species (id est habet potestatem condendi leges) et sic deinceps. Postea Lutherus, aliis seriis interjectis, jocose etiam versus Virgilii et Ovidii, immo cantilenam popularem Germanicam inducit, quae omnia papistico more commentari facillimum sit.

Jam ex hoc ipso vero tanto, quanto Papistae laborent, et Sacrae Scripturae et sensus communis abusu, omnibus sinceris Christianis cognoscendum esse ostendit, Papas non esse veros pastores, sed, quales Christus in parabola describit, mercenarios, immo ,fures, qui furentur et mactent et perdant.' Recordatur nimirum sanguinaria istos tyrannide jamdiu furere in veros pastores evangelicos, cujus rei novos nuntios undique tunc ad Germanos venisse memoravimus. Falso igitur eos sibi assumere quae Christus ad Petrum dixit: Pasce oves meas. Quibus verbis alia esse a Domino addita, de futuro apostoli martyrio: ,Cum junior esses cingebas te et ambulabas; quum autem senueris extendes manus et alius te cinget et ducet quo non vis.' ,Hic vide, mi amice', inquit Lutherus, ,quid sit oves Christi pascere, nimirum gratuito iis servire, evangelium annuntiare et mercedis loco exspectare, ut cingamur et ducamur, id est ut de vita bonisque omnibus periclitemur. Quis illud faciet, nisi qui propter Christum et amore ejus ad faciendum paratus fuerit? Sic apostoli paverunt, sic Romanae ecclesiae episcopi, Fabianus, Cornelius, Sixtus, qui pro grege fuderunt sanguinem et martyres facti sunt. Sic et nos hodie pascimus. Nam Papa ejusque sectae consortes jam hisce viginti annis complures ex nostris cinxerunt et a domo, rerum possessione, uxore, liberis abreptos ad carcerem, exilium, ignem, aquam, gladium duxerunt idque propter solam pastionem illam evangelicam. Neque adhuc cessant. Etenim propter eandem causam jam pridem nos morti destinaverunt summaque sollicitudine punctum illud temporis exspectant, quo tandem aliquando permittente Deo (id quod compluries summo studio tentaverunt) nos cunctos cum nostris Principibus, terris, gentibus, scholis, ecclesiis ita cingant et ducant, ut ne levissima quidem omnium vestigia relinquantur. Itaque in tanto discrimine rerum adhuc usque nos versari oportet.'

,Utinam Imperatores et Reges, semel tandem Christianos et Christi ministros se esse recordati, sua auctoritate Papam eo addu-

cerent, ut praeter Romanum episcopatum nihil amplius sibi arrogaret, sed cum veterrimis suis antecessoribus veri episcopi sive pastoris munus susciperet et duabus illis sententiis: Pasce oves meas, atque: Aedifica ecclesiam meam super petram, opere responderet. De talium pastorum inopia queritur Christus: messis, inquit, magna est, operarii vero pauci: rogate messis dominum, ut operarios mittat in messem suam. Totus certo mundus patet. Quare qui pascendi cupidus est sive ut Paulus apostolus dicit, qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. — Atqui Papa respondet: Ego istud pascere non hoc modo intellego. — Quomodo igitur intellegis, mi Papa? — Sic quidem. Putabam me Petri nomine omnes Reges et totum orbem posse perterrefacere, ut ipsi se mihi pascendos ut servos submitterent, ego vero, cum prophetarum meorum acclamatione Rex Regum et Dominus Dominorum factus, antiquum imperium Romanum restaurarem idque potentius ac majus quam unquam erat Augusti et Tiberii Caesarum aetate. — Eheu, Papa, nonne times Deum, ne propterea, quod verba ejus tam sceleste adulterasti et depravasti, coelitus fulmine te ictum et dejectum in altissimum infernum praecipitet?'

,Ego profecto, si penes me essent res imperii, non ignorarem quid faciendum esset. Juberem istos omnes, Papam, Cardinales et satellitium eorum cingi atque non amplius tribus milliaribus a Roma Ostiam duci. Illic est mare Tyrrhenum, balneum mirae virtutis ad sanandos omnes morbos et languores papalis sanctitatis. Ibidem molliter eos balneandos curarem. Qui si fortasse, ut phrenetici solent, ab aquis abhorrerent, darem iis, quo tutiores essent, secum ferre petram, super quam cum ecclesia sua aedificati sunt, darem ad imperandum aquis etiam claves, quibus omnia in coelo et terris ligare et solvere posse sibi videbantur, darem et virgam pastoralem et pedum, quo aquae faciem pulsarent, darem denique pascui sui pabula, quibus inter balneandum recrearent, qualia sunt Decreta, Decretalia, Clementinae, Extravagantes, Indulgentiae, butyri, caseorum, lactis Brevia. Haec omnia, ne usquam tuti non essent, cervicibus eorum imponerem. Tunc si vel per dimidiam horam tam salubri balneolo operam dedissent, omnis morbus, languor, mala valetudo ab iis decederent.'

Tali judicio eos dignos esse censet, qui effrenata dominandi libidine ducti omnia divina atque humana profana mente miscuissent. Ipse enim suo jure sperat, se tanta argumentorum evidentia Papam Christi vice non esse mundi dominum ostendisse, ut nemo recti bonique conscius aliter credere et fateri possit. Addit in Christianitate

omnes ecclesias esse pares, unitatem vero catholicam (hanc enim semper retinet) in eo esse positam, ut unum sit omnium sensus et animus, unus Deus et Christus, idem evangelium et spiritus, eadem sacramenta, eadem oratio dominica et preces, eadem spes et vita aeterna. Paulum apostolum nos docere de varietate donorum spiritualium,[1] qua varia unius corporis membra sumus sub uno capite Christo; sed hac varietate ne minime quidem omnium Christianorum paritatem ita tolli, ut in rebus fidei unus Christi vice sit dominus, ceteri servi. ‚Audi', inquit Lutherus, ‚audi ipsummet Sanctum Petrum, illum inquam qui apostolus est, neque Papae Petrum, qui infernalis Satan est sub nomine Petri; audi, inquam, verum Sanctum Petrum, qui in epistola sua ad suos episcopos in Ponto, Galatia, Asia, Bithynia sic scribit: ‚Presbyteros qui inter vos sunt, obsecro, qui sum et ipse presbyter et testis Christi passionum idemque gloriae, quae in futuro revelabitur, consors: pascite eum, qui apud vos est, Dei gregem. Ecce, Sanctus Petrus vocat se compresbyterum sive conseniorem, id est compastorem sive compraedicatorem, nec vult supra eos efferri et exaltari sed par iis esse quamvis se sciat esse apostolum.'[2]

Haec libelli summa est. Ex qua intellegi aliquatenus posse spero, quanta in eo circumspicientia, doctrina, ingenio Lutherus usus sit. Neque quisquam, si Paparum illius temporis machinas vere diabolicas quas supra descripsimus religiose examinaverit, contra eas Lutherum justa ira nobilique affectu invectum esse infitiabitur. Cujus verba adversarii male interpretantur, quum eum quasi privato odio capitali et implacabili in Papam flagrasse sibi fingunt. Hunc potius ut scelestum hominem et hypocritam, coram universa republica christiana sanctissimo munere foedissime abutentem, ab Imperatore Regibusque christianis non aliter judicandum esse censuit, atque quondam complures praedecessores ejus sub Sigismundo a Concilio Constantiensi exauctorati essent. Quae addidit de Papa in mare Tyrrhenum praecipitando, non ad litteram accipienda esse jam inde apparet, quod cervici ejus famosissimam Pseudo-Petri petram et claves imponi voluit. Rudi illo atque agresti loquendi modo, de quo supra diximus, in hoc maxime libello Lutherus justo saepius utitur. Certa quaedam Papismi

1) 1 Cor. 12; Rom. 12.

2) Cf. 1 Petr. 5, 1. 5. Haec Lutherus posuit in fine primae libri sui partis, ceteris multo amplioris et gravioris, cujus idoneis locis secundae et tertiae partis sententias primarias brevi contractas adjecimus.

proterva mendaciaque decreta et decretalia, ut contemptum suum prae se ferat, germanice drecketa et drecketalia (quasi excreta et excretalia) plus semel vocat. Similitudines haud suaviter olentes, quales Erasmus parce adhibet (quum verbi causa dicit, monachos oppedere ipsis Papis simulatque eos sibi non oboedire videant) Lutherus nimis copiosas sine dubio profundit. Ejusmodi stilo, quo etiam nos ne minime quidem delectamur, illum veritati, quam scripto suo alias egregie defendit, apud multos et suo tempore obfuisse et nunc obesse concedimus. Nihilominus superabit veritas. Ex scripto illo singulos locos duriores, incomptos, indecentes excerpere facillimum est, ex iis cetera omnia judicare et condemnare ineptissimum. Errant qui in Luthero rusticos illos ac foetidos, ut ita dicam, sermones tunc temporis inauditi aliquid fuisse putant, iisdem enim uberrimis haud raro etiam Principes scripta, quibus se invicem impugnabant, ornasse constat.[1] Facilius profecto coram incorrupta conscientia haec prava consuetudo magno viro adhaerens excusabitur, quam incredibilis Pauli III. intemperies, fallacia, perversitas, quibus eleganti latinitate involutis, eum scribendi ansam illi dedisse vidimus. Dicit ipse Lutherus: ‚Mi frater in Christo, boni consulas quidquid vel hic vel aliis locis liberius et contumeliosius de pestilenti isto monstro loquor; sed nulla animi agitatione complecti possim sceleratam desperatamque ejus blasphemiam, qua abutitur verbo et nomine Domini et Servatoris nostri Jesu Christi posteaque eos, qui glossis suis fidem habent ipsumque Christum suaviter deridet risuque gaudet, dum magna pompa praedicare se pergit Christi vicarium, qui sua sanctitate omnes homines salvos faciat.‘

Quanto haec jure dicta essent neminem fugiebat, qui Paulum III., pharisaicum Caesaris monitorem, sui nothi filii nepotumque astutum ac protervum fautorem, paulo accuratius noverat. Qua de causa libellum illum multi tunc viri optimi, etiam qui non omnia in eo probabant, quasi laudabilem justitiae publicae actum esse censuerunt. Scapham tandem aliquando scapham vocari ajebant; immodicam ac servilem vulgi erga Pontificem pietatem, licet saevis passim et indecoris verbis, tamen pro merito redargui. Joannes Fridericus Elector, quod Lutherus ‚securim arripuisset‘ valde gavisus est. A bibliopola viginti scripti exempla emit, haud pauca in ejusdem anni Comitiis Vormatiae congregatis distribui jussit. Illic ipse Ferdinandus Rex, qui jam tunc Vicelio Erasmiano valde favere dicebatur, totum librum

1) Cf. Koldewey, Heinz von Wolfenbüttel p. 14 ss.

perlegit de eoque judicavit, si verba aspera expungerentur, haud male cetera a Luthero scripta esse.[1] Quae quare perplacuerint Regi facile ad intellegendum est. Ille enim prae plurimis aliis et sciebat et sentiebat quam recte se haberent, quae Lutherus de Curia ut officina nequitiae his verbis dixerat: ,Maximilianus nihil magis conquerebatur, quam quod nemo Pontificum fidem sibi servaverit. Neque mediocres perfidiae machinas Carolum hunc quintum in Leone X., in Clemente VII., in Paulo III. expertum esse puto.' Atque speciatim de nefandis artibus et dolis, quibus Curia, dum pacis studiosissimam se simularet, Caesaris et Regis Galliae discordiam in suum commodum vertisset: ,Considera arcana istorum nebulonum consilia, quae eo unice spectant, ut duorum capitum discordiam perpetuo alant atque duabus sellis sedentes nunc huic nunc illi parti, quocunque ventus tulerit, sese accommodent, ne scilicet Reformationis vel Concilii periculum iis metuendum sit.' Adde quod Ferdinandus profanam illam superbiam detestabatur, qua Pontifices imperium mundi vindicare sibi studebant. Optime denique noverat, quamobrem Papae ea tantopere respuerent, quae ipse cum Carolo fratre jam diu flagitaverat, Concilium universale liberum et reformationem Ecclesiae. De his omnibus eadem fere sentiebat quae Lutherus dixerat. Qui si eadem minus atrociter enuntiasset, Regem propius ad eum accessurum fuisse haud pauci putabant.

Immo erant qui dicerent, Lutherum sibi ipsi acerbitate sua illa plus damni afferre, quam ab adversariis pateretur. Quorum verba licet prorsus commenticia non dixerim, tamen illi vim veritatis in ipsa rudi Lutheri asperitate positam pro merito non ponderabant. Quare quum de his Joanni Friderico Electori Legati ejus retulissent, ipse per litteras respondit, ,Doctorem Martinum habere spiritum singularem, qui modum sibi imponi non patiatur; illum abominanda Papatus scelera

---

1) ,Wenn die bösen Worte heraus wären, hätte der Luther nicht übel geschrieben.' Haec Ferdinandum dixisse, Daniel Stibarus, ex nobilitate Franconica, vir doctus et moderatus, Legatis Saxonicis narravit. Seckendorff lib. III. p. 556.

2) In Germanico libello haec alia adhibita similitudine ita dicta sunt: ,Da siehe mir die verzweifelten Buben an, was sie im Sinn und in ihrem heimlichen Rat haben, nämlich daſs sie wollen die zwei Häupter uneins behalten und eine Zwickmühle haben, damit sie sich jetzt zu diesem, jetzt zu jenem, darnach der Wind gehet, halten mögen, daſs sie dieweil . . . für der Reformation oder Concilium sich nicht fürchten dürfen.'

tam clare descripsisse, ut quilibet ea deprehendere et cavere possent; majora esse ejus consilia quam quae plerique perspicerent; itaque ferendos esse hominum sermones.‘ Similiter tunc haud pauci, qui Pontificiorum scelerum testes fuerant, summi viri, Melanchthon, Pontanus, alii sentiebant, similiter postea, eadem scelera illa accurate perscrutati, probissimi rerum gestarum scriptores. Ex his unum Sleidanum afferam, qui de saevis illis ac rusticis Lutheri dicteriis ludicrisque ita judicat: ‚Haec plerique taxabant ut parum ipso digna neque satis verecunda; sed suas ipse rationes habebat, quamobrem ita faceret, et longius prospicere credelatur; exstant alioquin in illius libris vaticinia multa de rebus gravissimis, quorum nonnulla jam comprobavit eventus, reliqua sunt adhuc in manu Dei posita.‘[1]

Quae quam recte insignis scriptor dixerit, nos ipso clarius perspicere possumus. Etenim nos eadem, quae Lutherus ad summam Romanae ecclesiae ruinam quondam futura esse praeviderat,[2] in Vaticinia Vaticano facta quasi oculis nostris animadvertimus. His similia, gravioris futurae servitutis praenuntia, ipse Sleidanus jam in patribus Tridentinis, ad quos inter Protestantium legatos venerat, praesens conspicatus, quam accurate Lutherus Pontificiorum machinas, ad opprimendam per ipsum Concilium universale libertatem christianam paratas, detexisset probe cognoverat. Quae machinae quales fuerint et quantum Tridenti effecerint, id certis documentis demonstrare nostri quoque officii erit.

Caput V.

Carolus V. ad reprimenda, quae illo seculo vigebant, ecclesiasticae reformationis studia partim ipse sua sponte, partim invitus plurimum contulit. In adhibenda vi, ut hierarchiae unitas servaretur et libertatis evangelicae propugnatores sedi Romae subjicerentur, eum non modo adjuvasse Pontificios sed etiam aemulatum esse supra memoravimus. Quod vero hae partes tantam in Concilio Tridentino victoriam reportaverunt et tanta duxerunt roboris incrementa, id contra ipsius voluntatem sed non sine ipsius culpa factum est.

Carolus de pluribus, quam plerique opinantur, rebus similiter sentiebat atque Lutherus. Ipsam maxime Curiam Romanam reformatione egere persuasissimum habebat, quod jam praeceptorem suum,

1) Commentariorum lib. XIV p. 469 (ed. Argentor.). Cf. simile Seckendorffii judicium p. 556 s.

2) V. supra p. 216.

Adrianum Papam sanctae memoriae, testatum fuisse saepius memoravit. Optime et ipse perspexerat, Pontificem, quia ejusmodi reformationem timeret, abhorrere ab universali Concilio convocando. Quare ut illum ad id, quod injuste recusaret, urgeret pro viribus ac propelleret, suum inprimis ut christiani Imperatoris jus et officium esse putabat. Neque negavit id quod dixerat Erasmus, quem ipse summi fecerat, esse quaedam quae a Protestantibus recte docerentur et flagitarentur. Quaenam vero ea essent Erasmus passim quidem significaverat, sed ut vidimus partim vel timiditate cohibitus, vel injustis Protestantium conviciis exacerbatus, partim suo ipsius judicio non confidens nunquam satis plene et clare pronuntiaverat; haud mirum quod in tam gravibus et difficilibus quaestionibus Carolus semper dubitaverit et animo fluctuaverit. De singulis rebus quid cogitaverit nescimus, quippe parcus semper et cautus in proferenda sententia erat. Pendebat praeterea nimis, id quod jam Erasmo videbatur, a sacerdotibus suis confessionariis, qua de re etiam in negotiis publicis Granvella junior queritur, dicens vel ut hydrae capita conscientiae difficultates apud Imperatorem resurgere.[1] Quod cohaeret cum morum vitiis, propter quae absolutionem sacerdotalem ille desiderans etiam in aliis interdum rebus justo plus sacerdotibus concedebat. Neque vero dubitaverim quin et in dogmatis Ratisbonae conciliatis, et in iis, quae per Interim, quod dicitur, etiam inter Romanocatholicos reformare tenaciter studuit, praecipue in quaestionibus de coacto sacerdotum caelibatu et de laicorum eucharistia agitatis, ad Protestantium sententias similiter atque Ferdinandus frater inclinaverit. Neque omittendum est, quod in ipsa Hispania eos, qui ab Erasmi parte steterunt, contra caecos omnium veterum traditionum patronos benigne defendit. Aliquid etiam in his rebus mutandum et reformandum esse cum illo arbitrabatur. Quod tamen non ita dicimus, quasi, quae Erasmus de spiritualis christianismi libertate docuit, unquam Carolus plane intellexerit atque probaverit. Plus quam ille Adrianus apud eum auctoritate valebat. Haud frustra jam a tenero edoctus erat, haereticos esse comburendos.[2] Eo animo in terris suis et Hispanicis et Nederlandicis agi voluit. Similia in Germania perpetranda se mente volvere semper negavit. Quod utrum perspecta mitius illic agendi necessitate an aliis causis perductus fecerit in obscuro est, praesertim quum publicae utilitatis causa

1) Ranke Gesch. Deutschl. V, 76.
2) Ibidem III, 80.

impudenter mentiri promissaque parum sincera dare cum plurimis sui temporis Papis ac Principibus haud facile dubitaverit. Pro certo habemus, eum et serio nisum esse, ut Protestantibus, quatenus jure quaedam postulare ipsi viderentur, satisfaceret et his concessis, nisi Pontifici et episcopis se subjicerent, armorum vi cogere illos sibi proposuisse. Idque cum propter civiles rationes officii sui esse existimavit, tum propter religionis curam divinitus sibi commissam, sicuti etiam postremis vitae diebus Deum invocare solitus est his verbis: In manus tuas commendo ecclesiam tuam. Quare inter omnes controversias de religione in Germania agitatas simul universam rempublicam christianam mente amplectebatur. Cujus vinculum in fidei et sacerdotii unitate positum ut ubique inviolatum et sacrosanctum servaretur, prae ceteris Pontifici et Caesari pro suo cuique munere invigilandum esse ac si opus esset etiam vim externam adhibendam censuit, hac ex parte totus medii aevi ingenio imbutus, sed ita ut Caesaream potestatem nequaquam pontificia inferiorem, immo vero se ad eam, quantum fieri posset corrigendam si officio illa vacaret, vocatum esse opinaretur. Nihilominus ubi conjunctim cum Pontifice agere instituit, etiam allatam sibi ab eo injuriam oblivisci paratus erat.

Itaque Carolus, quum Protestantium ope, qui patriae salutem propriae securitati praetulerant, ad majus quam vix antea potentiae culmen pervenisset et pace cum victis Gallis minusque gloriose cum Turcis composita totus ad res internas se convertere posset, mox illos, futuri Concilii universalis decretis oboedientiam promittere nolentes, debellare cogitavit et ad id, propriis viribus diffisus, Pontificis argento armisque tunc temporis satis validi auxilium petivit. Egit de ea re, jurisjurandi cautione de silentio adhibita, cum Alexandro Farnesio Cardinali, quem avus Papa ad eum miserat. Hic de Caesaris consilio certior factus respondit, ad tale opus Pontificem illi non tantum cum omni argento, sed etiam cum proprio regno suo fore adjutorem.[1] Tunc demum inter utramque partem de Concilio Tridenti auspicando convenit. Quod non prius Paulus convocavit, quam et implacabile esse Caesaris ac Protestantium discidium putaret, et ne ab illo cum Galliae rege conjuncto ad convocandum illud cogeretur timendum esset. Eodem tempore diri, de quibus supra diximus, nuntii caedium a Pontificiis proter religionem perpetratarum ad Germanos undique allati sunt. Sequente anno bellum Smalcaldicum exorsum est, ad quod

1) Granvella apud Ranke l. c. IV 274. Päbste I 165.

Curia Romana, similiter atque antea ad bellum inter Helvetios de religione gestum, iterum iterumque animos instigaverat. Simul Papa arrepta occasione Parmam et Placentiam filio suo Petro Aloisio dedit. In Germaniam cum magna pecunia et forti exercitu misit Octavium ex filio nepotem suum, qui ex Italia discedens dixisse fertur, se tantam esse daturum stragem per Germaniam, ut in Lutheranorum cruore equus suus natare possit. Huic adjunctus erat frater ejus, Alexander Cardinalis, velut impulsor et consiliorum Caesaris inspector.[1] Ipse avus bullam evulgavit, indulgentias, quae dicuntur, pro pace publica et haeresium exstirpatione adnuntians piumque affectum simulans erga rempublicam christianam hominumque salutem. Revera, ut clam confessus est, anxius timebat, ne Caesaris potentia, si plenam victoriam reportaret, immodice incresceret. Sperabat fore, ut variis belli domestici casibus occupatus inextricabilibus difficultatibus implicaretur. Quare quum ille mox inexspectata tropaea tulisset, Papa exercitum suum revocat, cum Rege Galliae agere iterum incipit, admonet eum, ut Protestantibus, quos in Saxonia Imperatori adhuc resistere summopere gaudet, quam celerrime subveniat, denique Concilium in urbem suam Bononiam transfert, quo factum est, ut remanentibus Tridenti iis, qui a Caesare pendebant, nihil amplius ageretur. Praeterea intermissi Concilii decreta, quibus Protestantium doctrina. imprimis de justificatione, damnata erat, invito Caesare statim publicat. Reliquam vitae partem senex atrocibus odiis, incertis machinationibus, frustrata spe peregit; rebellantibus postremo ipsis nepotibus, propter quos conscientiam et famam pessumdederat, dolore occisus est, vir a christianae religionis spiritu alienissimus, ceterum haud exigui ingenii et splendido victu et suavibus moribus plebi, ut fit, eo acceptior, quo magis exosi nepotes erant.

Tunc demum, quoniam ex Caesarea parte Julius III., vir sane admodum frivolus, Pontifex factus est, Carolus quae de universali Concilio in animum induxerat, longius persequi potuit. Initio a Paulo Papa postulaverat, ut illic primum de sola reformatione, non de dogmatis ageretur, postea, quum id assequi non potuisset, ut saltem decreta non statim vulgarentur. Protestantibus nimirum Concilium christianum et liberum saepius promiserat, in quo nihil antea de causis controversis decerneretur, quam ipsi auditi nssent. In hoc promisso, licet illos ad subjiciendum se futuris Concilii decretis vi coercendos esse

1) Sleidani commentarii lib. XVII.

conseret stare adhuc voluit, praesertim quum eos sine ipsorum quorundam Protestantium auxilio vix superasset. Ex his gratissimus ei erat, qui ceteros et ingenio et bellica virtute exsuperavit, Mauritius Saxo, quem in propinqui Joannis Friderici Electoris locum suffecerat. Quippe inter hos duos viros jamdudum rixa fuerat, a Luthero quondam composita, post mortem ejus gravius incensa. Jam igitur Carolus, dum Interim illud, quod tetigimus, Protestantibus et victis et sociis imponit, necessariis, quae videbantur, reformationibus quibusdam admissis unitatem ecclesiae in Germania restituere conatus est. A Protestantibus legatos et theologos ad Concilium a Julio Papa Tridenti iterum convocatum mitti jussit, simul vero poposcit ut his praesentibus causae controversae ante illic actae retractarentur, id quod reassumptio nominabatur. Unde apparet quam serio animo talem, qualem justam esse censebat, ecclesiae reformationem efficere studuerit. Tantum enim haereticis, qui dicebantur, toties a Curia condemnatis concedere, horribile Romanocatholicorum plurimis eo tempore videbatur, quo ii, qui similiter atque Erasmus senserant, jamjam ut vidimus vel sua morte defuncti erant, vel Inquisitorum carceribus, laqueis, rogis consumpti perierant. Nihilominus non deerant in ipso Concilio episcopi, quos irruentis servitutis pudebat quique in Protestantibus, licet non omnia comprobarent, tamen libertatem christianam laetissime salutabant. Itaque accedente Caesaris auctoritate factum est, ut in publicis Concilii documentis legatorum Protestantium mentio satis honorifice facta inveniatur. Affirmant Patres, se ‚magno desiderio eorum adventum multos antea menses exspectasse.‘[1] Vocant eos vel Protestantes, vel ‚ecclesiasticos et seculares Augustanae confessionis.‘ Fidem iis publicam sive ‚salvum conductum‘ dederant; quem quum Mauritius dux, eorum haud immemor quae Constantiae quondam facta erant, clariorem et ampliorem postulasset, morem ei gesserant. Promiserunt illorum theologis plenam potestatem datum iri, ‚una cum ipsa synodo de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, omnia quaecunque ipsis libuerit tam scripto quam verbo libere offerendi scripturisque sacris et beatorum Patrum verbis, sententiis et rationibus declarandi, ad objecta Concilii, si opus fuerit, respondendi et cum iis, qui a Concilio delecti fuerint, christiane disputandi.‘[2] His igitur promissis nihil aliud concessum est quam id quod jampridem Germani

1) Concilii Tridentini canones et decreta Sessio XIII in fine.
2) Ibidem Sessio XV. Salvus conductus.

desideraverant, Curia Romana anxio animo semper respuerat, ut in Concilio Protestantium sententiae non simpliciter damnarentur, sed de controversis quaestionibus similiter atque in colloquiis quibusdam Germanicis christiane ageretur. Quod quominus ita, ut ab ipsis Patribus congregatis sollemniter promissum erat, revera fieret, acerrimi Pontificii omnibus viribus nitebantur. Aliquatenus tamen initio anni MDLII Tridenti id factum est, quod fieri Lutherus voluerat, ut in ipso Concilio ab Evangelicorum legatis veritatis testimonium ederetur. Perterrefactae Curiae haud levi tunc temporis solatio fuit, quod novus Saxoniae Elector contra Caesarem surrexit et excitato repente tumultu bellico honestam suspendendi Concilii occasionem praebuit.

Mauritius, iujurias et cunctis Protestantibus et sibi adlatas haud frustra questus, fraudulentia ipsum Carolum vincens, in duraturum Germaniae detrimentum foedere cum Gallis conjuncto, qui tunc Lotharingiae parte potiti sunt, potentissimum Imperatorem subito fortiter perculit eumque coegit ut, quum paulo antea voluntatem suam orbi impositurus fuisset, jam omnia consilia illa, quibus reipublicae christianae pro sua sententia moderate reformandae, unitatem restituere et servare cogitaverat, prorsus relinqueret ac desereret. Quibus sane consiliis in magno quasi rerum gerendarum theatro, aeque atque in theologia Erasmus (ad cujus sententias eum in quibusdam rebus accessisse adnotavimus) neutri parti satisfacere potuit. Utriusque partis condicioni, qualis haec tunc temporis jam evaserat, nihil aliud congruisse apparet, nisi id quod post Mauritii victoriam transactione Passaviensi constitutum et triennio post pace religionis Augustana confirmatum est. Utrique nimirum parti paria jura, certis quibusdam finibus circumscripta, concessa sunt; quicunque nomine religionis bellum vel injurias aliis illaturi essent, publicae salutis hostes declarati. Quae pax, bello triginta annorum rupta, post ingentes Germaniae clades, longae miseriae, paupertatis, debilitatis causas, Vestphalicae nomine restituta est. Belli illius, sicuti antea Smalcaldici, Furiae instar instigatrix Romana Curia erat. Contra pacem Vestphalicam non aliter quam contra Augustanam Papa intercessionem sive protestationem, quam dicunt, fecit. Scilicet falsus iste Christi vicarius privilegium religionis suae gladio et igne propagandae sibi servare ipsius religionis esse putabat.

Idem animus in ecclesia Romana jam ipsius Concilii Tridentini operâ praevaluit. Quod a Julio III. in biennium prorogatum, a Paulo IV. contemptione quadam neglectum, Pius IV., vir animo satis

mundanus, post undecim annos redintegravit et ad inexspectatum finem perduxit. Tunc enim Patres, omni conciliandorum Protestantium spe abjecta, plenius quam antea de condemnandis illorum sententiis et stabiliendis dogmatis scholasticis consenserunt. Qua in re vel majorem quam antea vim praesentes Tridenti Jesuitae exercuerunt. Sed ne nunc quidem tam perfecta quam exspectaveris opinionum concordia erat. Ut Jacobus Lainez Jesuita in decreto quodam id maxime laudavit, quod ‚ejus verba in utramque partem satis pie possent exponi', ita saepius formulae unitas ambiguorum verborum ope constituta est. Praeterea exstiterunt inter Patres vehementissimae altercationes, in Tridenti plateis sanguineae rixae, ex mutua diversarum gentium aemulatione ac simultate ortae. Quum quondam episcopus Gaditanus contra Papae adulatores idem dixisset, quod Lutherus in eo, quem memoravimus, libello ostenderat quodque in praesentia nemo historiae ecclesiasticae gnarus infitiabitur, nimirum fuisse quondam praeclaros episcopos et Patres ecclesiae, quos nullus Papa constituisset, clamaverunt praelati quidam Itali: Exeat, exeat! atque alii: Anathema sit; ad quos Granetensis conversus respondit: Anathema vos estis![1] Nihilominus in generali conventu, quum non, sicut Constantiae, per nationes, sed per capita suffragia numerarentur, Itali a Papae nutu pendentes voluntatem suam universae ecclesiae imposuerunt, quapropter haud semel ceterae nationes summopere exacerbatae sunt. Etiam Principes illis constanter obniti videbantur, quippe qui et Concilii libertatem contra Legatorum Papalium arrogantiam, licet plerumque frustra, vindicare studerent, et pro ficticia veram ipsius Curiae reformationem aliasque res ab optimis diversarum gentium viris desideratas efflagitare non cessarent. Inprimis Ferdinandus Caesar, Constantiensis Concilii vestigiis pressis, ut Papae meliores evaderent, coetum Cardinalium et Conclave emendandum esse monuit; praeterea postulavit, ut vernaculae linguae usus in sacris, ut Laicis coena Domini sub utraque specie praeberetur, sacerdotibus matrimonium concederetur, ut liber missalis et breviarium retractarentur et corrigerentur. Similia Poloni et Francogalli petiverunt, Hispani sane episcoporum jura quaedam a Curia intercepta recuperare nisi sunt. Omnia illa dari posse salva ecclesia catholica multi non negaverunt, ipsa Curia negare vix potuit, sed inopportunum esse contendit. Pro-

1) Paleotto acta apud Mendham Memoirs of the Concil of Trent p. 251. Cf. Ranke Päbste I 216.

pter tot tantasque dissensiones per decem aliquando menses nulla sessio haberi poterat. Etiam postea praestantissimi quidam viri de felici exitu desperantes ut solveretur Concilium suaserunt. Neque tolerabilior ejusdem condicio vel magnorum ingeniorum vi vel spiritus christiani potentia restituta est; sed iis rebus id factum, quae extra Concilium gesta sunt. Etenim Pontifex Principibus, inprimis Imperatori, per missos Legatos variis causis callide allatis persuasit, ut a postulatis suis desisterent. Ubi igitur Tridenti Pontificis et Imperatoris Legati consenserunt, subito universum Concilium, ut praesens Moronus judicavit, aliam faciem induere coepit omniaque negotia aliquanto facilius agebantur.[1] Quamquam enim etiam posteriores congregationes suspicionibus, machinationibus, tumultibus non carebant, facilius tamen quam antea pax componebatur.

Sic denique post tot discrimina rerum Concilium ad exitum pervenit, diversis ecclesiae Romanocatholicae membris aut laetum aut dubium aut tristem, prout diversa sentiebant. Namque etiam inter eos, qui externam ecclesiae unitatem summi faciunt, semper aliquam de quibusdam rebus sentiendi diversitatem manere facile apparet. Quam diversitatem qui omnino evitandam esse vel ubi emerserit statim per sacerdotium falli nescium tollendam esse serio censent, ii etiam nunc post Vaticanum Concilium ecclesiae Romanae pars sunt, non ipsa ecclesia. Tridentino igitur Concilio finito seniores atque insigniores ejus socios paucos fuisse existimaverim, qui tali exitu cum priori spe et exspectatione comparato aliquid maestitiae non sentirent. Laetabile quidem videbatur, quod post tanta ipsorum Patrum discidia ecclesiae unitas praevaluerat, gravissima dogmata ex plurimarum scholarum sententia expressa, pernesessariae quaedam reformationes decretae erant. Verumtamen multi pro iis sententiis, quas ipsi palam professi fuerant, in omnibus, quae decreta erant, plene acquiescere non poterant. Sacrificium intellectus, quod dicitur, jam tunc praedicabatur, praecipue a Jesuitis, sed non tanto ubique, quanto hodie, successu. In quibusdam tantum rebus ancipita illa verba, ad opposita sibi invicem interpretationes apta, conscientiis effugium praebuere. In aliis mirum dicebatur a nonnullis, quod, quum per tot secula diversas opiniones in ecclesia proferre licuisset, subito altera deberet pro haeretica haberi. Sic ipsius Beati Hieronymi de apocryphis Veteris Testamenti sententia, quam paulo ante summi in ipsa Curia viri, ut Cajetanus Cardi-

1) Ranke l. c. I 218 ss.

nalis, tanquam orthodoxam defenderant, Tridenti post satis levem ac tumultuariam disceptationem damnata erat, quam rem inter reassumendas, quae nominabantur, esse Carolus voluerat. Similiter quae de authentico textu Latino, de septenario sacramentorum numero, de indelebili sacerdotum charactere Concilium adjecto anathemate proposuerat, novae res erant, quatenus antea per tot secula non communis fidei christianae pars, sed sententiae disputabiles habita erant. Neque nova argumenta prolata erant, quorum pondere Concilii decreta probis ac prudentibus viris persuaderentur. Quod ad Curiae et ecclesiae reformationem attinet, nonnullas res admodum foedas laudabiliter mutatas esse concedebatur, verum alias non minus necessarias intactas mansisse apparuit; quare Lotharingius Cardinalis omnium episcoporum Gallicorum nomine declaravit et in acta Concilii referri voluit, se cunctos imperfectam illam reformationem non accipere nisi sperantes fore, ut ipsi Pontifices efficacioribus remediis defectum implerent. Pari fiducia etiam de iis opus erat, quae emendanda ipsa Patres decreverant; quippe Pontifici legibus quemquam solvendi vetitorumque veniam dandi jus manebat, cujus juris largissimum atque odiosissimum statim usum facere coepit. Post eum severiorem se praebuit Pius V., pietate caeca nimis et proh dolor cruenta, sed sincera et fervida actus. Neque postea defuerunt, qui bene decreta bene exsequi studerent. Nemo tamen qui accurate ac candide rem examinaverit, infitias ibit, multos abusus Tridenti castigatos vel semper permansisse vel semper denuo hucusque emersisse. Cujus rei exemplum venales illos Romae favores memorare sufficit, quibus ingentes saepe aulae pontificiae impensae sustinebantur.[1] Quae omnia quodammodo praevidentes in ipso Concilio sagacissimi viri, quo vera et stabilis reformatio efficeretur, necesse esse intellexerunt, ut pontificia potestas, quae magis magisque (ut cum Gallicanis theologis loquamur) in absolutam monarchiam degeneraverat, pro veteris ecclesiae exemplo et ex decretis Concilii Constantiensis certis quibusdam finibus circumscriberetur. Ea potestas ut indefinita remaneret, Curiae asseclae strenue, immo furiose, nitebantur; de ea per tot Concilii annos utraque pars, idque haud raro tumultuosissime, digladiabatur. Quare Patrum unus, Espensaeus, postea in commentariis de epistola ad Titum scripsit: ‚Haec illa est Helena, quae nuper Tridenti obtinuit.'[2] Vicerunt nimirum Pontificii, qui

1) Cf. Woker das Finanzwesen der Päbste.

2) Edm. Richorii hist. Conciliorum generalium (ed. Colon. 1681) IV, 2 p. 92.

quum omnes adversariorum incursiones praeponderante Italicorum suffragiorum numero propulsassent, denique repentino quodam impetu illos perculerunt. Postquam enim posterioribus Concilii mensibus, negotia ejus varias propter causas magna festinatione praecipitata sunt, exeunte postrema sessione Moronus Pii legatus Patres uno tenore interrogavit placeretne, ut finis Synodo imponeretur et ut omnium decretorum confirmatio per legatos et praesidentes a Beatissimo Romano Pontifice peteretur. Responsi gravitatem perpauci sollemni illo temporis momento perspiciebant; responderunt igitur omnes fere: Placet: Granatensis vero episcopus dixit: ,Placet ut synodus absolvatur, sed confirmationem non peto.' Duo episcopi ei assensisse traduntur; quod negat Pallavicinus, dubia fide, quia mira audacia ipsum Granatensem fortasse dixisse significat, synodum praesentium legatorum pontificiorum auctoritate jam antea satis confirmatam fuisse. Scilicet Pontificii omnem libertatis christianae memoriam, quantum fieri potuit, supprimere et vitiare conati sunt.[1]

Placitum illud secutae sunt pro veterum Conciliorum more acclamationes, sed non liberae, ut in illis moris erat, sed a Cardinali Lotharingio liturgice, ut dicitur, praeparatae. Convenerat ut omnium finem faceret haereticorum damnatio. Quae ut nominatim fieret multi poposcerant, archiepiscopo Hydruntino opinante, illud si omitteretur, frustra Concilium laborasse. Sed Lotharingius Protestantium neque Principes, neque doctores, immo ne solum Lutherum quidem et Zvinglium nominari oportunum esse demonstravit. Itaque ceteris peractis nil dixit nisi hoc: ,Anathema cunctis haereticis.' Cui ab omnibus responsum est: ,Anathema, anathema!' Eamque ultimam Tridentini Patres conjuncti vocem ediderunt, praecentionem quasi tot cruentorum novorum facinorum, quae propter illorum decreta Inquisitores, fanaticae turbae, bellorum instigatores perpetraturi erant. Ultima singulorum actio ea erat, ut Concilii decretis manu propria subscriberent; quod quoniam omnibus vulgatis decretorum illorum editionibus diserte perhibetur ,sub poena excommunicationis' factum esse, foedissimae Patrum servitutis signaculum est. Quam servitutem copiosis indubiisque ipsorum testimoniis hoc loco, id quod reliquum est, demonstrandam esse puto, ne quid desit ad plene et perfecte intellegendum, quibusnam praesidiis papismi satellites nobiliores cujusdam puriorisque catholicismi propugnatores superaverint ac profligaverint. Jam ipsa stante synodo non

1) Cf. Richerius l. c. p. 132. Pallavicinus XXIV, 8, 8.

defuerunt, qui indignam christianorum virorum coetu tyrannidem Pontificiam saepissime gravissimeque quererentur, praeeunte virilibus dictis ipso Lotharingo Cardinali, priusquam Curiae blanditiis mansuefactus est. Eodem animo legati Gallici quondam postulaverunt, ut Concilium in urbem aliquam Germaniae, vel Constantiam vel Wormatiam vel Augustam transferretur.[1] Hervetus idem Gallus in nobilissima epistola ad Alphonsum Salmeronem et Jacobum Lainez Jesuitas scripta significat, conventum Tridentinum non esse Concilium liberum, sed manifestam asseclarum Curiae Romanae conspirationem.[2] Neque aliter de eodem Concilio, multo post quam decreta ejus a Pontifice confirmata sunt, idem Hervetus, Espenseus, multique alii egregii viri locuti sunt. Ex quibus unius verba afferam, Dudithi nimirum probissimi doctissimique episcopi Quinqueeclesieni, qui liberrime quondam Tridenti locutus fuerat, idque non sine periculo sed protectus munere oratoris et consiliarii Caesarei insignique quo apud dominum pollebat favore. Is postea ad Maximilianum II. Imperatorem scripsit quae infra posita sunt.

‚Quum Tridenti numerus tantum prodiret in aciem, quo longius inferiores futuri fuissemus, in optima causa victores discedere non potuimus. Singulis nostrum centenos de suis Papa potuit opponere, ac si centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaque videre erat, quotidie famelicos et egentes episcopos, ex majori parte barbatulos adolescentes luxuque perditos Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundum Papae voluntatem dicendam, indoctos illos quidem et stolidos, sed tamen impudentia et audacia utiles. — Graves et eruditi viri terrore et minis ut non boni catholici ad probandum quae nollent traducebantur. In summa: in eum statum res est adducta istorum improbitate, non ut episcoporum, sed larvarum, non hominum, sed simulacrorum, quae nervis moventur alienis, ut Daedoli statuae molae fuisse perhibentur, concilium illud videretur. Erant episcopi illi conducticii plerique ut utres, rusticorum musicum instrumentum, quos, ut vocem mittant, inflare necesse est. Nihil habuit cum illo conventu spiritus sanctus commercii, omnia erant humana consilia, quae immodica Pontificum dominatione tuenda consumebantur. Cursitabant

1) Sarpius l. c. lib. VII.

2) Apud Richerium l. c. p. 109—120. cf. p. 121. Epistolae illius locum quendam attuli in commentatione mea de Romanarum et Germanicarum gentium commercio p. 20.

Romam nocte dieque veredarii; omnia quae dicta consultaque essent quam celerrime ad Papam deferebantur: illinc responsa tanquam Delphis aut Dodona exspectabantur. Ratum nihil esse poterat, quod episcopi tanquam plebs sciscerent, nisi Papa auctor fieret. Quin etiam referebant legati pontificii, qua de re Papa agi vellet, et suis illis, quibus hoc nomine stipem menstruam pendebant (ii autem erant plurimi egentes ex non optimis Italiae civitatibus, et alii fictitii quidam episcopi, qui civitates nullas, nomen tantum retinebant), de Pontificis mandato ea praescribebant, a quibus discedere capitale habebatur. Quo quid magis ridiculum aut contumeliosum in ceteros episcopos esse possit? Quid enim est eripere homini jus suum omnemque potestatem ad se rapere, si hoc non est? Si nihil reliqui episcopi sine Papa possunt statuere, Papa sine ceteris episcopis omnia, quid cogere concilium opus fuit? Quid sanctissimum Imperatorem, quid ceteros Principes, quid omnes nationes exspectatione Concilii suspensos tenere, exitu ludificare? Non quid Papa vellet quaerebatur (non erat hoc quidem dubium), sed componenda erat multis sectis disjecta religio et inprimis infinita Papae licentia legum vinculis suisque finibus coërcenda. Quod quemadmodum fieri possit, ipso Papa in sua causa judice, non dubito quin per te intelligas. Etenim si vere reputare volumus omnique semota animi perturbatione judicare, inveniemus, nihil aliud esse causae, cur in ecclesia Dei ad hoc usque tempus concordia conciliari nequiverit, quam quod Papa penes se unum vult esse arbitrium omnium controversiarum, ipse nullius se judicio permittere, ne consentientis quidem orbis terrarum universi.'[1]

Hactenus Dudithi verba. Quae si quis Romanocatholicus veritatis amans, comparatis aliis similibus praestantissimorum Concilii Patrum testimoniis, considerata Paparum et Curiae illius temporis condicione, religiose examinaverit, vix dubitaverim quin futurum sit, ut, licet de singulis aliter judicet, tamen in universum recte illum judicasse concedat. Addere potuisset Dudithus, inter episcopos etiam viros quosdam candidos et ab adulatione abhorrentes vel inveterata Romanae sedis reverentia vel diri sacramenti, quo ad illius oboedientiam obligati erant, memoria impeditos fuisse, quin contra illam quae sentirent libere ac fortiter pronuntiarent. Quare eo, de quo supra diximus, tempore Protestantium adventus tam illis gratus, quam Crescentio Papae

1) Cf. Dudithi de Horchoviza orationes in Concilio Trid. habitae et scripta quaedam alia ed. Quirinus Reuterus, Offenbach 1610 p. 209.

legato invisus erat. Teste Varga erant quidem, qui tanto illos praesentes videndi horrore percellebantur, ut ne sermonem quidem de iis ferre possent, sed quamplurimorum votis exspectabantur. Evangelicae libertatis spiritus tunc quasi afflavit Concilium. Cujus rei ex Hispanorum episcoporum litteris testimonia nonnulla afferemus.

Quum advenissent Protestantium Legati (inter quos Sleidanus erat ab Argentoratensibus missus) quumque exspectarentur eorundem theologi, rumor etiam esset ipsum Mauritium Electorem venturum, Crescentius Legatus terram ac tartara movere studuit, ut cladem, quam imminentem timebat, minis ac machinationibus averteret. De hoc Malvenda in epistola ad episcopum Atrebatensem: ‚Crede Domine, totus artibus patet Legatus. Nihil est, de quo lites non moveat. Mirum est quanta arrogantia efferatur.' De eodem Vargas jam antea scripserat: ‚Legatus homo est, qui frontem insigniter perfricuit, cujus vel superbiam, vel audaciam in digerendis ab eo rebus Concilii vix fere sermonibus mihi licet exprimere. Ubi nos timidiores animadvertit et Imperatorem omni adhibito studio ne Pontifici aegre faciat cavere, auget terrores et importunis clamoribus impetit. Episcopos servorum more habet. Minatur et jurat per vices se nos relicturum. Modi isti sunt, quibus sibi a desideriis suis solet satisfacere. Cetera et in posterum obtinebit. Finem Concilii talem futurum praevideo, qualem jam diu extimui, nisi Deus ex alto et per miracula se opponat. Nihil quidquam hominum profici prudentia abunde exploratum est.' Et postea idem de eodem: ‚Frontem adeo perfricuit tamque ambitiose tuetur, se aditum Protestantibus ad Concilium interclusurum, ne qua ad colloquium cum ipsis committatur, ut nihil jam nobis videatur difficilius. Utinam haec res ne via sit Legato ad Concilii interitum.'

Nihilominus urgentibus Germanis, accedentibus Hispanis, languide annuentibus Italis, silente Legato, constitutum est ut Protestantes audirentur. De ea re Vargas: ‚Si respicias acta hesterna, pensum inter majora, quotquot novimus, in hoc Concilio ponendum. Nil nisi minas intendere nobis videbatur Legatus.' Similiter Franciscus episcopus Toletanus, qui civiliter cum Mauritii oratoribus versabatur eosque honeste habebat. ‚Adventus Protestantium', inquit, ‚in tantum timorem conjecit Pontificios, ut vix ad acquiescendum adigamus, utut omnes nervos intenderim. — Concilii suspensionem tantum non indixit Legatus.' Hunc eodem tempore etiam in aliis negociis inquietum, morosum, turbulentum Vargas graphice depingit, nimirum injuriis afficientem et increpantem gravissime quotquot refragantur, haeretici instar tractantem

Auriensem episcopum; perverse machinantem, sententias conquirentem et tantum sibi laboris imponentem, ac si de vita periclitaretur. Addit Vargas, se satis non intellegere, qui Deus tam enormia diu possit aequo animo intueri.

De ipsa vero congregatione illa, cui intererant Protestantes, episcopus Auriensis scripsit ad Atrebatensem: ‚Hodie legati Mauritii et Wirtenbergici in pleno Conventu dixerunt, quod nos de reformatione ipsi dicere veremur. — Inter pejora quaedam tot laudabilia protulerunt, ut cavendum tantum esset, ne populus hoc, quidquid erat, intellegeret. Episcopi vero nostri nihil magis exoptant, quam, ut libera sibi de quacunque re sentiendi potestas relinqueretur. — Spe omnes efferimur, si ex voto contingat libertas, pro Deo nos praestantissima quaeque effecturos. — Hoc asseverare audeo, cunctis medicinam restare, si modo liberum sit Protestantibus ad singula, prout par est, respondere.' Et Malvenda ad eundem episcopum Atrebatensem: ‚Dicunt reformationem praecipue spectare quae petunt Wirtenbergici, nec ingrata haec esse Patribus. Horum enim plerique bono animo sunt, quod a Protestantibus talia producantur, quae ipsi salva verecundia proferre non poterant.'[1]

Jam vero ad Concilii exitum nobis redeundum est. Qui quemadmodum alius prorsus exstiterit, atque Pontificii metuerant, nobilissimi quique multarum gentium viri speraverant, demonstravimus. Quare decreta ejus a Pontifice confirmata plures Principes et civitates pro sua parte confirmare dubitabant, vel quod propter victricem papalem arrogantiam jura quaedam civilia periclitari viderentur, vel quod in nationibus frustratae spei ira consopiri subito non posset. Sic in Hispania decreta illa nisi salvis Regis juribus confirmata non sunt, in Gallia licet permultis cum Curia saepius urgentibus nunquam illa publicata, neque id apud Venetos, Helvetios, Ungaros factum. In Germania status Romanae ecclesiae addicti mox Concilio se subjecerunt. Sed Ferdinandus Caesar, etsi antea Pontifici cesserat, inexspectatum Concilii exitum aegerrime tulit. Diversam ab eo viam eligere ad ecclesiae condicionem emendandam, pacem restituendam instituit. Propius iterum ad Ratisbonensem concordiam cui Carolus frater summam auctoritatem attribuerat, et ad Augustanam confessionem accessit; in hac enim haud ita multa catholicae doctrinae con-

1) Inveniuntur loci supra laudati in: Mich. le Vassor, Lettres et mémoires de Fr. de Vargas etc. Ed. latina.

traria inesse putabat. Eo animo anno post paucis ante mortem suam mensibus Georgium Vicelium, qui a consiliis ei erat, honorificentissima epistola, ut scripto libello consilium daret, invitavit filiumque Maximilianum regem Romanum ut idem ab illo litteris peteret admonuit. Noverat Ferdinandus totum illum ab Erasmi theologia pendere, quem propius quam ullus aequalium secutus est quemque omnibus fere etiam veteris ecclesiae doctoribus praeferebat. Scripsit Vicelius memorandum libellum, cui titulus est: Via regia sive de controversis religionis capitibus conciliandis sententia.[1] Verum Erasmi imitator media sua inter utramque partem theologia plus efficere non valuit quam antea Erasmus. Haud mirum igitur, quod Maximilianus Caesar factus, quem jam inter Concilium Tridentinum Papa Lutheranum vocaverat, magis magisque Protestantibus favit ad eosque accederet. Et longius ut videtur profectus esset, nisi continua Protestantium discidia, jum pridem. etiam inter ipsos Lutheranos exorta, horum rem suspectam ei reddidissent.

Quae interna Protestantium discidia, ex laudabili quidem veri studio libertatisque evangelicae usu exorta, sed non sine humana vanitate ac pertinacia agitata, etiam Tridenti pontificiae factioni haud parvo auxilio fuerant. Patribus inter se altercantibus in exemplum illa a pluribus etiam ab imperatoriis legatis, proposita sunt. Integerrimi viri, tantos in religione libertatis abusus spectantes, aliquid servitutis tolerare optabilemque reformationem in posterum differre praestantius habuerunt. Similem aliquatenus sententiam, licet in detegendis Ecclesiae damnis ipse audacior, Erasmus protulerat. Huic vero, etsi eum cum omnibus scriptis suis Paulus III. draconica sententia condemnaverat, multi Patres Tridentini, inprimis archiepiscopus Pragensis, Ferdinandi Imperatoris Orator,[2] admodum favebant. Ea quidem libertate, qua ille de amabili Ecclesiae concordia scripserat, ipsi publice loqui non audebant. Longe illo timidiores erant. Neque tamen apud hos quoque in unitatis atque concordiae amore, quamquam cum prava quadam ignavia et viri negligentia conjunctus erat, aliquid animi christiani fuisse negamus. Quidquid in ipsa synodi conclusione jure vituperavimus, quidquid turpissimae maculae universo operi adhaesisse ostendimus, nihilominus admodum imperfectam verae unitatis ecclesia-

1) Edidit hunc libellum cum aliis variis summus vir H. Conring Helmstadii 1360. Praemisit Ferdinandi epistolam p. 2 ss. et Maximiliani p. 5.

2) Cf. ejusdem epistola ad Ferdinandum Imperatorem apud Reusch (der Index I) p. 320; sententia Concilii de Erasmo lata p. 347.

sticae umbram intuentes ipsum praeclarum illud exemplar non obliviscimur, quod nobiliorum synodi Patrum animis obversabatur, nimirum vere christiana ac libera ecclesiarum et gentium congregatio. Parvi non facimus id quod illorum pectora percussit, dum synodi praeses dicit: Post gratias Deo actas ite in pace, et ipsi respondent: Amen. Libenter denique credimus quod narrat Pallavicinus, communem tunc laetitiam et animi voluntatem inter omnes viguisse, adeo ut ora lacrymis rorantia undique conspicerentur et nonnulli, qui synodo durante aliquam inter se alienati animi quasi rubiginem prae se tulerant, veluti milites ejusdem exercitus, qui cum palma reducuntur, fraterna caritate se mutuo amplexarentur. Et similem affectum postea haud raro in purioribus sincerioribusque animis excitatum esse novimus, quoticscunque Tridentini Concilii recordatio facta est. Proinde accidit, ut ad nostram memoriam inter Romanocatholicos praestantissimi multi viri sui officii ducerent maculas illius Concilii oblitterare neque quidquam in eo nisi pulcherrimum illud atque praeclarissimum de quo diximus exemplar intueri. Sic nova quaedam fabula medii aevi fabulis adjecta est. Sed veritas imaginatione fortior. Magni errores magnae veritati admixti initio per eam proteguntur, postea nisi superantur ei officiunt et immodice aucti sua redundantia puniuntur. Id quomodo recentiori ecclesiae, a Concilii Tridentini auctoritate pendenti, acciderit iis quae sequuntur ostendere in animo est.

Paulatim demum factum est, ut vel oblivioni datis vel neglectis iis, quae in Concilio Tridentino praestantissimi aequales, etiam Principes desideraverant atque reprehenderant, omnia illius de dogmatis decreta pro spiritus sancti placitis nullo erroris labe maculatis haberentur. Ad dirimendas, quae de singulis orirentur, controversias, mox Romae collegium, cui nomen erat de interpretando Tridentino Concilio, Papae instituerunt. Quo satis cautum esse putabant, ne ab ipsis decretis unquam discederetur. Itaque Romana ecclesia, fluctuantes Protestantium opiniones secure despiciens, in invariabili quadam theologia acquiescere poterat, nisi vel universae humanae cognitionis doctrinaeque progressu, vel civitatum rerumque publicarum motibus iterum iterumque quasi ex torpore excitata esset.

Curia semper quidem hoc prohibere conabatur. Quare vigilabat, ne suis asseclis adversariorum sententiae accuratius innotescerent. Invento famoso librorum prohibitorum indice, cujus plena ac justa historia nunc demum a viro doctissimo vere catholico descripta

est,[1] pro viribus tyrannicam omnium litterarum disciplinam exercuit, qualem nulla antea aetas viderat. Ipsi Bellarmino probro apud nonnullos fuit, quod nimis largam et accuratam Protestantium doctrinae notitiam dedisset. Eundem animum egregie exprimit celeberrima Busdragi Inquisitoris vicarii epistola ad Franciscum Cardinalem Pisanum scripta,[2] qua causas exponit quibus post viginti annos in hoc negotio consumptos persuasum sibi sit, non posse Italiam et ipsam sedem Romanam contra Lutheranam pestem praemuniri, nisi omni Germanorum consuetudine sublata; alioquin timendum esse, ne plus centum millia hominum (horrescere se referentem ait) in variis terris jubente Pontifice frustra capitali supplicio affecti sint; etenim quum primum aliquis Germanus in Italiam appulerit, mox exutis ocreis incipere eum narrare, qua ratione reformaverint ecclesias, quid de Papa deque articulis controversis sentiant statimque proferre e sinu vel e sarcinis libros et libellos, quos libentissime donet, et vix diu posse, quanta laetitia et cupiditate talis melodia audiatur; et contra, si quis Italus in Germaniam profectus sit, statim eum ad illas ecclesias, statim ad viros doctos, statim ad bibliopolas accedere, inde infectum redire, doctorem et concionatorem deinceps agere in familia sua et inter amicos. ‚Et quum nos miseri Inquisitores', inquit, ‚dies noctesque simus solliciti, ne ulli libri Lutherani vendantur, neque ulli sermones de talibus rebus serantur (quia in eo tota res sita est, ne nostri Catholici intellegant, quid adversarii dicant: nam ubi intellexerint, statim assentiuntur) ecce uno die saepe quidquid nos composuerimus perturbatur.'

Revera omnia aliquando Curiae successisse videbantur. Septentrionales Italiae fines Sinensi quasi muro contra sinceri evangelii invasiones exstructo circumdati erant. Semper tamen superat vis aliqua, quae passim ut ita dicam arrodebat murum illum suo denique tempore ruiturum. Quippe rumpi prorsus non poterat vinculum reipublicae illius litterariae quae antiquarum litterarum studiis primum fundata pedetentim omnes humanae doctrinae partes ac disciplinas amplexa est. Quae quo longius progressa est et quo altius omnia humanarum et divinarum rerum penetralia assequi studuit, eo minus a summis religionis quaestionibus plane aliena esse potuit. Itaque vixdum extinctis innumeris rogis illis, quibus servi Pontificii verita-

---

1) Reusch, Der Index der verbotenen Bücher I, Bonn 1883.
2) Gerderii scrinium antiquarium I, 2, p. 320 ss.

tem inter Germanos vigentem ab Italico arcendam esse putaverant, Inquisitorum furore impedire non potuit, quominus superesset utrimque aliquod bonarum litterarum vinculum. Inprimis communibus scientiae naturalis studiis, a Melanchthone haud frustra insigniter praedicatis[1]), inter clarissimos utriusque gentis, immo etiam universae Europae viros novum amicitiae foedus junctum est. Cujus rei initia quasi conspicienda ita praebebimus, ut Kepleri et Galilaei indolem, vim, mutuam necessitudinem breviter describamus. Unde simul et diversa Romanensium ac Germanicarum gentium condicio, et invictum veritatis nullis violentiae armis coërcendae robur apparebit.

Keplerum et Galilaeum, quod ad commune investigandae naturae studium per Europam propagatum pertinet, revera prae ceteris omnibus recens reipublicae litterariae aevum inaugurasse viri docti consentiunt. Multi quidem illo seculo noverant, doctrinas physicas, in scholis a servis Aristotelis sectatoribus traditas, correctione et reformatione egere. Erant qui concitatum ubique intrandi in rerum naturae penetralia desiderium cum Paracelso excogitatis mysticis phantasiae figmentis partim ingeniosis partim immanibus explere studerent. His obviam euntes alii, quibusnam severioris artis auxiliis ad propositum finem appropinquari paulatim posset, ostendere coeperunt. Quod ut saniores mente aequales agnoscerent nemo plus contulit, quam magni illi quos nominavimus viri, quum et a certis experimentis, quae sensibus se ingerebant, inductione paulatim longius progrederentur, et ad definiendas naturae leges doctrinam mathematicam, etiam invitorum rationis assensum quasi extorquentem, applicarent. Sic Keplerus ‚Sine experimentis propriis, inquit, nihil statuo.‘[2] Et alio loco, de Roberto Fluddio Paracelsi discipulo haec dicit: ‚Ipse plurimum delectatur rerum aenigmatibus tenebrosis, quum ego res ipsas obscuritate involutas in lucem intellectus proferre nitar; illud familiare est chymicis, hermeticis, paracelsistis, hoc proprium habent mathematici.‘[3] Pro tot occultis corporum, quas pro lubitu tunc imaginabantur physici, qualitatibus, eorum quantitatem et per quantitatem cetera omnia quousque fieri posset pernosci voluit, hac maxime ex

1) Cf. Commentatio mea de Melanchthone reipublicae litterariae reformatore p. 30 ss.

2) Kepleri opera ed. Frisch V 224 (id quod de conjectura quadam ibi pronuntiat, etiam latiore sensu eum tenuisse constat).

3) Ibidem V 332. Cf. Eucken in: Schaarschmidt, philosophische Monatshefte XIV 325.

parte Cartesii, philosophiae reformatoris, praecursor.[1] Galilaeus in omnibus quas diximus rebus eundem atque Keplerus finem cum eodem prospero successu persecutus est. Falli nescios eos fuisse nemo unquam contendit. Quare ii, qui ad diminuendam eorum gloriam multis in rebus errasse eos monuerunt frustra sunt. Qui avia primi loca peragrant, ‚nullius ante trita solo', eos recto itinere statim ubique non incedere, nemo prudens mirabitur. Vivida quadam imaginationis celeritate iis opus est, qua varias vias quaeritant et tentant, usquedum rectam exploraverint. Quare egregius quidam Anglus Keplerum, qui saepius se ipse correxit, contra obtrectatores defendens, illum dicit et apte et poëtice ad ludicrum, cui in persequendo vero serii homines indulgere videantur, bucolicos Maronis versus trahere:

Malo me Galatea petit, lasciva puella,
Et fugit ad salices et se cupit ante videri.[2]

Neque unico ac singulari magnorum illorum duumvirorum merito obstat, quod multa egregia ejusdem seculi ingenia viam quodammodo praeparaverant. Sed quidquid illa veri invenerant, id ad novum et longe majorem, quam ipsi inventores divinaverant, scopum uterque vir direxit, sicuti suo jure aliquis dixit, accuratissimas Tychonis de Brahe, eximii astronomi observationes, summa cum diligentia coacervatas, quasi nihil aliud fuisse nisi marmor, ex quo Keplerus divinam quandam imaginem effinxisset. Immo etiam mundi systema, quod immortali opere Copernicus moriturus posteris reliquerat, illi viri ab inveteratis epicyclorum aliorumque artificiosorum figmentorum erroribus liberatum suis additis argumentis ita vindicaverunt, ut ipsi demum vetus illud aenigma generi humano propositum solvisse viderentur; etenim quum eadem admirabili ingenii vi praediti essent, Galilaeus telescopio ad pervestiganda immensa coeli spatia utebatur, Keplerus cum diligentissimae inductionis arte incredibile ratiocinationis et supputationis acumen conjungebat.[3] Jam Kaestnerus[4] Galilaeum dixit in coelo plus quam quisquam antea vidisse et visa optime adhibuisse, Keplerum de iis, quae alii viderant altius, quam quisquam tunc mortalium, cogitasse. Uterque vir non tantum ingenii divitiis atque invento-

1) Cf. Natorp, Descartes' Erkenntnisstheorie p. 123. Eucken l. c. XIV 34.
2) Whewell, history of the inductive sciences, new edition I 432.
3) Cf. Apelt, Joh. Kepler's astronomische Weltanschauung p. 7.
4) In libro suo: Geschichte der Mathematik IV 373. Cf. ejusdem epigramma: ‚So hoch war noch kein Sterblicher gestiegen, Als Kepler stieg.'

rum magnitudine per multos aequales eosque et doctissimos et probissimos stupore quodam admirationeque sui affecerunt, verum etiam in republica litteraria, qualiscunque tunc erat, novos inauditosque adhuc motus impulsu et effectu ad omne futurum aevum duraturos excitaverunt. Quare quicunque doctrinarum physicarum historiam accurate descripserunt, non potuerunt non ab illis viris novam epocham ducere.[1] Grato animo non tantum nostrum seculum splendida illis monumenta erexit, sed semper denuo, quid iis deberetur, post tot tantosque sequentium temporum progressus summi viri praedicaverunt.

Sic pie Leibnitius in ‚tentamine de coelestium motuum causis‚ ‚Divina providentia‘, inquit, ‚factum est, ut Copernici observationes et molimina venerint in manus viri incomparabilis, Joannis Kepleri, cui fata servaverant, ut primus publicaret mortalibus

jura poli veramque fidem legesque Deorum‘.[2]

Neque minoris pretii ab omnibus arte peritis ea semper habita sunt, quae ille contulit ad definiendas videndi leges et conditiones, in minimorum minutissimorumque oculi membranorum atque organorum constructione positas. Etenim in hac quoque mirabili rerum physicarum parte illum primum rectae et certae cognitionis fundamenta jecisse nuper denuo Hermannus Helmholtz praedicavit in magno et praeclaro opere ad opticen physiologicam pertinente, quo graviora omnia praecessorum conamina complecti, dijudicare, supplere, perficere haud frustra studuit. Etiam in singulis rebus, ut in oculi accommodatione, in irradiatione, in optica situs et distantiae corporum aestimatione quae jam ille recte viderit adnotat.[3] Galilaeus vero Italus ut unicus inter aequales mathematicos et physicos Germani illius nostri socius plenissimo jure et tunc a praestantissimis viris celebratus est et semper ab omnibus celebrabitur. Cujus gloria propter varias causas vel latius quam Kepleri patuit. Facilius praesertim, quam leges coeli ab hoc manifestatae, Galilaei inventa a mira varietate sua

1) Cf. Whewel, l. c. I 432 ‚Inductive epoch of Kepler‘; item postea ‚epoch of Galilei.‘ Kaestner in toto libri supra laudati tomo IV, qui ad disciplinas mechanicas, opticas, astronomicas pertinet, copiosissime de Galilaeo et Keplero loquitur.

2) In actis eruditorum a. 1689 p. 82.

3) Cf. Physiologische Optik p. 102. 334 s. 620. 688. Cf. etiam H. Welcker, Über die Irradiation. Quem suo jure Kepleri theoriam renovasse dicit Helmholtz l. c. p. 335.

conspicua, et vitae usui statim ex parte inservientia, non tantum eruditos physicos ad ingrediendas novas vias, licet invitos, coëgerunt (nam inde potissimum sanior recentiorum methodus orta est), sed etiam laicorum intellectui innotuerunt et illuxerunt eosque ut ita dicam fascinaverunt. Telescopium Galilaeus, si non primus invenit, at denuo inventum quam multo perfectius reddidit, tum ad detegenda coeli mysteria primus applicavit, idque cum successu tam repentino quam ingenti. Quippe inaudita erat permultisque incredibilia initio videbantur, quae oculis certo conspicienda praebuit: Jovem planetam quatuor satellitibus circumdatum, viam lacteam innumeris stellis compositam, totum aliorum minorum siderum exercitum antea invisibilem, lunae superficiem altis montibus horridam. Praeterea in ipso Sole maculas observavit et diligenter examinavit. Postea excogitato microscopio quanta miracula in minutissimarum creaturarum structura laterent demonstravit. Inter tot alia gravissima ejus inventa significare hic sufficit, excogitasse eum stateram hydrostaticam et thermoscopium, docuisse penduli, quod dicunt, ad tempus metiendum utilitatem, exposuisse leges quas cadentia, partim etiam quas natantia in aqua corpora sequuntur. Quibus omnibus perpensis non mirabimur, quod Galilaei amici et admiratores, quum duobus demum et triginta annis post quam mortuus erat sepulcrum ejus inscriptione ornare liceret (a. MDCLXXIV), his verbis usi sunt: ,Galilaeo Galilaei Florentino, philosopho et geometrae vere Linceo,[1] naturae Oedipo, mirabilium semper inventorum machinatori, qui inconcessa adhuc mortalibus gloria coelorum provincias auxit et universo dedit incrementum.'

Magni illi duumviri ex antiquiore ejusdem reipublicae aetate et omnem humanam, qua haec pollebat, ingenii culturam, et communem variis gentibus latini sermonis usum ad omnia doctrinarum genera accomodatum receperant. Uterque latina lingua non minus eleganter quam facile loquebantur. Praeferebat tamen Galilaeus et ad componendos libros, inprimis celeberrimos dialogos, quorum artem se a Platone didicisse fatetur, patrio sermone uti quem praeclarissima ingenia, in veterum Romanorum et Graecorum quasi schola informata, ad classicam quam dicimus perfectionem perduxerant. Etiam epistolas longe plurimas italice conscripsit. Libros suos in exterorum commodum latine exprimendos aliis iterumque reliquit. Ad eundem per-

1) Alluditur ad Linceorum academiam Romanam, cujus sodalis Galilaeus a. MDCXI electus est.

fectionis gradum ea, qua nunc utimur, Germaniae dialectus, quamvis admirabilis in ea excolenda Lutherus fuisset, nondum pervenerat. Unde factum est ut Keplerus Germanis non aeque atque Galilaeus Italis familiaris in perpetuum scriptor evaderet. Etsi enim plurima in Galilaei libris abstrusiora sunt, quam ut ab omnibus legantur, tamen et in illis, et in epistolis ejus multa inveniuntur, quae quasi viventem magni viri effigiem universo populo suo exhibeant. Id de paucis iis, quae Keplerus scripsit germanice, nemo praedicabit. Quare similiter atque Erasmus, Melanchthon, alii, qui praeclarissimos ingenii fructus mortua tantum lingua ediderunt, vere popularis esse et manere non poterat. Quod jure aliquis deploraverit. Sunt enim in Keplero, quae notiora esse nostratibus mereantur, inprimis id, quo praestat Galilaeo, fortissimus in adversis rebus animus, de suprema veritatis victoria nunquam dubitans, libertatis veluti summi boni propugnator. Cujus animi robur ex sincera atque alta pietate christiana haustum esse quisque videbit.

Ingens Kepleri ingenium, inprimis ad res mathematicas et astronomicas aptum, jam in adulescente a praeceptoribus agnitum, mox ab omnibus, quicunque eorundem studiorum compotes aliquo modo erant, celebratum est. Neque ipse id, quo tantum ceteris antecelluit, ignorare poterat. Nihilominus incorruptus semper mansit candor ille animi ab omni vanitate remotus, quem in eo amici saepissime laudant. Ex quibus Christophorus de Schallenberg ad eum scripsit: ‚Animum tuum introspexi, ut qui mundi vanitates, rixas, laudes et fumos rideas et ad sedulam horteris officii verioris culturam et ad concordiam.‘[1] Ipse ingenii laboribus officium erga Deum et homines implere quam gloriam affectare maluit. Neque unquam, ubi confecto opere ad veritatis profectum eximii aliquid se praestitisse speravit, suae ut hominis debilitatis oblitus est, in qualibet doctrina alios aliorum et auxilio et correctione egere saepe monuit, aliena merita gratissimo semper animo praedicavit. Mala ista ambitio, qua viros eruditos jam in vetere republica litteraria libenter sibi invicem adulatos esse vidimus, admodum exosa ei erat. Quare quum vir nobilissimus et doctissimus, eo usque prorsus ei ignotus Blanchus Comes Venetus, ad ineundum epistolarum commercium ei scripsisset, nimio quem putabat laudatori respondens, ‚Te vero‘, inquit, ‚quisquis es oro atque obsecro, si vero et ingenuo

1) Kepleri epistolae (Caroli VI. Imperatoris jussu ab Hanschio editae) p. 639.

animo tua mihi obsequia et studia defers, tam exquisito verborum apparatu, tantis landibus abstineas neque pessimum exemplum inter philosophos statuas: tibi vero persuadeas ipsi, me sive inferior sim tantis encomiis, vehementer iis offendi, sive par in minima re, tamen metueri veritati philosophantium ipsique adeo pietati, ne dum propter cognitionem operum divinorum nostras ipsorum commemoramus audimusque laudes, laudum verarum, quae sapientissimo tantorum operum auctori debentur, obliviscamur.'[1]

Itaque Keplerus, quidquid ad plenius cognoscendam rerum naturam contulerat, id in Dei gloriam et ipse vertit et ab aliis verti voluit. Sic in celeberrimi operis, quod de harmonia mundi composuit, libro quinto extremo, ubi ad perficiendam reliquam partem prospicit, opem profitetur fore, ut, si visum Deo fuerit, non moriatur sed vivat librisque sequentibus narret opera Domini.[2] Quod quum fecisset, hic verbis Deum precatus est:[3] ,En nunc opus consummavi professionis meae, tantis ingenii usus viribus, quantas mihi dedisti; manifestavi gloriam operum tuorum hominibus istas demonstrationes lecturis, quantum de illius infinitate capere potuerunt angustiae mentis meae; promptus mihi erat animus ad emendatissime philosophandum; si quid indignum tuis consiliis prolatum a me, vermiculo in volutabro peccatorum nato et enutrito, quod scire velis homines, id quoque inspires ut emendem; si tuorum operum admirabili pulchritudine in temeritatem profectus sum, aut si gloriam propriam apud homines amavi, dum progredior in opere tuae gloriae destinato, mitis et misericors condona; denique ut demonstrationes istae tuae gloriae et animarum saluti cedant nec ei ullatenus obsint, propitius efficere digneris.' Postremo et alios homines et se ipsum evocans, ,Laudate', inquit, Creatorem harmoniae coelestes; laudate eum, detectarum harmoniarum arbitri, lauda et tu, anima mea, Dominum; namque ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, tam ea, quae ignoramus, quam ea, quae scimus, minima illorum pars, quia adhuc plus ultra est.'

Ex his omnibus apparet, clarissime Keplerum intellexisse, quantae mutationi in mortalium cogitationibus de systemate mundi efficiendae mathematicum ingenium suum inserviret. Etenim Copernici quod antea pauci tantum probaverant, non tantum sublatis erroribus

1) Ibidem p. 593.
2) Kepleri opera ed. Frisch V p. 210.
3) Ibidem p. 323.

quibusdam et additii novis argumentis confirmavit, sed etiam inventis celeberrimis tribus legibus ad demonstrandum simplicissimum pulcherrimumque mundi ordinem adhibuit. Simul nova problemata significans, quorum nonnulla solvere Newtonio postea contigit, ‚Haec', inquit et cetera hujusmodi latent in pandectis aevi sequentis, non antea discenda, quam librum hunc Deus, arbiter seculorum, recluserit mortalibus.[1] Eandem igitur divinam providentiam in visibili rerum natura et in humano intellectu ad eam cognoscendam paulatim perducto manifestam esse persuasum sibi habuit.

Ipsa vero naturae investigatione, id quod jam ex verbis ejus supra allatis apparet, philosophari sibi visus est. Neque doctrinam ad naturam pertinentem a ceteris doctrinis neque has ab illa dirimi posse cum Aristotele tenuit. Quare quum hujus potissimum auctoritate tot falsas et partim mythologicas de systemate mundi opiniones adhuc valere animadvertisset, eum non fugit fore, ut iisdem remotis nimium philosophi illius imperium decresceret et novae philosophandi viae quaererentur. Hac ex parte, etsi variae causae ad eundem effectum praestandum convenisse constat, tamen Keplerus multo plus, quam plerique putant, ad efformandam recentioris aetatis indolem contulit. Haud frustra Renatus Cartesius, summus novae philosophiae auctor, primi praeceptoris sui gloriam Keplero sponte detulit.[2] Quorum alter cum altero etiam in eo congruit, quod, quum magnae mutationis auctores se esse sciunt, christianam religionem in eadem semper dignitate duraturam esse confidunt. Eo vero differunt, quod Cartesius, scholasticae tyrannidis adversarius, omne inter philosophiam et religionem christianam vinculum dissolvit, Keplerus utramque, licet libertatis philosophicae accerimus vindex, arcte conjungere studet.

Id ita assequitur, ut in contemplando mundo et physico et spirituali finales non minus quam efficientes causas inquirat. Pro certo habet, neque secundas causas sine prima causa intellegi posse neque singulos fines, qui in singulis rebus physicis vel spiritualibus sapienter dispositis animadvertuntur, sine optimo quodam atque absolutissimo fine, ad quem universus mundus et physicus et spiritualis a Deo supremo moderatore dirigitur. Hunc finem positum esse docuit in perfectissima harmonia, ad quam omnes res per ipsas disso-

1) In fine epitomes astronomiae, Opp. VI 530.
2) Visa Kepleri ab Hanschio scripta p. XXXV.
3) Opp. V 210.

nantias — assumit enim similitudinem ex musica arte — tandem conventurae essent; id manifestum esse in systemate mundi, ad quod rectius contemplandum Copernicus viam stravisset; visibilis autem mundi finem esse mundum rationalem et moralem; cujus dissonantes quasi sonos, in peccato et malo nos offendentes, nisi redemptione per Christum facta in veram consonantiam resolvi non posse; hanc aliquatenus perfici jam in praesenti nostra condicione, plenissime vero consummatum iri in vitae post mortem futurae gloria. Quare ,patrem luminum' celebravit, ,qui lumine naturae desiderium in nobis promoveat luminis gratiae ut per id in lumen gloriae nos transferret.'[1]

Hae cogitationes postea magno Leibnitii ingenio longius productae et ad systematis philosophici formam redactae sunt. Quod Keplerus ad alia studia intentus, praestare neque voluit neque potuit. Admiscuit etiam nonnulla, quae quum imaginationis magis quam severae rationis indolem prae se ferrent, non satis prudenter interdum ab eo prolata sunt, quamquam ipse quondam scripsit: ,Ludo, sed ita ut me ludere non obliviscar.[2] Neque tamen recte judicaret, qui crederet, illum de gravissimis quas diximus quaestionibus ac problematis ita locutum esse, quasi ut mathematicus studia et philosophica et theologica primoribus tantum labris attigisset. Quin immo utraque adulescens, ut ipse testatur, aeque atque artem musciam, ingenti cupiditate amplexus est, nihil admodum de astronomia in speciem sollicitus. Aderat quidem ingenium, nec diffuculter geometrica et astronomica, quae suppeditabat ordo scholarum, capiebat. Sed erant illa necessaria studia, animi inclinationem ad se prae ceteris ne minime quidem trahentia. Ad obeundum astronomicum munus praeceptorum auctoritate quasi extrusus est, instructior ad id ingenio quam scientia, multumque protestatus, se jure suo ad aliud vitae genus nequaquam cedere. Etiam serioribus temporibus studia neque philosophica neque theologica prorsus unquam omisit. Praeter ea, quae ad chronologiam biblicam pertinent, etiam harmoniam evangeliorum composuit, cujus edendae ut Keplerus prius curam habuisset quam alterius, quae mundi ordinem explicat, vehementer optavit Florianus Crusius.[3] Etiam quae de praedestinatione et de coena Domini scripsit, ab amicis laudantur.

1) Opp. V 323.
2) Epp. p. 411.
3) Ibidem p. 638.

Neque his studiis privatae tantum delectationis et utilitatis causa se dabat, sed curae ei erant universae reipublicae christianae fata. Ideo quam accuratissime perspicere voluit ea omnia, de quibus mutuo odio acerrime certabatur. Inter duplicem Evangeliorum familiam ut pax conciliaretur maxime optabat, etiam diversas Lutheranorum factiones ad omittendas furiosas disceptationes impense hortabatur. In universa Occidentalium ecclesia, et inter Evangelicos et inter Romanocatholicos multa esse, quae reformatione egerent, et quoniam utraque pars id denegaret, utramque, ut ad bonam frugem rediret, a Deo castigari. Anno post inceptum in Bohemia dirum illud bellum, quod per triginta annos duraturum erat, haec scripsit: ‚Non desperandum de providentia Dei censui, quin ipse totius ecclesiae melodiam, in motu constitutam, sic esse moderaturum, ut concinna ista, licet dissona per hos centum annos, tandem in plenariam concordiam deflecterent. Si enim de hac re certamen esset, Christus an Mahometus sit sequendus, implacabile omnino bellum hoc sciebam; sed quia partium altera emendationem cultus et doctrinae Christi, altera disciplinam et ordinem ecclesiasticum doctrinamque et mores antiquos a patribus acceptos urget, quorum studium utrumque bonum est, si alterum alteri, quo loco par est, cedat, utrumque malum si modum excedat aut si sub sanctis praetextibus alia mysteria peragantur; quis igitur dubitet, quin Deus in hunc finem permittat partes inter se confligere, ut veritate utrimque satis superque ventilata separatisque et profligatis humanorum affectuum paleis (quod fit bellorum tribulis), quisque quid sibi sequendum, quid etiam a sua parte vitiosum eoque fugiendum sit, clare perspicere possit tandemque saltem posteritas aliqua paulatim in puram pacem consentiat.‘[1]

Tali igitur animo Keplerus multis quidem piis atque ingeniosis illius temporis viris, sicuti Valentino Andreae ejusque amicis, gratissimus atque dilectissimus erat, sed rigidis quibusdam orthodoxi quem arbitrabantur Lutheranismi defensoribus admodum exosus. Quorum unus illum, quia argutas quasdam formulae concordiae, quae dicitur, de communicatione idiomatum sententias non probavit, etiam ex communione excludere eum non veritus est. Simul vero eundem, inter Austriacos versantem, Romanensium alii speciosis argumentis et promissionibus, alii molestis offensionibus et persecutionibus, propter quas semel in Ungariam ei fugiendum erat, ad deserenda evangelica sacra

1) Opera V 469.

perducere studebant. Quibus inter varias vitae tempestates et calamitates tanta animi fortitudine resistebat, ut probissimus ejus praeceptor et amicus Maestlinus fidei confessorem eum haud temere diceret. Intimam Kepleri mentem, qua has res tractabat, videre licet ex epistola, ad virum doctum sibique amicum Pistorium data. Qui ad Romanam ecclesiam conversus quum tanquam moriturus Keplerum ut se sequeretur admonuisset, hic rescribit, se suspirare pro illo ad Deum seque sperare fore, ut inanitate hujus mundi perspecta, poenitentia paratus et cinctus, transitionem illam beatam faciat. ‚Venies ergo‘, inquit, ‚si haec praestiteris (Deo etiam de occultis, de ignoratis peccatis, de opinione cultus Deo praestiti in quorundam exagitatione confessus et deprecatus), venies inquam in illum coetum electorum mihique in illo magno die ad tribunal Christi comparenti testis eris me nullo privato alio in Pontificem, episcopos, sacerdotes, sed mero zelo Dei, studio mandatorum et institutionis Christi, cura praemonitionum ejus et apostolorum in illa libertate stetisse, in qua Dei permissu natus sum, neque jugo Romano mancipari ultro.‘ Tunc severis quibusdam verbis de tyrannide Romana additis, ‚Haec ego‘, inquit, commotis praecordiis, quasi migraturus cum migraturo (quia incertum uter alterum praevertat) responsi loco ad partem epistolae tuae de morbo et morte instante respondere volui. Quae ita accipias a scribente, uti solitus es excipere loquentem et disputantem de eadem materia.‘[1]

Ad eandem, quam ipse praestabat, fidei constantiam alios adhortabatur. Hoc animo, posteaquam Ferdinandus archidux, Jesuitarum discipulus et patronus, in haereditaria sua terra Styria publicum Evangelicorum cultum crudelissime suppressit, ad virum spectatissimum et doctissimum Zehntmarium, qui illic ordinum praesidi ab epistolis erat, litteras consolatorias misit. Quarum argumentum, quum perditae sint, ex illius responso novimus. Quippe Keplero scribit: ‚Mirae gubernationis divinae contemplatione in eandem tecum descendo sententiam: Deum non tantum externa salutis organa, puta verbum et sacramenta, quibus visibilis Ecclesiae congregatio in unum corpus coaluit, sed omnia etiam magnatium praesidia hunc in finem subtrahere et abolere, ut ipsi solo fidere, verbi vim et virtutem sine ope humana sentire et ‚ut milites christianos decet, in summa infirmitate auxilio Spiritus Sancti pugnare et vincere discamus.‘[2]

1) Epp. 385 s.
2) Ibidem p. 139.

Inter tot vero illius temporis rixas et tumultus propter religionem exortos, summum virum, etiam hac ex parte Leibnitii similem, de victrice quondam futura veritate deque restituenda ecclesiae concordia nunquam dubitasse supra vidimus. Et quoniam omnem veritatem inter se cohaerere ac sua se simplicitate indicare et probare putavit, etiam rectiorem et magis virilem systematis mundi ejusque legum intellegentiam, licet ut in mortalibus nunquam perfectam, multo tamen melius quam dispersa nunc quasi infantiae generis humani somnia cum veris spiritualis regni divini legibus convenire pro certissimo habuit. Quumque dissonantiae, ut ita dicam, in diversis de religione christiana sententiis obviae tristissimam et singulorum hominum et universarum partium civitatumque discordiam secum tulissent atque hanc perfide foventes Jesuitae jam fatale illud bellum concitassent, cujus miserias a Keplero per decennium sive oculis sive auribus perceptas nos nostro aevo vix omnes superavimus, ille tamen nunquam, sicuti permulti alii, qui tunc apud varias gentes demisso animo ad scepticismum delapsi sunt, vel de providentia divina vel de ecclesia christiana, vel de patria Germanica desperavit. Quod erant, qui tantas exspectationes ut aegri somnia deriderent, id ne minime quidem eum movebat. Adorabilem ipsius Dei sapientiam vel a doctissimis multis, qui aestimantur, hominibus prorsus ignorari, immo stultam haberi meminerat. Etiam id, quod nunc eruditorum nominum auctoritatem sequens etiam vulgus facile admittit, terram, quam ut stabilissimam oculi intuentur, duplicis generis motu per immensa spatia incredibili celeritate ferri, incredibile tunc et absurdum multis eruditissimis viris videbatur. Quos Keplerus his verbis ad Tychonis de Brahe epistolae marginem adscriptis repellit: ‚Non est absurdum Deum in conditu tantae molis demonstrasse suam omnipotentiam; nec Deo mundus magnus est, sed nos mundo parvi.‘[1] Simili injuria Dei sapientiam in admiranda mundi visibilis ot invisibilis convenientia exhibitam ab hominibus ignorari ac sperni deplorabat; quam sapientiam si omnes Christiani verius agnoscerent et colerent, facilius inter eos acerbae partium lites componerentur. Sperabat, fore tempus, quo pudore suffusi homines agnituri essent errorem suum et caeca debellata superstitione vanoque metu deposito confessuri, sartam tectamque servari utrique et Scripturae et Naturae libro veritatem suam atque auctoritatem, sibique de utroque aperto essent gratulaturi; tunc demum fiduciam

1) Epp. p. 104.

mortalium in divinis perfectionibus collatam mirum quantum firmatum iri, qua pulchritudinem civitatis Dei, praecipuae universi partis jam in hac vita intuerentur, perfectius quondam ejusdem pulchritudinem mortalitate deposita divinae gloriae lumine contemplaturi et cogrituri.'[1]

Itaque eandem causarum efficientium et finalium, rerum naturae et civitatis Dei convenientiam, quam postea Leibnitius praestabilitae harmoniae nomine accuratius explicare studuit, jam Keplerus, licet iisdem verbis non adhibitis, ingeniose significavit. Sic eum facem mentis praetulisse aequalibus, gratissimo animo haud pauci eorum confessi sunt, qui quamvis sublime Aristotelis ingenium minime spernerent, tamen intellexerant scholasticam philosophiam ab eo pendentem non amplius satisfacere posse altiori veritatis desiderio sed ad solvenda pro humanis viribus universi aenigmata nova qua incederetur via opus esse. Ex quorum numero Joannes Papius, egregius medicinae professor Regiomontanus, anatomicae artis peritissimus, illum alloquens, ,Grata mente', inquit, ,agnosco, te primum et solum nobis medicis et philosophis veram videndi rationem commonstrasse.' Quae verba, etsi proxime ad Kepleri de optica doctrina merita spectant, tamen etiam latius sumpta ex scriptoris mente vera esse ejusdem litterae ostendunt. Qui permoleste se ferre declarat, quod divinum Kepleri ingenium, carminibus quoque ut Germaniae decus plus semel ab illo celebratum, non in speculationibus gravissimis, ceterorum fere omnium ingenia excedentibus, esse occupatum, sed distineri calculationibus, quae industrio atque in iisdem studiis mediocriter exercitato homini potius committendae essent; si illius audiendi per octiduum dumtaxat copia sibi daretur, id sibi gratum commodumque fore in maximis difficultatibus, ex quibus nesciat an unquam sine ejus ope possit emergere.[2]

Addam nonnulla ex supra memoratis Zehntmairii litteris, ad quem propter Ferdinandi tyrannidem vehementer contristatum Keplerus de universa rerum divinarum humanarumque contemplatione uberius scripserat. Ad haec ille respondet: ,Epistolam tuam, verius scriptum aut dissertationem philosophicam, avidissime uno quasi spiritu perlegi et summa laetitia perfusus non satis potui exquisitam tuam eruditionem et judicii dexteritatem admirari et laudibus efferre, quo non

1) Vita Kepleri (scripta ab Hanschio) p. XXXVI.

2) Kepleri epp. p. 79. 87. 88.

tantum dubiis meis abunde satisfecisti et me ex labyrintho ruditatis et ignorantiae solida tua doctrina ceu Thesei filo eduxisti, sed insuper solatium efficacissimum et judicium vere christianum de praesenti Ecclesiae statu suggessisti. Nae tu mihi terque quaterque beatus es, qui tam ingentes thesauros humanae et divinae scientiae possides, et tanta dexteritate ardua quaeque et communi hominum intellectui abscondita nosti eruere, judicare et scopulos errorum et offendicula, quibus nemo non hac tempestate impingit, tam caute declinare et virtutem in mediis anfractibus vitiorum tam studiose sequi. — Ad eximiam philosophiae cognitionem Deus verae pietatis donum in te contulit, ita quidem, ut humanâ sapientiâ exculta in te ratio minime pervertat Christi sensum et tu ubique judicii dexteritate praeditus genuinam scis intellegentiam eligere et verum a falso distinguere. Certe adhortatione illa, quam de afflicta Ecclesiae condicione et communi scandalo injecisti, mirifice sum affectus et erectus.'[1]

Ceterum Keplerus, ubi ab ingenti visibilis mundi systemate transiit ad contemplandum mundum invisibilem, sapientissimam providentiam non tantum in magnis rebus ad universam Dei civitatem pertinentibus sed etiam in parvis vitae quotidianae casibus assequi studet. Sic de inito matrimonio suo ad amicum scribens et in multiplicibus quae illud praecesserant eventis divinum consilium inquirens, nihil dicit esse ,quod scrupulosius examinet quodque adeo scire desideret: si forte Deum, quem in totius universi contemplatione quasi manibus palpet, intra se ipsum etiam invenire possit'. Hac providentia confisus inter gravissima incommoda, quibus iterum atque iterum usque ad finem cum familia sua afflictus est, animum non despondit neque propter tenuem ipsius victum nobilissima erga egenos liberalitate pro viribus uti desiit. Simul magni semper fecit mutuam amicorum consolationem. Libenter post carissimae mulieris decessum probi illius medici Papii admonitionem audivit: ,te virum ostende in doloribus, expugna omnem animi moerorem, ut Christianum militem decet.' Ipse amicos plus semel hortatur, ut in rerum suarum vicissitudinibus divinae gubernationis vestigia indagent. Neque eum fugit, quam arcte interdum parvae et privatae res cum magnis et publicis cohaereant. Praecipue in iis, quae vi quadam fatali singulorum hominum ingenia ad certas quasdam occupationes trahunt, Dei manum cognoscit. ,Fatum quodpiam', inquit, ,occulte homines alios ad alias

1) Ibidem p. 138.

artes impellit certosque reddit, sese, ut pars sunt creati operis, ita et in parte divinae providentiae esse.'[1]

Eandem fiduciam atque inde fluens idem pectoris robur, quae in Keplero conspicua sunt, in Galilaeo non animadvertimus. Cognitam de systemate Copernicano veritatem per multos annos ecclesiasticorum optimatium metu non tantum reticuit, sed etiam contra conscientiam disertis verbis passim negavit, ecclesiae sententiam, quam illi se tenere et pronuntiare gloriabantur, infallibilem esse declarans. Cujus rei exempla infra memoranda nobis erunt. Talia si quis consideraverit, suspicari facile possit, etiam cetera quae apud illum piam mentem christianam et catholicam testari videantur, non ex ipsius conscientia, sed ex accommodata ad vulgatas opiniones animi specie profecta esse. Errarent nihilominus qui sic censerent.

Etenim Galilaeo non aliter atque Keplero rerum naturae investigatio pars tantum philosophiae erat, ipsa vero philosophia sine aliqua Dei cognitione manca videbatur. Ea sane ipsi non satisfecerunt, quae scholastici de Deo ex Aristotele hausta et cum ejusdem placitis physicis arcte, ut omnibus videbatur, cohaerentia docebant. Jam adulescens Platonem Stagyritae praetulerat, neque tamen hunc, quem graece legerat, aspernabatur; eundem ipsum, si accuratiora naturae experimenta oblata essent, haec suis antepositurum fuisse dicit. Etiam in ejusdem speculationibus debiliora quaedam significat; sic ex obscuris ejus dictis sophistas diversissimas res repetiisse, verbi causa alios mortalitatem, alios immortalitatem animae deduxisse commemorat. Ridiculos illos esse dicit, se vinctos se esse profiteantur iis argumentis, de quibus ipsi dubitent, num de tali vel tali proposito scripta fuerint, immo de quibus inter ipsos disputatur an eadem res affirmetur an negetur. ‚Quid hoc aliud est', inquit, ‚quam oraculi instar statuam ligneam constituere? Vah inauditam servilium ingeniorum vilitatem!' ‚Nec ideo tamen contendo, nullatenus esse Aristoteli auscultandum; laudo potius si quis illum inspiciat diligenterque discat. Id modo vituperandum est, usque adeo in praedam se ei dare, ut occluso oculo unicuique dicto ejus subscribas et omissa diversae rationis investigatione quodque pro inviolabili decreto recipias. Quid, quaeso, pudendum est magis quam quod videmus in publicis disputationibus, dum de conclusionibus demonstrandis tractatur, aliquem ex transverso progredi Aristotelico textu, saepenumero de re diversissima scripto,

1) Vita Kepleri p. XI.

et objecto eo adversarios occludere? Sane si hunc studendi modum porro tenere voletis, nomen philosophorum abjicite et vel historicos vel memoriae doctores vos appellate.'[1]

Inter ea quae in Aristotelica contemplandae rerum naturae ratione a Keplero et Galilaeo mutata esse supra diximus, summi momenti erat, quod quantitates ad quantitates referre et revocare studebant. In ea vero re multo longius quam Keplerus progressus Galilaeus docet, si quid pro varia visus, auditus, aliorum sensuum affectione nigrum vel album, dulce vel amarum etc. vocemus, has qualitates tale aliquid, quale percipiamus, in ipsis perceptis corporibus revera non esse, sed meras sensuum nostrorum affectiones; has vero omnes corporum motibus effici, ipsos motus necesse esse quantitati et mathematicis rationibus subjacere.[2] Sic fundamenta jacta esse novae de cognitione humana doctrinae, a Cartesio mox excultae, a Kantio ad fastigium postea perductae, quae ab objectivis, quas nunc dicimus, perceptionis rationibus ad subjectivas reflectitur, quis est qui non videat? Neque vero mirum, quod ipse Galilaeus novarum sententiarum, scholasticae traditionis principia quasi capitaliter depugnantium, gravitatem et vim philosophicam divinavit quidem et aliquo modo sensit, sed non clare perspexit. Sui esse putabat hominum animos a libris de rebus scriptis ad ipsas res contemplandas traducere. In experimentis et studiis physicis, ad quae ingenio ferebatur, totus occupatus philosophicam speculationem, licet minime in ea rudis, longius non persecutus est. Quare quum usque ad vitae finem cum sui aevi Peripateticis ei certandum esset, tamen quod ad summa principia pertinet, non magis ea, in quibus cum illorum magistro consentit, quam ea, in quibus ab eo discrepat, accurate ac plene unquam explicavit. Utraque tamen passim significat. Consentit autem in pluribus principalibus. Nam cum Aristotele in pervestiganda rerum natura juxta causas efficientes etiam finales vult respici, et a causis secundariis ad primariam, quae Deus est, ascendi. Quod nisi fieret, unum et universum totius mundi ordinem, qualem quisque rerum naturae investigator et supponit et sequitur, cogitari nullo modo posse putavit. Atque cum Aristotele ejusmodi ordinem vere statui non posse vidit nisi agnitis causis finalibus.

---

1) De systemate cosmico dial. II. Lugd. Bat. 1699 p. 102 s.

2) Opere di Galilei (Firenze) IV 339. Cf. Natorp l. c. p. 135 ss. Ceterum jam Fabronius in vita Galilaei (Pisis 1878) p. 107 illum, non Cartesium doctrinae supra dictae inventorem esse adnotat.

Quod ad has ipsas pertinet, Galilaeus non aliter atque Keplerus parvam eorum mentem saepius impugnat, qui ad solam mortalium utilitatem illas trahebant.[1] Quarum mirabilem nexum, qui et ad totum universum et ad minimam quamque ejus partem spectet, a nobis plane perfecteque perspici non posse persuasum habet. Tamen certissime illum nexum tenet. Repellit eos, qui, quoniam ad phaenomena naturae explicanda indivisibiles atomos cum Democrito posuit, cum eodem divinam providentiam eum infitiari contenderant.[2] Neque ejus causas finales, ubi conspicuae sint, in contemplanda rerum natura neglegi fas esse censet. Cujus ipsius naturae finem eum esse cum Keplero declaravit, ut divina sapientia clarior hominum menti illucesceret. Quapropter etiam argumentum ab illo pro Copernicano systemate allatum probavit et non sine festivitate defendit, illud dico quod a contorta nimis artificiosaque Ptolemaici et Tychoniani indole desumptum erat, quoniam natura finem suum ubique quam simplicissime assequeretur. Et contra Lagallam Peripateticum scribens, concedit quidem, divinam providentiam non totam terram aqua circumdedisse, ut esse possent terrigenae, ad quorum vitam provideretur. Sed addit haec: ‚Si aqua terram non circumdat ex providentia Opificis, ne dicas aquae esse magis naturale totam ambire terram; nam haec providentia longe melius leges imponit omnibus partibus Universi quam ipsa natura, si tamen ejusmodi providentiam a natura sejungere decet.‘[4]

Non fugit Galilaeum, in contemplanda natura facilius esse causarum efficientium quam finalium nexum detegere. Verumtamen etiam in illis esse aliquid, quod omnem humanam scientiam exsuperet saepius monet. Exhibetur quidem in explorando earum nexu summa humanae rationis vis. Si verbi causa ex motu terrae circa solem currentis fluxum et refluxum mathematice derivare possimus (id quod errore deceptus praestare se posse putat Galilaeus), non amplius inexplicabile est illud phaenomenon. Ipsius terrae motum, quatenus initium ejus explicari non potest, miraculum dicit, quod et idem Newtonium, licet post Keplerum in explicandis tribus ejus legibus ad coelestium corporum motibus plura quam ille praestiterit, censuisse

1) Cf. Opere I 399 ss.
2) Ibidem XIII 29 (‚Il academico‘ Linceo ubique ipse est Galilaeus).
3) Ibidem I 293 ss. Cf. 12 p. 55.
4) Haec ipse G. latine scripsit. Ibidem III 365.

constat. Praeterea vero Galilaeus etiam ea phaenomena, quae ex miraculoso motu illo primario naturaliter emanant, quatenus una cum eo posita sunt, miraculosa diserte vocare non dubitat.[1]

Neque id eo sensu dixit, quo recentiores quidam physici de motus, vitae, animae sui consciae initiis suum illud ‚ignoramus et ignorabimus' pronuntiaverunt. Quin immo illa omnia cum Keplero et Newtonio ‚miraculosa Dei opera' esse et globum terrestrem ‚supranaturaliter id est ‚absoluta Dei potentia' mobilem esse praedicat.[2] Nimirum hanc unam primariam omnium rerum causam, sine qua etiam Universum unum et firmissimis legibus stabilitum cogitari nequit, tam certo esse credit quam ipsum Universum. Eandem vero pro summo et absoluto intellectu habet, quia non infra sed supra humanam mentem, quae una cum toto Universo ab ea pendet, eam esse oportet. Falsam et ignobilem scepticismi modestiam, qui haec pro certis agnoscere recusat, non minus egregie refellit quam eorum vanitatem, qui sine multo labore, observatione, meditatione omnia se scire imaginantur.[3] De quibus exclamat: ‚Stultorum magnus est numerus. Totam philosophiam unus solus intellegit, qui est Deus.'[4] Inter homines quanto quis sapientior fuerit tanto magis eum agnovisse tantoque liberius confessum esse ait, se parum scire. Revera humanam scientiam extensive acceptam nihili instar esse, si cum divina conferatur, quippe quae infinita sit et omnia scibilia in ipso Deo et in mundo ejusque causis ac legibus amplectatur, dum nostra mens ad paucissima eorum pertingat. Intensive vero acceptam scientiam nobis inditam esse divinae similem, immo si ad interiorem certitudinem[5] spectetur parem, quoniam in paucis nonnullis quae assequimur, cognoscendis, ut in mathematicis, eo progrediamur, ut earum necessitatem comprehendamus, qua certitudine nulla alia major esse videatur. Similiter Keplerum de veritatibus mathematicis cogitasse vidimus. Galilaeus alio loco se ad Platonis sententiam se inclinare fatetur, qui humanum

1) Ibidem I 457 cf. 456 ss.

2) ‚Sopranaturalmente cioè per l' assoluta potenza di Dio.' L. l. 457 cf. 458 ‚Per dire il mio senso, a me se rappresentano miraculose tutte l' opere della natura e di Dio' (verba Sagredi, qui ipsius Galilaei sententiam in his dialogis profert).

3) Ibidem I 205.

4) Ibidem I 364.

5) Dicit Galilaeus ‚certezza obiettiva', I 116. Objectivum quondam id dicebatur, quod post Kantium subjectivum vocari solet.

intellectum divinitatis participem propterea duxerit, quod ille numeri naturam percipiat.[1] Simul vero adnotat, eum modum, quo Deus cognoscat infinitas propositiones, quarum nos paucas aliquas cognoscamus, longe excellentiorem esse nostro modo, quo ratiocinantes a conclusione ad conclusionem discursive progrediamur, quum Dei modus simplici absolvatur intuitu. Tunc pergens, ‚Nos exempli causa', inquit, ‚ad nonnulla circuli propria (quae infinita sunt) cognoscenda, postquam inchoavimus ab aliquo simpliciore idque definitione apprehendimus ratiocinando ad alterum et ab hoc ad tertium, inde ad quartum etc. procedimus; intellectus divinus simplici apprehensione suae essentiae amplectitur omnia infinita circuli propria, quae forsitan sua essentia unum solum sunt in divina mente.' Deinde magnus vir pro insigni, quo divinitus praeditus erat, mathematico ingenio, haec addit: ‚Id ne humano quidem intellectui, etsi profunda caligine obumbrato, haud prorsus est incognitum; nam istae tenebrae discutiuntur ex parte et clarescunt, si conclusiones aliquas firmiter demonstratas penitus imbibimus et usque adeo in numerato habemus, ut velocissimo motu transcurrere eas possimus. Itaque humanum intellectum, licet infinito intervallo a divino remotum, haud ita extenuo, ut absolute pro nullo eum habeam, sed dum considero, quot quamque mirabiles res ab hominibus intellectae, investigatae et confectae sint, eo ipso clarissime cognosco et intellego, mentem humanam opus esse Dei idque excellentissimum.'[2]

Hujus denique mentis acumine quantum genus nostrum perfecerit, in fine primi illius de systemate cosmico dialogi facunde describit. Tot incredibilia fere in opificiis et in litteris inventa praedicat, tantam statuarum et pictarum elegantiam, tot insignia musices, poëseos, architecturae, etiam artis navigatoriae miracula. Omnium vero stupendorum inventorum quasi sigillum id ponit, quod tritissimum nobis videtur, artem illam, qua ‚penitissimas animi cogitationes cum aliis communicare possimus, etsi longissimo et loci et temporis intervallo distant, colloqui cum iis qui versantur in Indiis, cum his qui nondum nati sunt nec nisi mille aut decies mille abhinc annis nascentur, idque quanta facilitate? nimirum viginti minutis formis in charta varie inter se junctis'.

1) Ibidem I 15.

2) Ibidem I 116. 117.

Proxime et facillime hinc transiri posse videtur ad contemplandas leges, quibus magna illa societas humana, quamvis perpetuis dissidiis hostiliter disjuncta, tamen tot inventorum, artium, doctrinarum spirituali vinculo connexa divinitus regitur. Quae leges cum legibus in visibili natura conspicuis comparandae erant, quod quum fecisset Keplerus etsi non sine admixtis erroribus, tamen alto amploque ingenio ad demonstrandam vere divinam totius universi harmoniam aliquatenus propius accedere haud frustra studuerat. Hac ex parte Galilaeus cautior minusque audax, verum etiam officii philosophici, quod ad comprehendendam uno vinculo totam veritatem pertinet, neglegentior erat. Mirum est, quod quum Dei sapientiam, variis et eximiis humanae mentis dotibus manifestatam, ostendere velit, ea quae ad verum, pulchrum, utile spectant, ingeniose depingit, ea quae ad ethice bonum, prorsus omittit, quodque de miro illo omnium, quae in humana natura vere divina sunt, nexu et concentu ne minime quidem cogitat. Alia juxta alia posita considerat eorumque multitudine et varietate obrutus exclamat: ,Dum per tot mirabilia hominum et in opificiis et in litteris commenta vagatus postea ingenii mei vires respicio tam remotas a facultate non dico recens aliquid inveniendi, sed jam inventa saltem cognoscendi, stupore et desperatione affectus parum ab infelicitate abesse mihi videor.' Et splendidissima Michaelis Angeli, Raphaëlis, Titiani artificia admiratus se ipsum alloquitur: ,Tu quando similia praestare poteris?'[1]

Itaque etiam quaestiones ad religionem christianam attinentes, cum iis scientiae studiis, in quae maxime incumbebat, nisi coactus ab adversariis comparare et conjungere non solitus est. Ipsa comparatione, ubi opus esse ei visa erat, ab aliis quaestionibus religionem, utpote quae ad solam animarum salutem spectet, quam maxime seponendam esse probare nitebatur. De Sacra Scriptura summa cum verecundia semper locutus est. Singula ejus verba ingeniose interdum adhibet. Plus semel quidem jam ante quam ab Inquisitione castigatus erat, ironice catholicorum felicitatem celebravit, quorum praesules falli nescium etiam de quaestionibus physicis judicium ferrent.[2] Sed ejusmodi dicteriis singulorum hominum, inprimis Jesuitarum, errorem et corruptionem in praesentia per ecclesiam grassantes perstringit, non ipsam ecclesiam. Simul et inter hujus probissimos piissimosque prae-

1) Ibidem I 118.

2) De hac re infra nobis loquendum est.

latos et in monasteriis multos habebat studiorum suorum admiratores et fautores insignes, neque fugiebat eum quanta commoda etiam tunc ecclesia eruditorum virorum commercio afferre posset. De Protestantibus simili aequitate atque Paulus Sarpi, quem summi fecit, judicasse videtur, cum egregiis eorum viris doctis per litteras libenter colloquebatur. Sed eum illorum sententias religiosas serio examinasse, nedum ad eas inclinasse nullis comprobatur vestigiis. De dogmatis Romanis, quae illis opposita sunt, ad alias res intentus, vix unquam verba facit; ritus et mores ecclesiae inde a puero usque ad senectutem coluit. Altiora et fortiora christiani animi testimonia extremis vitae annis edidit, quum inter innumeras calamitates et dolores nobilissimam ingenii operam divinitus ei mandatam indefessus usque ad finem exsequeretur. Etiam prioribus vero temporibus pietatem ejus fucatam non fuisse quisque videbit, si ex epistolis ad intimos familiares scriptis viri indolem cognoverit. Eundem Deum, cujus providentiam in grandissimis et minutissimis Universi partibus perspiciebat, ut voluntatem suam et aeternae vitae viam perfectissime patefaceret, Christum redemptorem misisse, non tantum ore sed pectore professus est. Tot probissimorum amicorum et discipulorum, qui hanc fidem sancte tenebant, admirationem et inconcussum omnibus cladibus amorem sine candore et sinceritate sibi non conciliasset. Quodsi nihilominus inter ea, quae in tam splendida vita jure vituperantur, gravissimam notam id fert, quod ille timore Romanae ecclesiae ejusque Inquisitionis perculsus in certis quibusdam rebus physicis, in quibus etiam amici ejus Italici nullo excepto aliqua simulatione opus esse censebant, contra conscientiam suam et contra veritatem perfecte cognitam peccavit, prudentes et veri tenaces viri non dubitabunt, quin longe major ejus rei culpa ipsi ecclesiae Romanae assignanda sit. Quae quomodo sanguine et dolo cum alibi tum in Italia illo seculo veri sensum paene exstinxerit, supra demonstravimus. Mendacium enim, ubicunque in religione hominibus vi intruditur, in aliis quoque rebus vigebit.

Eodem tempore Papistae, inprimis Jesuitae, pari atque Italiam tyrannidi spirituali etiam Germaniam nostram subjicere impense conabantur, quam ad rem primum multimodis machinamentis, deinde armorum vi usi sunt. Jamque in multis regionibus, praesertim Austriacis, ad finem suum paene accessisse videbantur. Keplero illic, ut in fide evangelica subsisteret, heroico animo opus erat. Subsistere tamen poterat et vivere. Non deerant ei vexato et fugato fideles inter ipsos Romanocatholicos viri, qui etiam haud frustra eum ad-

juverunt, quum fanatici homines liberos vi eripere ei et a patria religione abalienare studerent. Copernici de terrae motu sententiam, licet etiam inter Protestantes acerrime impugnatam, tamen profiteri et defendere licebat, vi eam opprimi ne ii quidem volebant, qui Imperatori, Jesuitarum amico, a consiliis erant. Quare Keplerus, quum invitatus esset ut in locum Antonii Magini, professoris mathematici Bononiensis, vita defuncti, qui amicissimus ei fuerat, succederet, ad missas honorificentissimas litteras respondit, ‚se unice quidem suspicere atque colere Bononiam omnium academiarum metropolin vereque matrem studiorum, tamen ne vitio sibi vertatur, si tam splendidae invitationi non obsequeretur; se enim natione animoque Germanum esse et ut Germanum ea libertate morum et sermonis usum, cujus consuetudo sibi Bononiam transeunti adhaerens facile si non periculum, saltem notam aliquam causari, suspiciones concire seque Coryzeorum delationibus obnoxium reddere posse videretur.‘ [1]

Quanta in Italia pericula essent vindicandae veritatis, Keplerus jam multo ante compertus erat, quum primum per litteras cum Galilaeo ageret. Qui illi pro misso per Paulum Ambergerum ‚prodromo dissertationum cosmographicarum‘ gratias ei retulit quam maximas, ‚quod tali argumento se in suam amicitiam convocare esset dignatus.‘ Summopere gratulatus sibi est, ‚quod tantum in indaganda veritate socium haberet adeoque ipsius veritatis amicum.‘ Sed addidit haec: ‚Miserabile est adeo raros esse veritatis studiosos et qui non perversam philosophandi rationem prosequantur. At non deplorandi seculi nostri miserias hic locus est, sed tecum congratulandi de pulcherrimis in veritatis confirmationem inventis. Equidem in Copernici sententiam multis abhinc annis veni atque ex tali positione multorum etiam naturalium effectuum causae a me sunt adinventae, quae dubio procul per communem hypothesim inexplicabiles sunt. Multas conscripsi et rationes et argumentorum in contrarium eversiones, quas tamen in lucem hucusque proferre non sum ausus, fortuna ipsius Copernici praeceptoris nostri perterritus: qui licet sibi apud aliquos immortalem famam paraverit, apud infinitos tamen (tantus enim est stultorum numerus) ridendus et explodendus prodiit. Auderem profecto meas cogitationes promere, si plures quales tu es exstarent: at cum non sint, hujusmodi negotio supersedebo.‘ [1] In calce epistolae Keplerum ad crebras litteras invitavit. [2]

1) Kepleri epistolae p. 642 s. (a. MDCXVI.)
2) Id ex Kepleri responso infra laudato videmus.

Recte eruditus quidam Italus[1] adnotat, magnum Galilaei aequalem in hujus verbis praeter ridiculi fugam alium timorem bene animadvertisse eique memorabile responsum dedisse, quod totum spiret liberiorem animum ex ecclesiae reformatione ortum. Vehementer gavisus est Keplerus et de amicitia inita et de consensu. De timida autem Galilaei reticentia haec scripsit: ‚Utinam tibi, tali intellegentia praedito, aliud propositum esset! Nam etsi sapienter tu mones, cedendum universali ignorantiae nec sese temere ingerendum vel opponendum vulgi doctorum furoribus, tamen quum hoc seculo primum a Copernico, deinde a compluribus et doctissimis quoque mathematicorum, immanis operis initium sit factum, neque hoc jam porro novum sit, terram moveri, praestiterit fortasse communibus suffragiis semel impulsum hunc currum continenter ad metam rapere. Tua ratione simul laborantes tot iniquis judiciis socios adjutares, dum illi vel solatium caperent ex tuo consensu, vel praesidium ab auctoritate. — Confide, Galilaee, et progredere. Si bene conjecto, pauci de praecipuis Europae mathematicis a nobis secedere volent: tanta est vis veritatis. Si tibi Italia minus est idonea ad publicationem et si aliqua habiturus es impedimenta, forsan Germania nobis hanc libertatem concedat.‘[2]

Hanc amicam admonitionem Galilaeus per tredecim annos sequi non ausus est. Immo in lectionibus Paduanis systema Ptolemaicum quasi verum explicavit[3] et familiarissimis discipulis, sicuti Castello ut idem facerent auctor erat. Decimo demum anno XVII seculi, quum tot novas et admirabiles res telescopii ope in coelo detectas edito ‚sidereo nuntio‘ aequalibus annunciaret, quantum illae pro Copernicano systemate facerent breviter significavit.[4] Tunc etiam, quod diu intermissum erat, epistolarum commercium cum Keplero summo studio renovatum et per aliquod tempus assidue continuatum est.[5] Hic primus, cum ab ipso Imperatore judicium de libello illo ferre jussus esset, defensionem ejus suscepit, scripta dissertatione, cui epistolae ad Galilaeum missae formam dedit. Ea quae ille viderat et plenissima fide digna esse, et pro Copernico revera facere ostendit. Haud multo post et ipse plura eorum vidit, telescopio usus, quod ei Ernestus

1) Favari, Galileo Galilei e lo studio di Padova I 154.

2) Opere di Galilei VI 21 ss., ubi haec Kepleri epistola primum tota publicata est.

3) Favaro l. c. p. 154 ss. Opere di Gal. VIII 290.

4) Opp. di Galilei III 98.

5) Summa ejus exhibetur in Kepleri opp. II 454 ss.

archiepiscopus Coloniensis, a Galilaeo missum commodaverat. Quae Italus in coelo detexerat cum novo mundo, quem alius Italus, Christophorus Columbus, trans Oceanum invenerat, comparavit. Quatuor Jovis lunas conspicatus exclamavit: Galilaee, vicisti. Narrationem eorum quae ipse observaverat publici juris fecit, ut et excitatis probrorum virorum dubiis occurreret, et Galilaei obtrectatoribus, qui vel palam vel occulte exitium ei machinabantur, silentium imponeret. Quae omnia ansam praebuerunt Segheto Britanno, ut cum aliis distichis haec ad Galilaeum mitteret:

Keplerus, Galilaee, tuus tua sidera vidit:
Tanto quis dubitet credere teste tibi?
Vicisti, Galilaee! fremant licet Orcus et umbrae:
Juppiter illum, istas opprimet orta dies.[1]

Galilaeus Keplero respondens gratias agit, quod ille, primus ac fere solus, re minime inspecta, quae ejus sit ingenuitas et ingenii sublimitas, ‚suis assertationibus integram fidem praebuerit.‘ Indicat, quinam detecta sua variis Italiae locis per telescopium sive perspicillum viderint. Queritur quod alii conspicati taceant et haesitent, alii obloquantur. ‚Quid igitur‘, inquit, ‚agendum? cum Democrito aut cum Heraclito standum? Volo, mi Keplere, ut rideamus insignem vulgi stultitiam. Quid dices de primariis hujus gymnasii philosophis, qui aspidis pertinacia repleti[2] nunquam, licet me ultro dedita opera millies offerente, nec Planetas nec lunam nec perspicillum videre voluerunt? verum ut ille aures, sic isti oculos contra veritatis lucem obturarunt. — Quos ederes cachinnos, si audires quae contra me coram Magno Duce Pisis a philosopho illius gymnasii primario prolata fuerunt, dum argumentis logicalibus, tamquam magicis praecantationibus, novos planetas e coelo divellere et evocare contendit. Vale, vir eruditissime, et me, ut soles, ama.‘

Kepleri assensum Galilaeo, qui ipse eo coram Magno Duce Etrusco nisus est,[3] non tantum animos addidisse, verum etiam in republica litteraria haud parum profuisse certum est. Fortissimo autem in Italia adjumento ipsum quod fabricaverat telescopium ei erat, quo inspecto mox gravissimi et illustrissimi viri, imprimis Venetis et

1) Opp. di Gal. supplementum p. 30. 32. Eadem poëmata Keplerus ‚narrationi‘ suae adjunxit. Cf. Opp. II 513 ss.

2) Significat locum Ps. 58 (57), 5, ubi affertur similitudo ‚aspidis surdae et obturantis aures suas.‘ Loquitur de gymnasio Paduano.

3) Opp. VI 94 cf. 102.

Florentiae, ad summam inventorum ejus admirationem abrepti sunt. Relicta Padua, ubi ut in locum suum Keplerus substitueretur efficere frustra tentaverat,[1] in patriam Etruscam rediit, quo a Magno Duce cum summo honore lautoque stipendio vocatus est, ut sine muneris onere imposito totus ad explorandam rerum naturam et conscribendos libros incumbere posset. Jam abjecta priore timiditate ingenti spiritu agebatur. Librum de constitutione mundi, ad quam per tot annos studia converterat, se confecturum esse et Magno Duci et Keplero annuntiat; huic se de quibusdam quaestionibus illic responsurum esse promittit; simul jam tunc de motibus corporum, id quod postea praestitit, novas sibi disciplinas condendas proponit, itaque suo jure ‚magna se et admirabilia secum habere' praedicat. Aeternam inde gloriam et Principi populoque suo et sibi ipsi orituram sperat. Neque omittit Deo ‚infinitas gratias agere, quod ei placitum sit, ut se solum tam admirabilium rerum per omnia secula occultarum observatorem faceret'.[2] Quarum rerum veritatem coram genere humano profitendam et contra adversarios peripateticos et theologicos vindicandam sibi esse certissime nunc persuasum habuit. Illorum vero quasi arx et sedes primaria Roma erat. Quare a. MDCXI illuc audacter profectus, dum amicorum et fautorum consiliis auxiliisque prudentissime utitur, in Urbe plenissimam victoriam reportasse per aliquod tempus visus est.

Etenim cum apud viros eruditos, quorum magna illic multitudo erat, tum in aula Pontificia summis fulgebat honoribus. Conspectis per telescopium coeli miraculis etiam ii, qui illa vel negaverant vel dubia putaverant, coacti sunt ut vera ea esse agnoscerent. Ut ea viderent multi viri docti, Patricii Romani, Cardinales ad legati Etrusci domicilium, in quo degebat Galilaeus, serenis Aprilis mensis noctibus convenerunt multumque cum illo contulerunt sermonem. Etiam ex Jesuitis tunc haud pauci Galilaeo favebant. Cum celeberrimo eorum doctore, Bellarmino Cardinali, saepius conversatus est. Hic quatuor eruditos Romani collegii sodales per litteras interrogaverat, num vera essent quae de recens inventis coeli phaenomenis traderentur et num ipsi ea vidissent. Illi, ex quibus Malcotium Kepleri libros legisse et epistolarum commercio cum eo usum esse scimus,[3] utrumque affir-

1) Favaro l. c. II 9 ss.

2) Opp. VI 82. Cf. quae ibi leguntur p. 81—99. De iis quae ad Keplerum scripsit cf. hujus opp. II 570 s.

3) Kepleri opp. p. 556 ss.

mare non dubitaverunt. Unde factum quidem est, ut aliquot Jesuitae magnam honoris partem a Galilaeo in suam societatem transferre studerent.[1] Quorum unus aliquis etiam in oratione Mantuae ter habita rem ita enarravit, quasi non de solius Galilaei sed de plurium inventis ageretur. Hos omnes vero orator ille Keplerum imitatus majora perfecisse praedicat, quam qui trans oceanum ‚novos terrarum orbes' detexerint; ‚dignos eos esse quos grata posterorum memoria in coelestibus iis sedibus collocatos aeternet, de quibus ad nos tam mira tam inopinata, tam inaudita detulerint.'[2] Inter eosdem locum saltem concedit ipsi Galilaeo. Immo non deerant tunc in ipsa Jesuitarum societate, qui magno viro, ut contra adversarios suis sententiis patrocinaretur auctores erant. Talem ipse se praestitit Bellarminus, veritatis ut dixit curiosissimus, quum Galilaei responsum ad ea, quae Ludovicus delle Colombe de superficie lunae scripserat, exspectaret.[3]

Inquisitionis quidem Sanctum quod dicebatur Officium jam eodem anno suspicionem quandam contra Galilaeum alebat. Jussit tribunal suum Paduanum inquirere, ‚an in processu doctoris Caesaris Cremonini nominatus esset Galilaeus philosophiae ac mathematicae professor. Neque tamen ipse Galilaeus propter systema Copernicanum et in libello illo suo et colloquiis defensum Romae tunc a quoquam accusatus est. Quantum ex phaenomenis, quae viri eruditi diserte confirmaverant, Saturni satellites et Veneris phases pro systamete illo illud facerent, etiam iis, qui in mathematicis et astronomicis rebus minus versati erant, facile illuxit. Argumenta contra illud a Ludovico supra dicto prolata Galilaeus litteris refutavit, quae ut etiam a Bellarmino legerentur providit. Non mirum quod etiam postea similia scriptis suis passim prodidit. Sui nimirum officii putabat, ut hominum animos pro viribus praepararet ad majus illud de Copernicano systemate opus, quod jamdiu moliebatur, facilius accipiendum. Quare quum ab adversariis de violata sacrorum librorum auctoritate accusatus esset, quippe qui solem, non terram moveri docerent, sententiam suam duabus epistolis vindicavit, quae typis quidem non expressae sed in multa

1) Gori in: atti della R. Academia dei Lincei s. 2 vol. I p. 230; cf. Reusch, Process Galileis p. 26 n. 1.

2) Opp. di Galilei III 138 s.

3) Cf. ibidem III 122, ubi Galanzonius Bellarmini nomine Galilaeum adhortatur, ut Ludovico illi respondeat: ‚Io sono in una curiosità extrema della verità, siccome anco è l'Illustrissimo nostro Padrone' (i. a Bellarminus).

4) Recti, Processo originale di Gal. ed. 2 p. 18.

exemplaria transcriptae et passim sparsae sunt. Illic non aliter atque Keplerus easdem rationes secutus est, quas rectas esse hodie etiam acerrimi Curiae Romanae asseclae uno ore concedunt. Quippe sacros scriptores de rebus physicis pro sui temporis captu et modo loqui, neque ad eas docendas sed ad manifestanda ea, quae ad fidem et mores pertinerent, spiritu sancto impletos esse ostendit. Eodem tempore aperte talia enuntiavit, quae vigenti annis post, dira captivitate detentus, clam tantum litteris commisit, perniciosum esse ipsi ecclesiae, si fidei auctoritate de rebus naturalibus placita teneri juberet, quae postea falsa esse demonstratione vel experientia omnes intellecturi essent.[1] Verum talia tunc, etsi Paulo Sarpi, Foscarino Castellio multisque eorum similibus placuerunt, tamen monachorum et clericorum plerosque vehementer offenderunt. Immo et Pauli Sarpi illius amicitia et commercium epistolare, quod se cum Germanis quibusdam iniisse libello quodam significaverat, probro ipsi versa sunt.[2] Itaque nomen ejus apud Inquisitionem Romanam delatum est. Inde imminenti periculo obviam iturus Galilaeus iterum Romam se contulit. Sed ibi interea adversariorum ejus vires succreverant. Bellarminus ipsi quidem benevolum etiamnum se praebuit, sed ad impugnandum et condemnandum novum mundi systema licet haesitans abreptus est. Quod quomodo factum sit ut appareat, primum de ipso Copernico ejusque libro, septuaginta annis ante edito, tunc vero primum Romae in judicium vocato, nonnulla nobis hoc loco dicenda sunt.

Qui liber jam ab initio inter sinceros quosdam Christianos, etsi religionis causa in varias partes discesserant, amicitiae vinculum junxerat. Ipse quidem Copernicus, hominum risum veritus, usque ad appropinquantem vitae finem de systemate suo ejusque rationibus nihil unquam scriptis publice professus est, ideoque illud, obscuris tantum rumoribus propagatum, quum perpetuae universi generis humani fidei refragari videretur, revera et a vulgo et a viris doctis ridebatur. Etiam Lutherus et Melanchthon, qui Copernicum admiratione et amore amplexus est,[3] pro temerario ludo illud habuerunt. Nihilominus Vitebergae inter juniores erant, qui aliter censerent. Ex his vir ingenio-

1) Recti l. c. ed. 2 p. 22.

2) Ibidem p. 26.

3) C. R. XI 839. Cf. libellus meus de Melanchthone reipublicae litterariae reformatore p. 31. Haud mirum quod Melanchthon, postquam Copernici opus editum est, inter tot seriorum vitae temporum tempestates ad illud accuratius examinandum non pervenit.

sissimus, Georgius Rheticus, professor matheseos, de qua optime meruit, anno MDCXXXIX in Borussiam ad Copernicum canonicum Frauenburgensem, ut ejus institutione frueretur, profectus est, qui summa cum fiducia eum excepit, magnum suum opus ,de revolutionibus orbium coelestium' jamdudum absolutum statim ei legendum dedit et consuetudinem ei conciliavit familiarium suorum, inprimis amici intimi Tiedemanni Gisii, episcepi Culmensis, qui Erasmi theologiam secutus fidenti animo cum Melanchthone per litteras agere non dubitavit.[1] Sic fieri potuit, ut Rheticus Lutheranus ultra biennium apud Romano-catholicos degeret ibique primus edito doctissimo ingeniosissimoque libello accuratiorem novi systematis notitiam cum republica litteraria communicaret.[2] Immo Rheticus Copernicum et ut ultimam curam magno operi jam fere perfecto impenderet suo labore strenue adjuvit, et ut ejus editionem admitteret una cum Gisio episcopo multis precibus et adhortationibus permovit,[3] denique librum auctoris nomine vulgandum ipse suscepit. Quamobrem primum Vitebergam, deinde renuntiato illic professionis mathematicae munere Norimbergam se contulit, ubi celeberrimum librum ,de revolutionibus orbium coelestium' typis excudendum curavit.[4] Cui negotio quum initio ipse praefuisset, postea relicta Norimberga Osiandro illud permisit, illustri theologo Lutherano, qui etiam astronomiae peritissimus erat. Hic, quum liber

1) Librum suum ,de regno Christi' primum Erasmo misit, quem summi fecit, deinde Melanchthoni. Cf. Prowe, Coppernicus I, 2, 181.

2) Inscriptus est ejus liber ,Narratio prima', cui adjectum ,Encomium Borussiae.' Utrumque opusculum quod denuo quondam Keplerus una cum Prodromo suo edidit invenitur apud Prowe l. c. (Urkunden) p. 293 ss.

3) Cf. de Gisio Prowe l. c. I 2. 459; de Rhetico Gisii testimonium II (Urk.) 420 s., ubi deplorat ,quod Copernicus in praefatione ad Papam Rhetici mentionem non fecerit (loquitur ibi de Gisio aliisque viris eminentissimis et doctissimus', quibus ,tandem permiserit ut editionem operis, quam diu a se petiissent, facerent'). Addit Gisius: ,Quod ego non tui neglectu, sed lentitudine et incuria quadam praesertim jam languescenti evenisse interpretor, non ignarus, quanti facere solitus fuerit tuam in se adjuvando operam et facilitatem': Et postea: ,te illi laboranti Theseum strenue praestiteras.' Quare Rheticus multo post suo jure dixit: ,Nisi ego Copernicum adiissem, opus ipsius omnino lucem non vidisset.' Ibidem p. 399.

4) Memoratu dignum est, Rheticum a Gisio episcopo litteras commendaticias accepisse ad Albertum Ducem, ab Alberto ad Electorem Saxonicum et ad universitatem Vitebergensem et postea a Melanchthone ad Norimbergenses. Prowe l. c. II 2. 403. Contra ea quae injuste Rhetico probro versa sunt cf. Prowe l. c. 488.

prelum relicturus esset, in tituli tergo ut editor, licet non subscripto nomine, posuit praefatiunculam, qua opus ipsum summis tollit laudibus, id vero, quod ‚artifex' ejus de motu terrae doceat, non tanquam certam veritatem accipiendam esse dicit, sed tamquam ‚admirabiles et faciles hypotheses', quibus suppositis phaenomena coelestia ‚tam in futurum quam in praeteritum recte possint calculari.'

Quae omnia talia sunt, ut quomodo anonyma illa praefatiuncula pro Copernicana haberi a multis potuerit vix intellegatur. Sequitur insuper nobilissima et prudentissima ad Paulum III. Papam dedicatio, quae ‚Nicolai Copernici praefatio' consulto inscribitur. Atque terram vere moveri et ibi et toto libro clarissime declaratur. Quare Gisius episcopus in eadem amicissima epistola, qua Rhetico Copernicum moriturum ‚in extremo spiritu' opus suum integrum vixdum vidisse narrat, simul declarat, quantopere ipse indignatus et discruciatus sit lecta praefatiuncula ista mortui amici sententiae prorsus contraria.[1] Sed erravit vir probissimus, quum eam invidi cujusdam adversarii fraude libro praefixum esse putaret. Immo enimvero bono animo egerat Osiander. Quae de variis dixerat hypothesibus, secundum quas planetarum motus supputari possent, ea nova non erant. Post Averroëm multi alii iudicaverant, Ptolemaei eorumque, qui eum sequebantur, diversas ex parte assumptiones cum artificiosis circulis eccentricis et cum epicyclis suis, licet ad supputationem illam utiles, tamen cum rerum natura non congruere.[2] Osiander vero, qua erat sagacitate, optime vidit, hypotheses Copernicanas ‚admirabiles' et Ptolemaicis longe faciliores esse, verumtamen ne iis quidem certas quasdam tolli difficultates, quas revera nos scimus a Keplero et Galilaeo demum sublatas esse.[3] Quare jam duobus annis antea Copernico,

1) Prowe Urk. p. 419 ss.

2) Ipse Rheticus in encomio Borussiae (Prowe II Urk. p. 375) affert hoc Averroïs judicium: ‚Astronomia Ptolemaei nihil est in esse, sed est conveniens computationi non esse (= sie entspricht der Rechnung, nicht dem Sein). Prowe (I, 2, 458, ubi eadem verba minus accurate explicantur: ‚sie ist zur Berechnung des nicht Seienden geeignet') recte commemorat, Melanchthonem licet uno loco Averroïs judicium illud reprehendat, tamen altero simile aliquid admittere. Cf. C. R. XIII p. 232 cum p. 244.

3) In praefatione supra dicta ut ‚non verisimilia' significat epicyclia quibus etiam Copernicus carere non potuit, ellipticas nimirum Planetarum revolutiones, de quibus semel penes se cogitaverat — cf. Prowe I, 2, 457 —, detegendas Keplero reliquit), optice inexplicabilia esse dicit phaenomena quae-

qui peripateticos et theologos contradicturos se metuere fassus erat, respondens urbane suaserat, ut in praefatione hypotheses ‚non articulos fidei, sed fundamenta calculi esse', significaret, ‚sic eum placidiores illos redditurum esse'; a quo consilio Copernicus nequaquam prorsus abhorruisse videtur.[1] Et eodem die,[2] quum Rhetico, qui adhuc in Borussia versabatur, de eadem re similia scripsisset, de binis illis adversariorum familiis haec adjecit: ‚Ita a vindicandi severitate ad exquirendi illecebras avocati et provocati primum aequiores fient, tum frustra quaerentes pedibus in auctoris sententiam ibunt.' Ipsius igitur veritatis propagandae causa non quidem mendacio, verumtamen dissimulatione illa opus esse putaverat, quam semel etiam Keplerus Galilaeo adhibendam commendavit.[3] Eodemque animo operis Copernicani praefatiunculam eum composuisse vix quispiam negaverit. Attamen illic vel scepticismo vel timiditate justo longius abreptus ita locutus est, quasi ab astronomiae hypothesibus, soli calculo inservientibus, nihil omnino veri exspectari posset. Ab ejusmodi animo quantum Copernicus abfuisset perfecte noverat. Ideoque addita praefatione illa sub bonae fidei securitate ipsius auctoris memoriam laesam esse vir candidissimus Gisius haud frustra questus est. Quare desideravit, ut auferretur additamentum illud, ipsi vero libro adnecteretur Rhetici opusculum, quo ‚eum a Scripturarum Sacrarum dissidentia aptissime vindicasse terrae motum' affirmat.[4] Quod si factum esset, profecto id et immortali Copernici opere dignius fuisset, et veritati magis conveniens. Sed fieri id non posse propter varias quas facile conjectamus

---

dam in Veneris ἀπογείῳ et περιγείῳ — Prowe II Urk. p. 13 — (quae Galilaeus inventis Veneris phasibus explicabilia reddidit).

1) Mihi quidem Copernicus in introductione in librum I., ubi de hypothesibus sive assumptionibus loquitur (Prowe II Urk. p. 11 s.) Osiandri consilium prae oculis habuisse videtur. Hanc sane introductionem postea Rheticum, quem initio praefuisse operi excudendo constat, ex ipsius Copernici voluntate omisse putaverim.

2) Nimirum d. 20 m. Apr. a. MDXLI. Utraque Osiandri epistola nobis servata est per Keplerum. Cf. ejusdem opp. I 246. Quod vero ibidem Keplerus dicit, ‚Copernicum stoica rigiditate obfirmatum animi sensa candide sibi profitenda putasse', id cum iis non quadrat, quae de Copernico certissime novimus.

3) Cf. Kepleri opp.

4) Prowe II Urk. p. 420. Gisius de eadem re commentationem scripserat, cui Rhetici opusculum anteposuisse videtur. Ceterum ipse Copernicus in praefatione sua ad Papam de iis loquitur, qui ‚aliquem locum scripturae male ad suum propositum detorquent.' Prowe Urk. p. 8.

causas Rheticus censuit. Itaque multi, quum librum Copernicanum obiter tantum inspicerent vel auctoris sententiam, quia displicebat, intellegere nollent, libenter in praefatiunculae opinione substiterunt, quasi non de veritate physica, sed de hypothesi mathematica ad coeli phaenomena commode supputanda ageretur. Quod quomodo multo post etiam eo de quo supra diximus tempore, quum Galilaeus ad obviam eundum delatoribus Romam se contulisset, veritatem impediverit, jam nobis explicandum est.

Multi tunc erant et in Urbe, et aliis Italiae locis mathematici, qui Copernicani systematis argumenta vel probaverant, vel saltem probabilia esse concedebant. Alii incerti haerebant. Monachorum vero factio, quam Galilaeus similiter atque Erasmus quondam dicebat, quamvis haud pauci monachi ab utriusque viri parte starent, auctoritatem et Aristotelicam et theologicam prae se ferens, novum illud systema ut stultum et haereticum furiose impugnabat. Haec Pauli V. Pontificis mentem occupaverat, qui a recentioribus philosophorum doctrinis vel magis, quam a novis theologorum opinionibus abhorrere dicebatur. Quare veritatis studium, quo ductus Galilaeus ut impugnatae causae defensio Romae toleraretur efficere fortiter ac prudenter nisus est, admodum displicuit Guicciardino, Cosmi II. Magni Ducis Etrusci legato, viro mere politicas rationes sequenti. Similiter quidem atque Ursinius Cardinalis[1] Cosmo enarrat, plus semel praesentem se delectatum esse disputationibus, quibus ille etiam inter pocula coram nobilissimis convivis acerrimos adversarios pertubasset et perculisset. Idem vero Magno Duci scribit, ‚periculosum illi esse coelum Romanum, praesertim hoc tempore, quo Pontifex, ab elegantibus litteris et ingeniis abhorrens, ejusmodi novitates et subtilitates audire recuset et omnes ad Domini cerebrum atque indolem se accommodent, unde fieri ut prudentissimus quisque, si talium rerum gnarus et curiosus sit, aliam prorsus mentem simulet, ne suspicionibus incommodisque implicetur.‘[2]

In hoc igitur aëre Romano non mirum, quod inter tot eruditissimos Galilaei patronos spem ejus etiam ille, qui longe plurimum doctrina et auctoritate valuit, Bellarminus Cardinalis, plane fefellit. Qui quum argumentorum pro Copernico allatorum pondus satis bene agnosceret, eludi hoc posse putavit arrepta praefatiunculae illius, de qua diximus, sententia, quasi calculi causa hypothetice tantum Coper-

1) Cf. loca ex epistolis ejus in Opp. di Cal. VIII 383.
2) Ibidem VI 228.

nicus solis immobilitatem terraeque motum posuisset. Quumque in illius libro, quem sine dubio leviter tantum ipse attigerat, nonnulla ei monstrata essent, quibus eadem doctrina hypothetice proponeretur, ejusmodi locos corrigendos esse, totum vero librum celeberrimum non condemnandum censuit. Itaque in summo Inquisitionis judicio, cujus ipse sodalis erat, assentiri non dubitavit Pontifici et undecim ‚qualificatoribus', qui causa pro sua ignorantia diligenter inquisita declaraverant, ‚propositionem de sole immobili mundi centro esse stultam et absurdam in philosophia, et formaliter haereticam.'[1] Accurate sciebat, quam rudes earum rerum, quas philosophice absurde dixerunt, ipsi essent, quam gnarus Galilaeus isque praeclaro ingenio praeditus eruditissimisque viris probatus. Nihilominus Bellarminus, infallibilis auctoritatis phantasmate occoecatus decrevit cum ceteris omnibus edictum per ‚Congregationem Indicis' proclamandum, quo Copernici liber ‚donec corrigeretur suspenderetur', omnia vero scripta, ad probandum et defendendum systema Copernicanum composita, condemnarentur et prohiberentur. Quod edictum confestim prodiit. Diserte illic prohibitus et damnatus solus Foscarini Carmelitae commentariolus est, quo ille Copernici systema Sacrae Scripturae recte explicatae non repugnare demonstraverat. Proxime vero eadem Congregatio simili clade etiam Keplerianum ingenium afficere ejusque cursum praecludere studuit. Nimirum eximium ejus libellum, ‚epitomen astronomiae Copernicanae', damnavit et prohibuit. Sic veritas obruta et quasi sepulta per aliquod tempus videbatur.

Ipsi Galilaeo Bellarminus illo tempore, quantum potuit, patrocinatus est. Effecit, ut ‚benigne' cum eo ageretur, quamquam Inquisitores gravissimas res esse judicaverunt, quarum delatores eum accusaverant: quod nimirum de constitutione mundi falsam doctrinam et ipse tenuisset, et discipulis tradidisset, et epistolarum ad eam pertinentium commercio cum nonnullis Germaniae mathematicis usus esset.[2] Verumtamen ut contra periculum ab homine suspecto imminens aliquid fieret, Inquisitores in eodem consessu, quo falsam illam doctrinam, scilicet Copernicanam, damnaverant, uno animo postulasse

---

1) Gebler, die Acten des Galileischen Processus p. 47 s., ubi qualificatorum ‚censura' legitur de d. 24. m. Febr. a. 1616, sequitur p. 48 s. ipsius Inquisitionis judicium de d. 25. m. Febr.

2) Harum rerum in Inquisitorum sententia a. 1636 commonefactus est. V. opp. di Gal. IX 466.

videntur. Ideoque, ut ipsa barbara verba afferam quae leguntur in actis compositis, ,Sanctissimus ordinavit illustrissimo domino Cardinali Bellarmino, ut vocet coram se dominum Galilaeum eumque moneat ad deserendam opinionem, et, si recusaverit parere, Pater Commissarius coram Notario et testibus faciat illi praeceptum, ut omnino abstineat hujusmodi doctrinam et opinionem docere aut defendere seu de ea tractare; si vero non acquieverit carceretur.'[1] Quod Pontificis mandatum Bellarminus postero die caute et quam diligentissime Galilaei, quem summi faciebat, honoris ratione habita exsecutus est.

Vocari eum in suum domicilium jussit. Antea saepius contra eum de systemate Copernicano, aliquoties coram testibus, disputaverat idque nisi hypothetice assumi non posse contenderat. Cujus rei ,rationes tam futiles tanta confidentia proposuerat, ut Galilaei patientiam atque prudentiam, quod iis in colloquiis perpetuo a verbis quibusdam abstinuisset contemptum suorum judicum significantibus, plures homines valde mirati essent.' Immo sciebat Galilaeus, Bellarminum nequaquam tam certum esse de sententia sua quam videri vellet. Scilicet eandem sententiam, quasi systema Copernicanam hypothetice tantum ad faciliorem reddendum phaenomenorum calculum assumi posset jam anno ante, etiam Galilaei mentione facta, Foscarino objecerat in epistola, qua ingenium et doctrinam ejus admiratus gratias egit propter missum sibi commentariolum, quem supra memoravimus; addiderat systema illud, ut sibi quidem videretur, firmiter neque probatum adhuc usque esse, neque probatum unquam iri: quod si nihilominus fieret, tunc opus fore concesserat, ut Sacrae Scripturae loca quaedam magna cum circumspicientia similiter explicarentur atque Foscarinus ea explicasset.[3] Hujus epistolae exemplar Galilaeus tenebat. Ipse ad eam prudenter, ingeniose, fortiter responderat litteris, quae ut ad Bellarminum perferrentur curaverat.[4] Nunc idem Cardinalis urbane quidem sed satis distincte, nullis argumentis nisi jussu et auctoritate Papae nisus, Galilaeum monuit, ut opinionem suam, velut Sacrae Scripturae contrariam desereret. Vix dubitari potest quin Galilaeus Bellarminum eorum quae epistola illa concesserat commonefecerit, hic

1) Gebler, Acten etc. p. 48 s.

2) Verba sunt Fabronii l. c. p. 124.

3) Berti, Copernico p. 121 ss., ubi haec epistola primum publicata est. Ceterum Bellarminum etiam alias similia dixisse, Sarsi Jesuita testis erat. Cf. Opp. di Gal. IX 67.

4) Berti l. c. p. 128 ss.

simile aliquid iterum illi concesserit.[1] Confirmavit vero ea, quae Cardinalis ex Pontificis sententia dixerat, ‚Pater Commissarius', qui cum aliis quibusdam ex pacto, quasi fortuito fieret, colloquentibus supervenisse videtur. Quod quantum significaret et quam propinquum, nisi oboediret, periculum carceris causaeque capitalis esset, Galilaeus tunc vix odoratum esse crediderim.[2] Sed promisit oboedientiam Pontifici debitam. Duobus vero mensibus post, quum interea de rebus Romae gestis falsi rumores sparsi essent, Bellarminus illi scripto testatus est, neque ullas sententias ei abjurandas, neque ullas poenitentias sustinendas fuisse; tantummodo denuntiatum ei esse id quod de doctrina Copernico attributa Pontifex declarasset et per Congregationem Indicis publicasset, illam nimirum velut Sacrae Scripturae repugnantem, defendere atque tenere nefas esse.[3]

Jam clarissime intellexit Galilaeus, quantam victoriam stupidissimi veritatis adversarii Romae et, ut videbatur, in universa ecclesia Romana reportassent. Magnam argumentorum vim, quae Bellarmini sophismatis opposuerat, ab hoc sagacissimo viro vel levitate quadam animi, vel caeco auctoritatis ecclesiasticae studio neglecta esse contristato animo noverat. Audiebat ipse alios religiosum veritatis studium aperte ridentes atque fines bonorum totos in utilitate politica ponentes. Neque tamen defuerunt, qui missis ad eum litteris testati sunt, quantopere errorem ab ecclesiae magnatibus commissum deplorarent et mox fore ut corrigeretur sperarent. Quos id adjuvare videbatur, quod Papae et Inquisitorum sententia, qua Copernici systema dogmatice revera damnaverant, clam habita erat neque quidquam evulgatum nisi Congregationis Indicis edictum illud, quod ad solam disciplinam pertinere putabatur.

Hac opinione imbutus Pisae egregius quidam philosophiae lector, Placidus Mirto Theatinus, librum quidem Copernici suspensum esse declaravit, ejusdem vero sententiam neque damnatam esse neque damnari posse, quippe quae cum ipsa rerum natura conveniret. Itaque quum Copernicum et Galilaeum defendere pergeret, admodum pro-

1) Nihil aliud enim singulare illud Bellarmini dictum esse potest, quod multo post Galilaeus cum solo Papa communicare voluit (‚un certo particolare qual io vorrei dice all' orechio di sua Santita'). Gebler, Acten p. 79. Cf. Berti Copernico p. 252.

2) Etenim postea neque Commissarii neque verborum ejus meminit. Gebler l. c. p. 79.

3) Ibidem p. 91.

pterea laudatus est a Castello Benedictino litteris ad Galilaeum datis.[1] Huic eodem animo Napoli Failla Carmelita scripsit, assentiens Campanellae, qui in apologia pro Galilaeo composita dixerat, quicunque ejusdem rationem philosophandi prohiberent, eos omnes ipsam prohibere mentem christianam quominus esset christiana; defendendam esse virtutem italicam invidia oppressam.[2] Nobilissimis denique verbis pius et eruditus medicus Neapolitanus Stelliola, ut animum adderet Galilaeo, ad universam provocat rempublicam christianam. De Romano isto decreto idem fere, quod Erasmus quondam de suspendenda bulla Leonis X. contra Lutherum vibrata, fert judicium: nimirum ‚quoniam Superiorum consilium sanctum sine dubio et justum fuerit, illud vero decretum, quod ad omnes nationes earumque viros optimos pertineat, non auditis partibus sit latum, quovis modo nitendum esse, ut illud retractetur neque nisi auditis partibus decidatur; quare optandum sibi videri, ut ad vindicandam justitiam et honestatem etiam exteri rerum physicarum professores interveniant; dominos vero mundum gubernantes summa cum prudentia monendos esse ut recordentur, eos qui inter scientiam et religionem discordiam concitent, utriusque inimicos esse, quippe quum utraque divina sit ideoque altera cum altera consentiat; sic Neapóli Jesuitam quendam Staserium, arrogantia et ignorantia pariter insignem, serere zizania.‘[3]

Adjuvabantur aliquatenus sane tales Itali, doctrinae Copernicanae patroni a viris eruditis exteris, quibuscum haud pauci eorum necessitudinem, plerumque clandestinam, servare studebant. Ad Germanos inprimis animi eorum convertebantur; illorum scripta ad rem controversam pertinentia expetebant; ut cum illorum ingeniis, veritatis et libertatis avidissimis, suorum studiorum fructus communicarent italice scripta latine verti volebant[4]; Campanellae apologiam aliosque ejusmodi libros domi prohibitos in Germania typis excudendos curabant. Multi quidem etiam apud nos novas systematis cosmici rationes impugnaverunt, sed disceptationis libertatem tyrannica vi praecidi noluerunt. Quid Germanorum eruditissimi de Romani istius decreto judicaverint, verba testantur venerandi senis Maestlini, Kepleri praeceptoris.

1) Opere di Gal. VIII 399 s.

2) Ibidem VIII 391 s.

3) Ibidem VIII 386 s.

4) Sic Cesarini, Romanus nobilis, commentationem quandam Galilaei (Il saggiatore) latine verti vult ‚per participarla di là dui monti a quegl' ingegni avidissimi della verità e libertà filosofica.‘ Opp. di Gal. IX 24.

Qui mirum esse dicit, si Copernici liber, ante octoginta annos a viro incomparabilis ingenii Herculeo labore confectus, Paulo III. dedicatus, postea altera editione repetitus, saepe allatratus magis quam impugnatus neque unquam expugnatus, nunc subito a Cardinalibus quibusdam, quos ne legisse quidem eum appareat, suspendatur et reprobetur. Illius astronomiam ejusmodi superstructam esse fundamentis, ut incassum laboraturus sit, quisquis eis se opponere attentaverit; immo omnia ejus propugnacula longe firmiora esse et fortius munita, quam ipse Copernicus intellexerit, sicut id clarissime demonstraverit Keplerus.[1]

Ad Germaniam ipse etiam Galilaeus tunc oculos convertit. Recordabatur verbi, quo Cosmus Medicaeus ei post publicatum illud Congregationis Indicis edictum adhuc Romae degenti scribi jusserat, ‚ne scilicet, quum fratellorum persecutiones jam satis gustasset, dormientem canem suscitaret.‘[2] Per aliquot igitur annos de his rebus ad amicos Italos nihil omnino scripsit vel, si quid fortasse scripserit, datas litteras delendas curavit. Videmus autem, eum inde ab hoc tempore insignem eorum, qui falli nescio in omnibus gravissimis quaestionibus tribunali utantur, ironice praedicet et extollat. Et primum quidem talem quasi quiritantis de sustinenda tyrannide animi clamorem in epistola ad nobilissimum Germaniae Principem editum invenimus. Leopoldus Austriae Archidux, flagrantissimo optimarum doctrinarum studio incensus, quum Florentiae versaretur, Galilaeum quem summi faciebat, tunc aegrotantem inviserat ab eoque multa de rebus physicis percontatus erat,[3] postea ut nova reperta secum per litteras communicaret urbane petiverat. Huic igitur Galilaeus una cum duobus telescopiis commentationem misit, quam ante famosum illud Indicis decretum composuerat. Quare quum illic a supposita terrae mobilitate profectus sit, Principem rogat, ut haec tanquam poësin vel somnium benigne accipiat; ‚sic postea, si forte quis a Romana ecclesia separatus earundem rerum inventionem sibi arrogaverit, nobiles sibi non defuturos esse testes ad probandum se primum hoc chimaerae instar somnium somniasse. Revera se quondam sperasse non fore ut Copernici sententia octoginta annis post quam evulgata sit condemnetur ideoque se hanc rem altius et accuratius tractandam sibi proposuisse; verum enimvero jam quasi coelesti voce e somno expergefactum se cognovisse,

1) Kepleri opera I 57.
2) Opere di Gal. VI 238.
3) Fabronius l. c. p. 102.

cogitationes suas nihil esse nisi nebulam.'[1] Ab eodem Archiduce anno post haud frustra petivit, ut Kepleri epitomen Copernicanam, Romae condemnatam sibi mitti juberet. Quae una cum Principis epistola ad eum perlata est.

Inde Keplerus per Joannem Remum medicum et astronomum tunc Viennae degentem, cujus auxilio Archidux ad comparandum illius scriptum usus erat, hoc Romae et Florentiae prohibitum esse comperit. Quae censura quum etiam in Austria ipsi auctori fraudi esse posse videretur, Remus, qui quondam in Romanae Inquisitionis carcere ad sacra Pontificia transgressus ex ipsa Urbe litterarum conjunctionem cum Keplero inierat,[2] nihil ejusmodi timendum esse affirmavit, immo illius librum, quamquam diplomati Sancti Officii ante biennium affixo repugnet, tamen, ut ipse quidem opinetur, legi cum licentia a doctis et peritis in hac arte Romae et per totam Italiam; caveri tantum, ne in vulgus Copernici opinio Italicis libellis spargatur.[3] Eodem tempore Blanchus Comes Venetus Keplero scripsit, quoniam recens sit in Copernicum animadversio, fervescente adhuc censura metuendum esse, ne libri Romae mutilentur; illustrium tamen Germanorum scripta, etsi quandoque vetentur clam nihilominus vendi et attentius legi.[4] Propterea haud prorsus irritam fuisse crediderint ,admonitionem ad bibliopolas exteros praesertim Italos', quam ipse Keplerus eodem anno novi et praeclari operis, harmonices mundi, libro quinto praefixit. Illic praeter alia haec leguntur memoratu dignissima:

,Scripsi haec homo Germanus, more et libertate Germanica; quae quo major est, hoc plus fidei conciliat ingenuitati philosophantium. Christianus tamen sum, ecclesiae filius et doctrinam catholicam,[5] quantum ejus ad hanc usque meam aetatem capere potui, non voluntate tantum amplector, sed etiam judicio comprobo. Culpam vero meam ingenue fateor, qui cunctatione nimia meorum operum philosophiam defensione sua destitutam praeveniri sum passus. Nam profecto hoc judicabunt lecto hoc opere harmonico Italicorum et philosophorum

1) Opere di Gal. VI 279 s.

2) Kepleri opera V ss. cf. VI 534. Kepleri epistolae p. 517.

3) Kepleri epistolae p. 517. Eodem anno (MDCXIX) nobilis quidem Italus omnes Kepleri libros latine scriptos nancisci per Remum cupit. Ibidem p. 529 s.

4) Ibidem p. 605.

5) Fortasse lectores quidam commonefaciendi sunt, ipsos Protestantes tunc temporis se vere catholicam doctrinam tenere semper praedicasse.

doctissimus et theologorum religiosissimus quisque, tantam esse majestatem, tantam sublimitatem hujus operum divinorum dispositionis harmonicae, ut Copernicus ante promulgationem hujus operis sufficienter audiri nequaquam potuerit. Petit itaque philosophia, petit Copernicus beneficium restitutionis in integrum a principe, salvo honore judicum, eosdem enim illos novum judicium judicaturos, nova sua documenta ventilaturos et patietur et ultra implorat. Vos vero bibliopolae recte quidem et ordine facietis, si exemplaria reverentia judicii non vulgo venum exponatis, at illud interim scitote, datos vos esse philosophiae, datis bonis auctoribus velut tabelliones mittendis ad judices defensionibus; itaque vendetis exemplaria nonnisi theologis summis, nonnisi philosophorum clarissimis, mathematicorum exercitatissimis, metaphysicorum profundissimis, ad quos mihi Copernici procuratori alia via non patet aditus, his quidem ut dispiciant, sintne ista merum luxuriantis ingenii commentum, an potius, ex ipsa natura deprompta, rebus evidentissimis comprobari possint; illis vero ut deliberent, num immensa haec operum divinorum gloria in vulgus spargenda an potius contrahenda et fama ejus censura opprimenda sit.'

Quanta circumspicientia, quanta et summae de qua agebatur rei et sui ipsius officii conscientia, quanta candidissimi animi excelsitas in his omnibus eluceat, nemo est qui non videat. Plenissime semper Keplerus agnovit omnia, quaecunque jam eo usque Galilaeus ad defendendum Copernici systema contulerat, ut nova ejusmodi adderet, etiam atque etiam illum excitaverat, sed sibi quoque in ea re peculiare aliquid divinitus mandatum esse et recte vidit et suo jure professus est. Spirant verba ejus acerrimum universae reipublicae litterariae inter omnes gentes propagatae studium. Quare Italorum haud pauci perlectis illis fortissimum et nobilissimum veri propugnatorem sibi quasi socium advenientem salutaverunt. Blanchus Venetus se Kepleri prooemium illud ostendisse dicit non modo bibliopolis, verum litteratissimis quoque doctissimisque viris, qui omnes mox in incredibilem totius operis curiositatem proruerint; neque igitur verendum esse, ne quaecunque typis mandaverit, grata omnibus et acceptissima sint. ‚Incumbe', inquit, ‚ut quemadmodum ceterae nationes libris perfruuntur tuis, sic Italia quoque ex fructibus tuis voluptatem et utilitatem capiat.'[1] Hic revera animus, haec vox erat non solum Blanchi, sed multorum praestantissimorum in Italia virorum, quorum

1) Kepleri epistolae p. 604 ss.

exempla supra attulimus, Mirtonis, Castelli, Faillae, Campanellae, Stelliolae, aliorum, qui omnes et ecclesiae et veritatis amantes similiter atque Keplerus, et idem ut vidimus unitatis christianae studiosissimus, sperabant ‚salvo honore judicum' fore, ut praecipitata Copernicani systematis condemnatio tolleretur itaque et religioni et veritati debitus honor redderetur.

Neque dubitari potest quin Galilaeus, quum temerariam ecclesiasticorum judicum ignorantiam deploraret ac derideret, ipsam vero ecclesiam christianam pari semper pietate amplecteretur, non tantum eandem illam spem foverit, verum etiam mox, animo se colligens et confirmans, ad efficiendum id quod sperabat omnes vires intenderit. Sed sibi maxime, suspicionibus circumvento, praepotentibus in Curia adversariis, cavendum esse, ‚ne dormientem canem suscitaret', nunquam non recordabatur. Impigre perrexit opus illud pro Copernico praeparare, quod jamdudum se molitum esse Keplero scripserat. Sed ne quid eorum, quae huc spectabant, circumferretur, per plures annos anxie providit. Meliora tempora exspectanda sibi esse censebat.

Quae mortuo Paulo V., litterarum osore, jam emicare aliquo modo videbantur. Quippe apud illius successorem Gregorium XV. litterati homines, Galilaei amici, inprimis Caesarinus et Barberinus Cardinales, paulatim crescere coeperunt. Ad summum vero fastigium optima quaeque spes pervenisse visa est anno seculi XXIII., quo Maffeus ille Barberinus Cardinalis, a Purpuratis post longa certamina in conclavi electus, Urbani VIII. nomine sedem Romanam occupavit. Hic enim vir, litterarum amicissimus, varia doctrina imbutus, ingenii haud contemnendi poëta Latinus, Galilaeum summa admiratione et favore amplectebatur. Quem non tantum Romae eo tempore, quo systema Copernicanum damnatum est, una cum Bellarmino contra monachorum furorem defenderat, sed etiam convivam sibi adduxerat, in familiaritatem acceperat, ad sermocinandum de natura rerum invitaverat. Eundem spirant animum septem ejus epistolae ad illum scriptae, quibus omnibus ingenium, opera, inventa ejus blande celebrat, sua suorumque officia grate offert, semper ‚deditissimum fraterculum' se subscribens.[1] Quarum epistolarum uni carmen addidit, ut ipse dicit, in Galilaei honorem compositum.[2] Ea, quam anno ante

1) ‚Fratello affezionatissimo'. Opere di Gal. VIII 173. Maffei Barberini litterae ad Galilaeum scriptae nuper demum publicatae sunt.

2) Ibidem VIII 428. Scribit de carmine ille: ‚avrà iile da notarvi solamente it mio affetto, mentre io pretendo d' illustrarlo col puro suo nome —

acceptam tiaram dedit, summum ipse desiderium exprimit occasionis inveniendae, ut pro debito gratum erga illum animum comprobet.[1] Jam igitur Pontifex Maximus renunciatus atque ex Cardinali et deditissimo natu majoris viri fraterculo subito Pater Sanctissimus factus, Galilaeum, qui valetudine impeditus anno demum post ad ipsum officiosae gratulationis causa se contulit plane ea, quae exspectari poterat, benevolentia excepit. Quumque optime nosset, quanta apud Ferdinandum II., juvenem Etruriae Magnum Ducem, Galilaei praeceptoris esset auctoritas, tamen hunc et ipse, studio quasi redundans, singulari Brevi commendare illi voluit. In quo praeter alia haec scripta legimus: ‚Dilectus filius Galilaeus aethereas plagas ingressus ignota sidera illuminavit et planetarum penetralia reclusit. Quare dum beneficum Jovis astrum micabit in coelo quatuor novis asseclis comitatum, comitem aevi sui laudem Galilaei trahet. Nos tantum virum, cujus laus in coelo lucet et terras peragrat, jamdiu paterna caritate complectimur. Novimus enim in eo non modo litterarum gloriam, sed etiam pietatis studium, iisque artibus pollet, quibus Pontificia voluntas facile demeretur. Nunc autem, quum illum in Urbem Pontificatus nostri gratulatio reduxerit, peramanter ipsum complexi sumus atque jucunde identidem audivimus Florentinae eloquentiae decora doctis disputationibus augentem. Nunc autem non patimur eum sine amplo Pontificiae caritatis commeatu in patriam redire, quo illum nobilitatis tuae beneficentia revocat. Exploratum est, quibus praemiis Magni Duces remunerentur ejus ingenii reperta, qui Medicei nominis gloriam inter sidera collocavit. Tamen ut scias, quam carus Pontificiae menti ille sit, honorificum hoc ei dare voluimus virtutis et pietatis testimonium. Porro autem significamus solatia nostra fore omnia beneficia, quibus eum ornans nobilitas tua paternam munificentiam non modo imitabitur, sed etiam augebit.‘[2] Addidit Papa ad Magni Ducis matrem et uxorem epistolas, quibus et iisdem, quantopere praeclarum illum virum in deliciis haberet, testatus est.

Quae omnia tunc Galilaeum non tam propter externa commoda inde forsitan exspectanda, quam propter auxilium, quod ad robur veritati addendum inde sperare jure licebat, ingenti gaudio perfuderunt.

---

la prego che ‚gradisca la piccola dimonstrazione della volontà grande ch' io le porto‘ (d. 28 m. Aug. a. 1620).

1) Ibidem IX 31.

2) Ibidem IX 60 (de d. 8. m. Jun. a. 1624).

Eodem nobilissimo affectu etiam omnes ejus amicos per universam Italiam concitatos esse mirum non est. Omnes enim et veritatis a Galilaeo vindicatae, cujus quantum humano generi interesset clare sciebant, et ecclesiae studiosissimi erant. Omnes utriusque discidium pro summa calamitate habebant. Quare quum jam Pontifex exstitisset, qui veritatis propugnatorem tanta et admiratione et benignitate amplectebatur, tam fausti temporis opportunitate quam acerrime utendum esse censebant. Tamen quanta simul circumspectione et cautione opus esset nequaquam eos fugiebat. Videbant enim, Romae semper adhuc plurimum valere veritatis osores eosque judicium a Curia confirmatum prae se ferentes, cujus sublatio tam difficilis quam necessaria erat. Omnia sane pendebant a Pontifice, a cujus voluntate quin optima exspectanda essent vix aliquis tunc temporis dubitabat; sed mox quaestio orta est, num tanti ille foret animi et ingenii, ut impedimenta ista veri vincere et vellet et posset.

Cujus rei spem aliquam praebere Urbanus initio visus est, quum a Galilaei parte contra ejus adversarios stare non dubitaret. Grassius quidam Jesuita, sub Sarsii nomine latens, de variis quaestionibus physicis et philosophicis contra Galilaeum librum composuerat invidiam et odium spirantem, cui titulus erat ‚Libra astronomica et philosophica'. Huic adhuc regnante Gregorio XV. Galilaeus urgentibus amicis celeberrimum opus opposuit, quod inscripsit ‚stateram aurariam',[1] ut scilicet adversarium in examinandis subtilissimis quaestionum momentis vulgari nec satis accurata trutina usum esse significaret. Quod opus et propter gravissimarum jucundissimarumque rerum abundantiam, et propter victricem in disceptando ingenii aciem, et propter ‚Etrusci sermonis flores et veneres', cum virili quodam robore conjunctas, ab aequalibus summa cum admiratione exceptum est. Quare Lynceorum societas, Galilaeum sodalem semper fovens, illud Romae prelo subjiciendum et cum honorificentissimo Censoris publici elogio edendum curavit. Immo Urbanum, qui interea mortuo Gregorio Papa factus erat, ut illud sibi dedicari permitteret moverunt. Tunc Pontifex, nonnullis ejus paginis a Ciampolo Cardinali recitatis valde delectatur, librum inter coenam sibi legi jussit; mox, licet permultis negotiis occupatum se summa cum voluptate eum totum perlegisse professus est.[2]

1) Ital. ‚il saggiatore', quod et examinatorem pecuniae (essayeur) significat, et statera qua ille utitur (= bilancia da saggiatori). Hoc sensu verbum adhibuit Galilaeus cf. Opp. IX 156.

2) Op. di Gal. suppl. 154; IX 44. 50.

Illic Galilaeus, provocatus a Sarsio, qui Tychonem de Brahe secutus erat, etiam quaestionem de constitutione mundi tetigerat. Nimirum breviter jam eadem ibi dicit, quae postea in praeclarissimis dialogis fusius atque altius exposita tristissimam cladem ei contractura erant: nimirum nullum omnino esse quasi medium illud systema, quod Tycho promiserit potius, quam exsecutus fuerit; duo tantum magna systemata adhuc usque exstructa et summo cum artificio ad finem perducta esse, Ptolemaicum et Copernicanum; Ptolemaici errorem suis repertis quasi ad oculos demonstratum esse, concedi et a Sarsio et a Tychone; quod ad Copernicanum pertineat, nisi Catholici superiore sapientia errore liberati et illuminati essent, se credere non futurum fuisse ut ejusmodi gratiam et beneficium Tychonis argumentis et rationibus obtinerent; itaque nihil nunc sciri de mundi constitutione. Et alio loco dicit, Sarsium, qui Kepleri sententiam quandam terrae motu nixam pie et sancte teneri non posse contenderit, melius fortasse facturum fuisse, si propositionem ab ecclesia rejectam etiam naturali ratione refellere conatus esset.[1] In his omnibus, non aliter atque in litteris ad Leopoldum Archiducem scriptis, ironia manifesta est. Offendit nos in tanto viro simulata piae ac sincerae mentis oboedientia. Quis non optaverit eandem in illo animi fortitudinem heroicam conspicari, quam Aonius Palearius pro evangelio, quam Jordanus Brunus pro iis, quae philosophice vera esse putabat, praestiterat? Sed Galilaeum, quantum videre possumus, intra Romanae ecclesiae cancellos semper constitisse recordandum est. Illic vero stricta oboedientia Pontifici et Sancto quod vocabatur Officio debita multo plus valebat quam veri conscientia et professio. Haec inde a Pii V. temporibus satis parvi pretii habebatur. Mendacio propter oboedientiam illam admittendo vel dicendo carcerem et rogum praeferre neque Galilaeus neque piissimi probissimique ejus amici officii esse posse unquam censebant. Tam egregios viros, quales Castellum, Caesarinum, Ciampolum, Cesium fuisse constat, Galilaeum saepius, ut prudentiae causa taceret, monuisse, nunquam, quod simulatam piam obsedientiam frivole prae se ferret, reprehendisse legimus. Quin immo ironici illi verborum ludi singularis audentiae documenta esse iis visa sunt, quae etiam ultra montes ‚ingeniis libertatis et veritatis avidissimis' innotescere voluerunt. Atque inter ipsos acerrimos dominationis Pontificiae vindices ii, qui ingenuarum doctrinarum artiumque

1) Op. di Gal. IV 172. 182 s.

gnari erant, quod ad doctorum virorum sententias pertinet, dummodo illi extrinsecus se submiserunt, aliquatenus interiorem cogitandi libertatem concedere soliti sunt. Sic Bellarminus ad Brunum, in profitendis sententiis suis constantissimum, crudeliter cremandum adjuvit; Galilaeum, quamquam eum systema Copernicanum verum habere sciebat, tamen quum oboedientiam promisisset honorificentissime tractari voluit. Idem sentiens Urbanus Pontifex, praesertim quum totum Galilaei librum vere admiraretur, sine dubio in singulis illis, de quibus diximus, locis conniveri posse opinatus est.

Summo vero ipsi Galilaeo honori est, quod istam simulandi et mentiendi necessitatem, licet pro tempore subeundam eam sibi esse putaverit, tamen ut injuriam tam ecclesia quam republica indignam et invitus atque contristatus semper tulit et rumpere iterum iterumque pro viribus conatus est. Quare quum per amicos certior factus esset, quanta benignitate a novo Pontifice exspectaretur, recuperata bona valetudine Romam profecturus, Cesio Principi scripsit, se magni aliquid pro republica litteraria moliri, quod nisi nunc, tot rebus tam mirabiliter congruentibus et conspirantibus, assequi contingeret, nunquam fore ut similis ejus rei occasio sibi quidem praeberetur.[1] Ingressus Urbem adjuvantibus amicis potentissimis eorumque consiliis adhibitis usitata cum prudentia egit. Sed mox vidit, inter tot Curiae negotia, ad ecclesiam et rempublicam, ad Italiam et universam Europam, ad bellum et pacem spectantia haud multum loci dari iis quaestionibus quae ipsi cordi erant. Ad has tractandas etiam inter eos, qui ipsi favebant, quum omnium fere animi tot tamque variis aliis rebus occupati essent, sermonem dirigere non potuit, quare multum pretiosissimi temporis se perdidisse queritur. Nihilominus causam Copernicanam etiam in sex colloquiis, quae satis longa cum Papa habuit quibusque hic delectatum se esse testatur, attingere sine dubio studuit. Nihil eum profecisse ex ipsius de ea re silentio patet. Sed postremis, quibus Romae erat, diebus Zolleranum Principem Cardinalem, episcopum Osnabrugensem, et eundem in patriam rediturum, rogavit, ut cum Pontifice loqueretur, quem virum ‚haud valde quidem profundum in astronomicis studiis esse, sed quid agendum sit optime intellegere‘ dicit. Hic igitur ante discessum ad Papam admissus declarare ei ausus est, omnes fere eruditos haereticos in Germania Copernici sententiam amplecti, quare ut de ea quid definiretur, multa

1) Opp. VI 289.

circumspectione opus esse. Papa respondit, non esse timendum, ne quis illam opinionem necessario veram esse demonstraret; ceterum eam a sancta ecclesia non ut haereticam, sed ut temerariam condemnatam esse.[1] Sic ipse corrigere quodammodo videbatur Congregationem Indicis, quae revera decreto suo sententiam Copernici ut haereticam damnaverat. Neque enim quisquam illum tam obliviosum fuisse crediderit, ut ejus decreti, quod quominus Galilaeo perniciosum esset una cum Bellarmino vix impediverat, non meminisset. Sed jam eandem mentem prodidit, quam nonnullis annis post manifestavit, quum a Campanella rescivisset nobiles quosdam Germanos ad transeundum in ecclesiam Romanam inclinantes absterritos esse illo decreto. Tunc enim, Ex mea mente, iquit, illud non erat neque, si res stetisset apud me, factum esset.[2] Similiter atque Bellarminus timuisse interdum videtur, ne forte quondam novum illud mundi systema tam necessariis rationibus confirmetur, ut detrectari nullo modo possint. Verum enimvero persuadere sibi ipsi studuit timendum id non esse. Atque in hunc finem miro quodam utebatur argumento, quod jam eodem tempore, quo illud decretum exiisse vidimus, cum Galilaeo coram Oregio postea Cardinali colloquens protulerat. Concessit nimirum hypothetice omnia, quaecunque vir doctissimus secundum principia Copernicana exposuerat, sed quaesivit, ,annon Deus alio modo nobis ignoto sidera atque orbes ita disponere et movere scivisset et potuisset, ut eadem, quae nunc videmus, in coelis phaenomena apparerent; id si ille negaret, probandum ei esse id cogitari non posse sine implicita contradictione, quoniam Deus pro infinita sua potentia posset quidquid non implicaret contradictionem; ergo non ad eum modum, quem excogitasset Copernicus, nos arctare debere divinam potentiam atque scientiam'. Tum stupefactus Galilaeus huic indoctae ignorantiae sive dogmatico scepticismo, quo quidquid ex certissimis phaenomenis certissima ratione concluditur illudi facillime potest, cessisse videtur. Nam Oregius relatis Maffaei Barberini verbis addit haec: ,Quibus auditis quievit vir ille doctissimus; ex quo et ingenium et morum laudem retulit'.[3]

Urbanus se Pontificem argumentum illud denuo Galilaeo proposuisse ipse postea memoravit; verisimile est, id jam eo, de quo supra

1) Ibidem 294. 296. Nomen illius erat Eitelfritz von Hohenzollern.

2) Ibidem IX 176.

3) Berti, Copernico p. 137 s. Qui affert verba ex Oregii commentatione de Deo uno' (1628) p. 194.

diximus, tempore factum esse. Tum obloqui Galilaeus iterum non tentavit. Id certo eum post tot frustanea conamina vidisse constat de tollendo famoso illo edicto cogitari nondum posse. Ideoque, ut inter homines veritatem violenter opprimentes veritati inserviret, simulationis et mendacii larva iterum sibi invito utendum esse censuit. Jampridem Franciscus Ingoli, ceteroquin magnus ejus admirator, verba ad illum fecerat in libello contra systema Copernicanum composito. Ad quem Keplerus in ‚epitome' sua respexerat, Galilaeus propter imminens sibi decretum respondere adhuc non ausus erat. Nunc vero sine periculo id fieri posse putavit, scilicet hypothetico illo modo, quem in ‚statera auraria' ipse Pontifex probaverat. Quod illic passim et quasi in transitu licuerat, id si sub eadem larva aliquanto uberius et apertius tentaret, fore speravit, ut argumenta pro Copernico hypothetice iterum allata tolerarentur et spargerentur. His igitur contra Ingoli somnia ingeniose expositis quasi tutamenti instar praemittit fucatum prooemium, quo serio gratulari Italiae videtur, quod sapientissimi gubernatores splendidos errores ab ea arceant et doctrinae ecclesiasticae, omnes humanas opiniones majestate et auctoritate longe superantis, acerrimos patronos se praebeant. Quum enim exterorum haereticorum eruditissimi omnes Copernicanum systema pro certo et vero habeant, his se ostensurum esse dicit, ipsos Italos catholicos illud rejicientes non ejusmodi infirmis argumentis niti, qualia apud Ingolium praesto sint, sed clarissime intellexisse et perspexisse omnia, quae contra ea et pro Copernico in speciem verissima et certissima promi possint, ita ut plenissime appareat, se omnes non ignorantia sed sola patrum reverentia et religionis fideique studio ab illo systemate abhorrere.[1]

Pontifici ea hujus libri pars, quam Ciampolus ei legit, valde placuit.[2] Sed eodem tempore Galilaei statera aurea, quod ibi Copernici sententia probata esset, apud Inquisitionis tribunal accusata est. Res prospere quidem evenit eo, quod Guevara Theatinorum Generalis, quem unus Cardinalium consuluerat, non modo opus illud admodum laudavit, verum etiam scribere ausus est, etiamsi illic doctrina de motu terrae, hypothetice scilicet, teneretur, id damnandum sibi non videri.[3] Sed quum paulo post Guevara una cum Francisco Barberino

1) Opp. II 66 s.

2) Ibidem IX 97 (ubi cum Reuschio d. 28. m. Dec. a. 1624 pro a. 1625 legendum est).

3) Ibidem IX 79.

Cardinali in Galliam profectus esset, his absentibus Galilaei amici monachorum partem tantum Romae pollere crediderunt, ut, si novo opusculo diserte ad Copernici systema pertinente isti provocarentur et sollicitarentur, pessima ab iis metuenda essent, praesertim quum Papa in tot molestis bellorum negotiis occupatus domesticas ejusmodi turbas aegre laturus esset. Itaque illud praestantissimi viri opusculum, cujus pauca tantum scripta exemplaria cum amicis communicaverat, occultum jacebat atque nostro demum seculo typis expressum lucem vidit.

Neque tamen Galilaeus animum despondit, sed eo acrius omni cura in magnum illud opus de constitutione mundi incubuit, quod se moliri jam multis annis antea Keplero confessus erat, quod ut perficeret non tantum se ab illo amicissime admonitum esse recordabatur, sed etiam pro viribus a Deo datis suum officium veritati debitum esse atque a clarissimis viris etiam exteris jure exspectari penitus sentiebat. Id enim e variis signis percipere possumus, in hoc maxime opere semper ei ob oculos versatam esse cum formidolosam virium interitum ipsi comminantium fortitudinem, tum dijudicandae controversiae ad totam rempublicam litterariam, immo ad universum genus humanum spectantis singularem magnitudinem. Et percrebuerat inter viros eruditos etiam exteros jam tum, quum adhuc gratia Pontificia florere videbatur, rumor de periculis eum circumdantibus. Quare hoc tempore[1] Petrus Gassendus, Francogallus ei scripsit, se forte conjectura assequi, cur ipse, quum arcanorum coelestium esset sagacissimus scrutator particepsque consultissimus, magnum opus jamdiu exspectatum nondum emisisset; quod si suppressurus esset, magnam factum iri rei litterariae cordatisque divinarum doctrinarum studiosis injuriam; quare utinam rem adeo desideratam bonis amplius ne invideret, nisi forte fatis ita ferentibus sic se continere deberet, ut ne cum amicis quidem institutum suum per litteras communicaret. — Eodem anno Keplerus, Sarsium refutans, ridet ementitam ‚supernaturalem illam lucem' ironice a Galilaeo praedicatam, qua Jesuita ille controversiam Copernicanam diremptam esse gloriabatur. Queritur ‚parvam servitutem et miseram condicionem rerum tempori subjectarum, qua fiat, ut, quae ante famosum illud edictum nulla ratione interdicebantur, eadem docere nunc nefas habeatur; sic istos Pontificis adulatores eo efferre ejus auctoritatem, ut tandem ne ipsis quidem

1) A. 1525. Ibidem IX 89 s.

hiscere etiam de rebus naturalibus liceat.'[1] Simul Galilaeus, jam eo, quod suos adversarios etiam in Keplerum vehementissime invehi videbat, veteris amici etiam atque etiam commonefactus, tamen evitandae suspicionis causa litterarum commercium cum eo redintegrare noluit. Quem vero animum erga eum servaverit et quam impense reipublicae litterariae vinculum varios populos complectens tueri et propagare studuerit, una epistola satis testatur paulo post ad illum scripta. Cui addidit ,orationem adulescentis in omni humaniore et severiore litteratura excultissimi, quae mirifice ad Kepleri palatum et gustum futura esset.' Simul vero alium ei commendat juvenem hisce verbis: ,Stephanus Bossius Mediolanensis, qui has tibi reddet, in remotissimas istas regiones proficiscitur, non divitias perquirens, sed doctrinas, nec studet patrimonium, sed virtutes augere; immo libens patrimonium impendet, ut scientiam comparet. Praecipue vero matheseos scientia pervellet erudiri: ideo ad te properans me summopere obsecravit, ut se tibi de meliore nota commendarem. Quod ego longioribus verbis non sum facturus, sat enim fuerit, qua de causa se tibi commendari voluerit indicasse. Hoc tamen non tam illius quam mea causa adjiciam: Rossium ita officiose et prolixiore beneficentia velim prosequaris, ut ad ea, quae tua sponte facturus es, non parum mea commendatione videatur accessisse.'[2]

Eodem anno, quo Keplerus in Germania diro bello agitata peregrinans cum pio fidei Christianae testimonio mortuus est,[3] seculi anno tricesimo Galilaeus, confecto opere suo, ut ejus imprimendi veniam obtineret, Romam se contulit. Haud pauca in eo, non aliter atque in statera auraria inveniri, quae erronea jamdudum comperta sunt, non est quod miremur; permulta, quae et ad philosophiam et ad naturae cognitionem pertinentia ibi leguntur, verissima et gravissima sunt, splendidissimi ingenii monumenta omnia; certissima Copernicani systematis argumenta, partim ab ipso scriptore recens reperta, tam sagaciter et perspicue exponuntur, ut ad fidem illius doctrinae eruditissimo cuique aequalium faciendam haud parum contulerit. Haec vero sententia, quum palam eam profiteri non liceret, magna cum arte in disputationis formam redacta est. Itaque Galilaeus duos amicos vita defunctos sibique carissimos colloquentes inducit quatuor diebus

1) Kepleri opera VII 276 (cf. 274. 277) 156.
2) Kepleri epistolae p. 101.
3) Kepleri opera VIII 6. 922.

cum bono quodam Peripatetico, viro ingenuo et ab omni malignitate alieno, sed acerrimo Ptolemaici systematis propugnatore, quem propter incredibilem Simplicii commentatoris Aristotelici celeberrimi admirationem Simplicium vocat. Contra hunc illorum alter, Sagredus Venetus, Copernici doctrinam defendit, dum alter, Salviatus Florentinus, ipsius quodammodo Galilaei personam referens,[1] medium inter utrumque locum tenet neque unquam, licet ad Sagredi opiniones inclinare passim videatur, controversiam dirimit. Quare etiam quarti diei dialogus ita finitur, ut nova colloquia de iisdem quaestionibus facienda desiderentur et promittantur.

Romae Galilaeus honorificentissime iterum a Pontifice receptus est. De imprimendo et edendo ejus libro amici optima sperabant. Adjuvit eum quantum potuit nobilissimus vir, Magni Ducis Etrusci legatus, Niccolinus. Censor libri Riccardus, Palatii Magister, Galilaeo favens, sed potentes ejus adversarios veritus multisque scrupulis agitatus, infinitis difficultatibus rem obstruxit. Quae singula mutari voluit facile mutata sunt. Mox tamen, consilio plus semel cum ipso Pontifice habito, graviora poposcit, nimirum ut praemitteretur libro prooemium, quo decretum quatuordecim annis ante contra Copernicum factum disertis verbis agnosceretur et laudaretur et ut in fine fortissimum illud quod putabatur, adversus novam doctrinam argumentum afferretur, quod Papa se ipsum Galilaeo exposuisse dixerat. Ideo huic aut de edendo libro suo desperandum esse visum est aut faciendum quod jussus erat. Anteposuit periculosae sinceritati securam, quam omnes putabant, oboedientiam. Itaque in fine quarti dialogi Salviatus affirmat se novae huic doctrinae neque superiorum virorum assensum polliceri, neque suum praestare, sed facile se adduci ut pro vanissima chimaera et mero paradoxo illam habeat. Et postquam Simplicius ‚solidissimum illud doctissimi et eminentissimi viri‘, scilicet Urbani, ‚argumentum‘ exposuit, Salviatus hanc mirabilem et vere angelicam doctrinam esse dicit. Prima vero prooemii verba, quod ad rem pertinet Galilaeo imposita et dictata, quod ad stilum ipsius propria, haecce sunt: ‚Promulgatum est Romae proximis annis edictum salutare, quo, ut periculosis praesentis aevi scandalis obviam iretur, Pythagoricae de terrae motu opinioni opportunum silentium impositum est. Fuerunt qui temere affirmarent, illud decretum non ex judicioso

1) Aliae sane in his dialogis ipsius sententiae ut ‚Academici Cynici‘ afferuntur.

examine, sed ex affectu parum informato profectum esse, et auditae sunt querelae dicentium, judices astronomicarum observationum imperitissimos tam improviso interdicto non debuisse quasi alas incidere speculantium ingeniis. Quorum temeritatem tacite sustineri non posse ratus equidem, prudentissimae illius definitionis perfecte gnarus, tamquam sincerae veritatis testis in mundi theatro comparere statui. Etenim tunc temporis praesens eram Romae, eminentissimorum Curiae praelatorum non tantum auditione sed etiam applausu gaudebam nec sine aliqua informatione mea autecedente decretum illud prodiit. Quare hoc meo labore ostendere mihi proposui exteris nationibus, cum in Italia tum Romae tantum sciri de hac materia, quantum ejus unquam transalpina diligentia imaginata est, itemque quidquid de Copernicano systemate excogitatum est oratione complexus monstrabo, haec omnia Romae prius cognita fuisse, quam illa censura facta sit, atque ex nostrae regionis coelo non tantum dogmata ad servandas animas sed etiam ingeniosa inventa ad oblectanda ingenia exire.‘

Hoc igitur intellectus sacrificio, quem non serium viri eruditi facile perspecturi erant, Galilaeus effecit, ut primum Censor Romanus, deinde Inquisitor Florentinus edendi libri veniam ei daret. Quippe suadentibus amicis, quum Romae variae tempestates imminerent, opus suum Florentiae typis exprimendum curare decrevit. Magnus Dux, ut illud sibi dedicaretur, libenter permisit. Hoc adjuvante novae difficultates inter Romam et Florentiam exortae pedetentim superatae sunt. Denique post multas moras et impedimenta mensi Februario illius seculi anni XXXII celeberrimus liber prodiit. Jam quum omnia, quaecunque censores postulaverant, rite peracta essent, faustissimis ominibus Galilaeus iterum, et fortius quidem quam unquam antea, sub exosa mendacii larva veritati vim addidisse sibi visus est. Revera ingens subito libri fama erat, crebra virorum eruditorum assensio; neque deerant, qui nunc demum, quam recta Copernicus docuisset, se intellexisse confitebantur. Neque vero inter tot Italos scriptoris amicos et admiratores, tam sincera pietate quam doctrina insignes, fuisse quemquam videmus, qui illius simulationem palam vel deploraverit vel reprehenderit. Tanta enim jam evaserat illa, quam supra descripsimus, mendacii dominatio, ut contra eam veri defensores aliqua simulatione uti ne miraretur quidem quisquam, nedum nefas esse censeret. Sciebant omnes, hanc scribendi rationem scriptori, si auderi publice vellet, vi quadam fuisse impositam. Ut ille non audiri omnino quam veritatem sub simulationis involucro proferre maluisset,

optare non audebant. Neque tamen, quum ejus liber ingenti tot eruditorum hominum assensu comprobaretur, involucrum illud quasi piaculum imminentis adversariorum furoris esse poterat. Immo foedissima ista quam diximus publici judicii moralis corruptio nobilissimo maxime viro, qui invitus quodammodo iterum eam subibat, exitiosa erat. Audaces et impudentes veritatis oppressores iis, qui hanc simul et dissimulari et vindicari posse putabant, fortiores se praestiterunt. Haec dira Galilaeanae tragoediae quasi catastropha erat.

Praeparaverunt eam variae liberioris, quae adhuc Romae vigebat, partis clades. Virginius Caesarinus, Urbano gratissimus, epistolae, qua academici Lyncei stateram aurariam illi dedicaverant, scriptor, jam anno post e vita excesserat. Cesius Princeps, Lynceorum praeses, eo tempore, quo etiam novum Galilaei opus tandem perfectum societatis nomine edere volebat, mortuus est. Postea Ciampolus aliique, qui et Galilaei ingenium ac meritum recte aestimabant, et plurimum eo usque Romae valuerant, propterea quod ab Hispanica parte contra Francogallicam stabant, Pontifici Francogallis tunc impense faventi in odium venerunt. Ciampolus quem ipse Galilaeus Maecenatem suum vocaverat,[1] ad magistratum gerendum quasi exul in Apenninos missus est. Itaque eo tempore, quo prae ceteris Galilaei adversariis Jesuitae tempestatem adversus eum movebant, horum sententiis Urbanus totum se dedit. Paulo ante in gravissima contentione, quae iis in Germania cum aliis ordinibus erat, in eorum castra transierat.[2] Qui illi persuaserunt, Censores quum imprimendi libri licentiam concessissent, turpissimam fraudem subiisse; novam opinionem astronomicam ecclesiae noxiam esse, immo Haeresiarcharum, Lutheri et Calvini doctrinis, perniciosiorem. Quippe toti a rerum visibilium specie pendentes contendebant, nisi terra ex Aristotelis sententia centrum mundi poneretur, etiam Christum centrum mundi spirituale esse non posse. Praeterea nonnulli Pontifici insusurrabant aliquid, quod privatum ejus odium conciret, monentes Galilaeum sapientissimum contra Copernicum argumentum, quod ‚Sanctissimus', quem dicebant, ab omnipotentia divina assumpsissst, in Simplicii, simplicissimi hominis ore positum nihili fecisse.

Qui vero ejusmodi odii virus evomebant, iidem non minus nefanda adulatione, in qua eadem veri neglectio apparuit, Pontificis

1) Opere IX 177.
2) M. Julio A. 1629. Cf. Ranke, Päpste 2. Aufl. II 558 s.

gratiam et obsequium nacti erant. Et illius censore, et Jesuitarum Generali probantibus Romae prelum reliquit Santarelli Jesuitae tractatus, quo ex Bullae ‚Unam Sanctam' sententia tam immanis potestas tribuitur Papae, ut, quum ejus tribunal idem sit atque Christi, ipsi liceat Reges propter impietatem, haeresin, muneris incuriam regno depellere, immo capitis damnare. Quod opus, quum haud leves in Gallia turbas excitasset, ab Urbano constanti silentio protectum est, Parisiis vero ex Parlamenti decreto a carnifice publice crematum. Tum Cottonius societatis Praefectus Provincialis aliique ejusdem rectores et sodales illic in judicium vocati declaraverunt, se doctrinam illam neque probasse, neque ejus periculum in se recipere; interrogati vero annon scirent, Generalem suum eam ut certissimam tenere, responderunt, huic ea quae Romae essent probata probanda esse, se contraria docere; item interrogati, quid ipsi, si Romae versarentur, dicturi essent, responderunt se idem atque Romanos esse dicturos. Quapropter Senatorum unus exclamavit: Quid? num igitur istorum hominum alia conscientia Parisiensis, alia Romana est?[1] Haec eadem erat animi tabes, quam in Jesuitarum casuistis haud multis annis post Pascalius ingeniosis epistolis, Innocentius XI. severo edicto castigavit; eadem mentis pravitas, quae cum tyrannide papali conjuncta veritatem et jus in celeberrima illa causa everterunt, de qua hoc loco nobis dicendum est.

Urbanus, quum Jesuitis instigatoribus aurem praeberet, Galilaeum et vindicatam ab eo veritatem tam et pusillo et protervo animo insectatus est, ut illum eundem esse vix agnoveris, qui Pontifex electus tantam optimis viris spem injecerat. Sed ille, id quod insignes scriptores omisisse video, ex eorum numero erat, qui, quum ad suscipiendas personae falli nesciae partes se provehi paterentur, insanabili Curiae Romanae morbo infecti et in pejus mutati sunt. Idque jam ante id, de quo nunc loquimur, tempus factum esse constat. Etenim in Maffaei Barberini Cardinalis poëmatis non fucati, ut nonnulli censuerunt, sed sincera priorum ejus temporum quasi imago exhibita est. Christianam pietatem et probitatem cum bonis litteris nobilissimo vinculo illic consociatas videmus. In carmine, quod Galilaeo eum dedicasse memoravimus, postquam egregie descripsit regum vanitatem, qui falsam mundani splendoris et magnitudinis speciem sectantes ‚larvas rerum' captant, addit haec:

1) Bower-Rambach, Historie der römischen Päpste X 410. Collectio judiciorum de novis erroribus.

Non semper extra quod radiat jubar
Splendescit intra: respicimus nigras
In sole (quis credat?) retectas
Arte tua, Galilaee, labes.

Ibidem deinde ‚perniciosae adulationis' venenum, aularum pestem, graphice depingens: ‚Fugit', inquit, ‚potentum limina veritas, quamquam salutis nuntia'. Et quomodo ‚lingua adulatrix, favor stillans veneno illo madidos, et placeat, et noceat', vivis coloribus legentium animo repraesentat.[1]

Attamen qui haec et multa similia seria quondam, ut putamus, pronuntiaverat, idem vir, postquam pro Petri successore et Christi vicario haberi coeptus est, nihil magis, quam mundanum et regium splendorem affectavit. In hunc finem et satis dubiis politicae calliditatis artibus usus est, et congestis thesauris, paratis armis, munitis urbibus castellisque cum secularibus principibus certavit. In eundem finem iis annis, quibus de imprimendo et edendo Galilaei libro agebatur, ingenti Austriacae domus et Borboniorum pugnae, universam Europam perturbanti, ita se immiscere visus est, ut suo tantum commodo inserviret, quare Hispanica, de qua supra diximus, pars neglecti muneris pontificii eum accusavit et de Concilio universali contra eum convocando cogitavit. Neque sua ipsius gloria contentus, etiam nepotibus suis (sic enim paparum cognati vocabantur) immensas divitias et mundanos principatus comparare avidissime studuit. Unde quum eo regnante et multi populares opprimerentur atque expilarentur, et augusta vetustatis monumenta diruerentur atque in publicum vel privatum usum verterentur, illud ferebatur dicterium: Quod non fecerunt barbari, fecerunt Barberini. Sic Urbanus a pristina virtute, etsi reliquiae ejus passim adhuc emicuerunt, degeneravit et ingenii dotes haud contemnendas dissipavit. Absolutae potentiae revera mundanae captabat umbram, quamquam sanctissimas semper coelestis regni rationes prae se ferebat. Vix ullus Pontificum suam opinionem, licet insciens ipse a nepotibus et adulatoribus penderet, tam obstinate tene-

1) Cf. horum poëmatum editio Plantiniana ab ipso Papa probata (a. 1634) p. 278 ss. Quod Urbanus psalmos aliasque S. Scripturae partes latine vertens Horatianis metris usus est, nequaquam ut L. de Ranke putat (Päpste ed. 2. II 543) novi aliquid erat. Multi alii jam idem tentaverant, inter eos vir et evangelica pietate et ingenio insignis, Antonius Flamininus. Ceterum inveniuntur in Papae poematis nonnulli versus ex Anacreonte translata, item epigrammata de Niobae deque Dianae dormientis statuis. Cf. in editione supra dicta 220. 222. Etiam Graeca quaedam poemata composuit p. 227 ss.

bat aliorumque omnium, etiam antecessorum, judicium tantuli faciebat. Non mirum, quod etiam quidquid litterarum amoris in illo supererat, vanitate corruptum est. Haud temere unus Cardinalium ejus dixit, cupide eum optare, ut supremus mundi dominus etiam in omnibus doctrinarum artiumque partibus agnosceretur.

Talis igitur Papa Rex, quem nunc dicunt, aptissimus erat, qui Pii V. opus quasi ad perfectionis culmen perduceret. Ille priorem rempublicam litterariam, cujus sodales Erasmi instar evangelicam libertatem cum ingenuis classicae antiquitatis studiis consociabant, per Inquisitionis tribunal effusis sanguinis fluminibus in Italia everterat. Urbanus per idem tribunal, licet sanguini parcens, tamen non minus tyrannice et crudeliter in Galilaei persona novam rempublicam litterariam, quae a pervestiganda rerum natura exoriebatur, ibidem in saecula oppressit. Id vero eo turpius erat, quia et ipse, sicuti vidimus, de edicti contra Copernicum lati justitia et opportunitate aliquo modo dubitaverat, et Romae duo adhuc viri supererant astronomiae gnari ipsique eousque gratissimi, Castellus et Campanella, qui Galilaeum contra Inquisitores defendere ausi sunt. Neque enim, praesertim quum Etruriae Magnus Dux eos adjuvaret, frustra id faciebat, nisi ipse Pontifex cum ista, quam indicavimus, protervitate et violentia eos repressisset.

Inprimis Castellus mira libertate dicit Patribus illis, posse eos prohibere aut non prohibere, quaecunque hominum manus scripsissent, sed eousque auctoritatem eorum non porrigi, ut terrae statum aut motum efficerent, neque praescribere eos posse Deo et naturae, ne arcana recondita mille modis suo tempore nobis revelarent. Commissarium Inquisitionis commonefecit Sancti Augustini, qui jam ostendisset, in Sacra Scriptura nihil definiri vel doceri de his quaestionibus; multis vero seculis post magnum Copernici ingenium in mundum venisse ad perficiendum admirabile suum opus de revolutionibus orbium coelestium, quod ut ederet atque doctissimo Papae Paulo III. dedicaret, a Nicolao Schombergio Cardinali et ab aliis piissimis eruditissimisque episcopis incitatum esse; denique illius tabularum ope ipsam sanctam ecclesiam Calendarium reformasse. Quare se ipsum libere confiteri, non esse cur dubitaret, quin terra eo motu volveretur, quem tot experimentis et rationibus Copernicus demonstrasset, neque propterea secupulum sibi injectum esse a piissimis prudentissimisque theologis, quibus cum plus semel de ea re egisset.' Sed talia verba viri ab omnibus honorati, quo benignius ex ejus ore a multis excepta sunt,

eo vehementius Papae stomachum moverunt. Qui illum subito aversatus est, postea Bresciam mitti jussit, per longum tempus videre noluit. Jam initio autem Magnus Dux, quum illum et Campanellam Galilaei procuratores esse voluisset, repulsam tulerat. Frustra ejusdem nomine probissimus ejus legatus Niccolinus ab Urbano petiit, ut spatium daretur Galilaeo se defendendi et purgandi; respondit ille iratus, Sancto Officio nihil aliud esse faciendum, nisi ut censuram ederet et revocationem postularet; cavendum esse Principi, ne se immisceret rebus ad solam ecclesiam pertinentibus. Causam Florentiae agi noluit, iterum iterumque postulavit ut Galilaeus Romam veniret. Nimirum medici declaraverant, praesenti tempore hiberno peregrinationem seni septuagenario pessima valetudine impedito periculosissimam fore, praesertim, quum propter pestilentiam in Etruria grassantem terrae fines sine multa mora et molestia transgredi non posset. Quare Galilaeus proficisci cunctabatur. Tunc Urbanus ei, cujus deditissimum fraterculum quondam se vocaverat cujusque et ingenium et pietatem magnificentissima epistola celebraverat, minitatus est, se eum ‚ligatum cum ferris transmitti' jussurum esse.[1]

Magnus Dux, licet Galilaei amantissimus, tamen illo tempore nondum satis forti animo erat, ut Urbani tyrannidi aperte resisteret; etiam armis eum debellandum esse multo demum post, Galilaeo jam mortuo, censuit. Itaque hic Florentia Romam profectus, confecto satis difficili ac molesto itinere mense Februario anni MDCXXXIII. hospitalem Niccolini domum intravit. Duobus demum mensibus post coram Inquisitionis tribunali comparere jussus est. Tunc suo quidem jure dixit, se sibi licere putasse Copernicani systematis argumenta hypothetice exponere, sed mala fide, usitatam scilicet simulatoris personam iterum agens, adjecit, se librum suum ad illud refellendum conscripsisse. Id falsum esse tres theologi a judicibus in consilium adhibiti demonstraverunt; quorum duobus addere visum est, valde suspectum esse ipsum scriptorem, quod opinioni illi pro haeretica habenda et adhaesisset et adhuc adhaereret. Tunc Officii Commissarius, animo ut videtur sincere benigno ductus, postquam veniam impetravit privatim cum Galilaeo agendi, huic persuasit ut sua sponte concederet, se in libro suo disputandi libidine abreptus acrius quam ipse voluisset pro terrae motu pugnasse; quod nisi agnosceret, timendum esse, ne Sanctum Officium pro suis legibus adhibita ‚tortura' ad confitendum

1) Gebler, Acten des Galilei'schen Processes p. 72.

verum eum sollicitaret, sin agnosceret sperandum fore ut leniter cum eo ageretur. Id scilicet ipse tunc adhuc Commissarius cum aliis multis speravit. Hunc igitur secutus Galilaeus sedentibus iterum judicibus declaravit, sese, quum librum suum post tres fere annos recens relegisset, animadvertisse vana se ambitione ductum falsae opinioni pertinacius quam par fuisset patrocinatum esse, sed facile id corrigi posse addito novo dialogo, quem ipse jam promisisset in fine operis quemque, dummodo otium sibi daretur, scripturus esset. Haud multo post scripta sua defensione similia protulit; si quid deliquisset, se petere, ut misericordia uterentur in senem septuagenarium, morbis consumptum, molestissimo itinere hiberno debilitatum, per tot menses continua animi tristitia fractum, praeterea malevorum calumniis, adversus quas jam a Bellarmino Cardinali quondam protectus esset, iterum iterumque dilaceratum.

Sed sicuti Inquisitorum plurimi, ita Pontifex misericordiae expers erat. Id tantum Magni Ducis reverentiae, fortasse etiam pristinae Galilaei amicitiae dedit, ut huic per totum causae agendae tempus custodia concederetur satis honesta et commoda, nullis aliis nisi solitudinis, impositi jurejurando silentii, imminentis extremi discriminis terroribus horrenda. Ceterum vero Pontifex ad crudelitatem multis ejus admiratoribus inexspectatam progressus est. Decrevit enim Galilaeum ‚comminata tortura interrogandum esse de intentione', i. e. examinandum, num, postquam confessus est se haereticam opinionem de terrae motu defendisse, nunc etiam confiteretur se hoc ita fecisse, ut eandem opinionem animo ipse probaret. Id si concessisset futurum erat, ut haereticae pravitatis convictus haberetur. Tunc vero, nisi addidisset sese jam resipiscere et ad orthodoxam ecclesiae opinionem redire, ‚de consuetudine igne comburendus erat.'[1] Hoc fato Jordanum Brunum et Fulgentium Manfredi functos esse ipse juvenis quasi e longinquo viderat; regnante Urbano Antonius de Dominis, archiepiscopus Spalatiensis, quem Keplerus magni fecerat,[2] post mortem condemnatus erat ejusque cadaver Romae ex sepulcro extractum et in foro crematum. Harum rerum haud immemor Galilaeus coram judicibus veri osoribus et ipsi contra veritatem peccandum esse putavit. Itaque condemnatam Copernici sententiam se neque post Bellarmini admonitionem unquam tenuisse neque nunc tenere affirmavit, id quod

1) Cf. testimonia apud Reusch l. c. p. 305.
2) Kepleri opera I 659; VIII^b 855 s.

dicebatur ,catholice respondit' i. e. sententiam ab ecclesia promulgatam professus est. Quumque commonefactus esset, ,diceret veritatem, alias deveniendum esse ad torturam', respondit, se ad oboedientiam iis praestandam paratum esse, facerent quidquid placeret. Tunc ad cubiculum in aedibus Inquisitionis ei assignatum reductus est.

Decreverunt judices non adhibita tortura instar haeretici poenitentis eum tractare. Itaque placuit eum a gravioribus poenis, quas vehementi haereseos suspicione secundum canones incurrisset, post abjuratum errorem absolvere, ad formalem carcerem in tempus Inquisitorum arbitrio limitandum eum damnare eique praescribere, ut tribus annis futuris semel per hebdomadem septem psalmos poenitentiales recitaret, praeterea librum ejus publico edicto prohibere. Haec sententia die post, mensis Junii die XXII., Galilaeo iterum ad tribunal stare jusso annuntiata est. Frustra quidem jam initio petiverat, ut sibi liceret, ,singulare quoddam Bellarmini verbum Pontifici in aurem dicere', nimirum verbum illud, quod quam exitiosa ipsi ecclesiae temeraria veritatis naturalis condemnatio futura esset, religiosum judicem commonefacere debuit.[1] Quantopere Urbanus sibi irasceretur, ex torturae comminatione viderat. Attamen mera minatio fuisse visa est; Papam lenitate aliqua si non in librum suum, at in se ipsum usurum esse, pro iis, quae Officii Commissarius et Niccolinus ei dixerant, semper adhuc sperare potuit. Quare quanto horrore durissimum illud judicium, non sine Pharisaico divini nominis abusu permultis verbis expositum, audiverit, facile ad intellegendum est. Cujus judicii lectione finita subito jussus est genibus flexus scriptam longam abjurationis formulam recitare, ex qua haec verba infra posita sunt: ,Propter librum a me scriptum et typis mandatum judicatus sum vehementer suspectus de haeresi, quasi tenuerim et crediderim, solem esse centrum mundi et immobilem, terram non esse centrum ac moveri. Idcirco ut ex omnium mentibus eximam hanc suspicionem adversus me jure conceptam, corde sincero et fide non ficto abjuro, maledico et detestor supra dictos errores et haereses et juro me in posterum nunquam amplius dicturum aut asserturum voce aut scripto quidquam, propter quod possit haberi de me similis suspicio; sed si cognovero aliquem haereticum aut suspectum de haeresi, denuntiaturum me illum huic Sancto Officio aut Inquisitori et Ordinario loci, in quo fuero. Juro insuper ac promitto, me impleturum et observaturum omnes

1) Gebler, Acten p. 79. Cf. supra p. 00.

poenitentias, quae mihi impositae sunt aut imponentur ab hoc Sancto Officio. Quod si contingat me nonnullis ex dictis meis promissionibus, protestationibus et juramentis (quod Deus avertat) contraire, subjicio me omnibus poenis ac suppliciis, quae a Sacris Canonibus et aliis constitutionibus generalibus et particularibus contra hujusmodi delinquentes statuta et promulgata fuerunt. Sic me Deus adjuvet et sancta ipsius evangelia, quae tango propriis manibus.'

Quae omnia verba quam exquisita crudelitatis arte composita essent, Galilaeus multo post demum considerare potuit, quum ea per amicum sibi comparanda curasset.[1] Dimisso ipsi judices scriptam neque sententiam neque abjurationis formulam tradiderant. Stantem et genu nixum ad tribunal infelicem senem imparatum omnia imprudentemque terrore perstrinxerunt et exanimaverunt. Mendacii spiritus jam diu in ecclesia Romana vigens, qui in ipsum invitum magis magisque quasi contagione transierat, nunc ad dirum ac foedum perjurium eum protrusit. Tortura spiritualis erat, corporali atrocior. Et in aeternam memoriam sceleris cum a declarato reo tum a Papa et judicibus commissi Galilaeum nomen recitatis perjurii verbis subscribere oportuit. Quod quam alte percusso animo exsecutus esset, viri eruditi, quibus hujus causae acta in Vaticano inspicere contigit, ex litterarum, quas ille tremebunda manu fecit, ductu abnormi collegerunt. Neque vero tantis praeclarissimi viri suppliciis contentus erat Urbanus, sed etiam illi, ,cujus famam in coelo lucere et terras peragrare' quondam scripserat, quantum potuit infamiam movere studuit. Quare et judicum sententiam, et abrogationis formulam non tantum in florentissimis Italiae urbibus, verum etiam apud exteros publicari jussit. Domini mentem servi secuti sunt: sic censor quidem librorum clarissimum virum vocari Galilaeum vetuit. Sed etiam fractum et diffamatum adversarium Urbanus timere visus et inexorabili odio persecutus est. Qua in re Pontificem non minus indignum christiano nomine quam Galilaeum dignum se praebuisse, egregius quidam scriptor, ecclesiae Romanocatholicae sincerus et ingeniosus defensor, bene ostendit;[2] universalem Curiae et ecclesiae Romanae morbo, quo ille quoque affectus erat, non perspexit.

Extrinsecus quidem spectatus Galilaei carcer mitissimus, immo nullus fere erat. Habitatione satis jucunda semper usus est; plurimam

1) Opere di Galilei.

2) Alfred von Reumont, Beiträge zur italienischen Geschichte 415. 421.

reliquae vitae partem in villa sua Arcetrensi transegit. Nihilominus se in Inquisitionis custodia esse nunquam non sentiebat. Anxie vigilabat Pontifex, ne academiam, quam ipse ait, institueret vir ingeniosissimus, scilicet ne ad colloquendum de doctrina Copernicana quosdam admitteret. Castello amico ejus in Etruriam profecturo sollemniter promittendum erat, se nisi praesente alio quopiam nunquam cum eo sermones facturum esse. Idem ut per longius tempus aegrotanti seni praesto esset, veniam impetrare non potuit. Peregrinis, qui ipsi haeretici vel ex haeretica civitate advenientes habebantur, non permittebatur Galilaeum adire; quod catholicis exteris licebat, dummodo de motu terrae et solis statu non loquerentur.[1] Propterea illius villa, quantum fieri poterat, sub custodia habebatur; quum vero veniam petivisset in domum suam Florentinam transmigrandi, ut necessariam sibi medicorum auxilium facilius obtineret, ipse Papa ei mandari jussit, ,ut abstineret ab ejusmodi petitionibus, ne Sacra Congregatio cogeretur revocare eum ad carceres hujus Sancti Officii.[2] Frustra ut condicionem ejus liberiorem redderent, Romae illustrissimi viri, qui ibi valere aliquid videbantur, foris Magnus Dux Etruriae et Rex Poloniae nisi sunt; frustra Fabri de Peirese dicere ausus est, fore ut tanta crudelitate foedissima macula Urbani regno aspergeretur. Pontifex, qui adulatores audire semper maluit, dum se illum amari et solo sanctissimo erga ecclesiam officio a clementia retineri dictitat, eundem usque ad extremum diem per Inquisitionis ministros oppressit et vexavit, immo etiam mortui, cui papalem benedictionem miserat, honorem impedire et obscurare studuit.[3]

Venerandus optimis aequalium senex, licet tot inauditis injuriis afflictus, senectutis et morborum onere gravatus, per quinque ultimos vitae annnos etiam omni oculorum luce orbatus, tamen demissum et oppressum animum denuo semper erexit, incredibili ingenii robore doctrinas, ad quas longius provehendas natus erat, colere non desiit, rerum naturae cognitione novis splendidissimisque inventis ac speculationibus locupletata generi humano inservire perrexit. Quam ad rem adjutus est amicorum atque discipulorum, et eorundem partim ingenio excellentium, constantibus studiis. Horum opera immortales suos ,de

1) Gebler, Acten p. 179.

2) Ibidem p. 174. Quam juste fuisset Galilaei petitio, postea ipse Inquisitor Florentinus concessit Opp. di Gal. X 280 s.

3) Gebler, Acten p. 184.

novis doctrinis' dialogos aliasque varias commentationes confecit; his, postquam oculorum lumina amisit, tum illa omnia dictavit, tum permultas epistolas; horum auxilio effectum est, ut etiam cum viris Sancto Officio admodum suspectis, et Italis et exteris litterarum commercium semper fere continuaret. Hi denique et conjuncti cum iis peregrini quidam, inprimis Berneggerus professor Argentoratensis, Kepleri quondam amicus et Elzevirii bibliopolae praesto ei erant, ut opera sua, partim latine versa, et priora et recentia, quae utraque in Italia publicari non licebat, foris imprimendas et edendas curare posset. Quas omnes res Papa quidem et sectatores ejus pro viribus impedire obstinate conabantur, cupientes et optantes, ut illustrissimi adversarii domus solitudine saltem carceris esset horrida. Sed eorum consiliis cum prospero plerumque successu officiebat sollers interdumque satis astuta tot amicorum industria, quam Magnus Dux, et ipse Inquisitionis captivum, praeceptorem suum, saepius invisere non veritus, benevolentia tantopere sublevabat, ut Inquisitor Florentinus praescripta vigilantia ac severitate uti passim vel nollet vel nequiret. Paulatim Italiae et Europae judicio moniti etiam acerrimi quidam Pontificii, quum novissimorum Galilaei inventorum utilitatem negare non possent, in crudelitate sua aliquid stulti inesse videri senserunt eamque, licet nunquam ipsi ab ea prorsus recederent, aliquatenus relaxandam esse intellexerunt. Itaque Castello permissum est, ut carissimi amici operam et labores per plures septimanas adjuvaret. Per longius temporis spatium ingeniosissimos et celeberrimos juvenes, Vivianum et Torricellum, ei adesse licebat. His igitur omnia, quibuscunque opus erat, administrantibus Galilaeus, quamvis denegata semper plena libertate, tamen usque ad extremum fere diem, superata corporis infirmitate in ingenii labores cum admirabili omnium virium intentione incumbere poterat.

Simul inter tot horum temporum res adversas animum suum vere christianum egregie probavit. Fortissimum enim se praebebat non rigido stoicorum animo (qui tam miseram vitam voluntaria morte finire soliti sunt), sed christiana divinae providentiae fiducia. Haud male ingeniosus, quem memoravimus, Italicarum rerum scriptor Thomae a Kempis verbum quoddam in illum transtulit, nimirum profectum in spiritu et crucem pariter crescere.[1] Devictis tentationibus nobilis metalli instar ille purgatus est. In dubitationis discrimen eum ad-

1) Alfred von Reumont, Beiträge zur italienischen Geschichte I 421.

ductum esse facile crediderim. Quippe ingenii vim vere divinam, quae velut inexsuperabili indole sua ad actionem et efficaciam ferebatur, partim dira corporis mala, partim malitiosa ac stupida hominum odia impediebant et opprimebant. Neque miramur, quod ille, quum coecitate in angustissimum sentiendi et observandi quasi circulum inclusus esset, ingentis coelorum spatii recordatus est, quorum miracula mortalium oculis ipse primus patefecisset. Verum mox per amanuensem Castello suo verbum illud scripsit, cujus hic plus semel meminit: ‚Sic placet Deo, sic nobis quoque placere debet.‘[1] Eandem mentem jam antea post exantlatas tantas hominum acerbitates et indignitates comprobaverat. Jam tunc Fabricius de Peirese, quem pro eo liberando frustra laborasse diximus, epistolam ab eo acceptam ut praeclarum recuperatae animi aequitatis et philosophiae christianae exemplum admiratus est; addidit se intimo corde optare, ut interna felicitas ei maneret, externa, quando placeret divinae majestati, restitueretur.[2] Neque profecto epistolam illam, ad quam talia respondit, posterorum memoria dignissimam, nimia laude ornavit. Illic nimirum Galilaeus cum gratissimi erga amicum animi significatione declarat, adversariis quoque se gratiam habere, utpote qui allatis sibi tot incommodis semel causa fuerint dulcissimi solatii, quod hauserit ex generosissimo tanti viri studio; ab ecclesiae vero gubernatoribus propter ipsam innocentiam suam nihil se sperare posse, illos enim jam ante hos octodecim annos ab ignorantibus hominibus sub religionis praetextu deceptos latam contra se injustam sententiam mordicus tenere, ne scilicet agnita ipsius innocentia etiam male se judicium exercuisse agnoscere debeant; propterea sese ab Inquisitoribus quovis passu custodiri et observari, omni libros edendi potestate privari, denique quominus contra homines inscios de rebus mere naturalibus ipsum calumniantibus et deridentibus se defendat prohiberi; nihilominus duo majora quam quis crediderit solatia sibi esse, alterum quod perlectis scriptis suis nemo vel levissimam umbram inventurus sit rerum a pietate et a sanctae ecclesiae reverentia declinantium, alterum in conscientia sua positum, quae qualis sit solus ipse sciat in terra et Deus in coelo; namque in ea re, propter quam tot sibi mala toleranda sint, multos fortasse se ipso doctius egisse et locutos esse, neminem etiam inter sanctos Patres sanctiore intentione et majore ecclesiae studio.[3]

1) Opere di Gal. X 280. 310.
2) Ibidem X 86 s.
3) Ibidem Supplem. p. 361 ss.

Ex his omnibus apparet, cum Erasmo Galilaeum in ecclesia Romanocatholica subsistere voluisse, quamquam adhaerentes ejusdem gubernatoribus errores clare perspexerat. Quos errores ut agnosceret, non aliter ipse in naturali doctrina, atque in spirituali quondam Lutherus, ‚conscientia et experientia rerum' coactus est. Quum etiam Ferdinandum II. Imperatorem, in quo spem initio posuerat, a Jesuitis totum pendere comperisset, eo magis Protestantes tyrannidis papalis jugum excussum esse et libertatem christianam vindicari gaudebat. Id satis aperte significare non dubitavit in epistola ad Berneggerum data. Qui quum ipsius rogatu dialogos de systemate mundi latine vertere coepisset,[1] gratiis maximis ei dictis de turbis et vexationibus, quibus percussus esset, locutus est. Tunc, ‚Ne sis nescius', inquit, ‚liber hic, quem tanti putas, vix lucem adspexit, quum mihi subito obortis invidiae tenebris triste inhorruit coelum, et sensi circa me fragoribus omnia quati; nec solum tela manu facta in me contorta sunt, sed coelesti etiam fulmine afflatus atque ambustus nondum plane vincula et sordes evasi, sed adhuc catenam traho, in mei praedii suburbani circumscriptas angustias relegatus. Non tamen his angustiis eliditur aut contrahitur animus, quo liberas viroque dignas cogitationes semper agito. — Modo Deus hanc animi tranquillitatem mihi perpetuam faciat, animo quoque me semper beata libertate fruiturum confido.'[2]

Galilaeus etiam talium Christianorum evangelicorum studia ac verba haud parvo sibi solatio fuisse saepius fatetur. Berneggerus, belli Germanici terroribus ipse circumdatus, ad epistolam illam inter alia haec rescripsit: ‚Deus tibi, divine senex, longam tranquillamque vitam largiatur, ut superstes sis amicis tuis, superstes calamitatibus publicis, quae miserabilem in modum tot per annos orbem nostrum concutiunt.'[3] Idem Berneggerus in epistola ad Robertum Robertinum, quam paulo post publici juris fecit, de Galilaeo scripsit haec: ‚Sufficit illi in hoc tempore judicium saniorum paucorum; apud posteros quum obtrectationis invidia decesserit, luculentissimum industriae testimonium consecuturo. Quod enim Demosthenes de rebus gestis veterum Atheniensium dicere solebat, laudatorem iis dignum esse solummodo tempus, id de magno quoque Galilaeo non absurde pronuntiaveris. Hostium

1) Hos a Berneggero neque, ut nonnulli putant, a Deodato latino sermone esse redditos certissimum est. Cf. ibidem VII 52. 53. X 178 ss.

2) Ibidem VII 53 (d. XVII m. Aug. a. 1634).

3) Ibidem X 179.

ejus degeneres obtrectationes oblivio mox ruet: per ingenii divini monumenta posteritati monstratus superstes erit.' Addam nonnulla ex litteris, quas ad Galilaeum, quum novam longitudinum terrestrium definiendarum rationem machinaretur, Hugo Grotius dedit: ,Cognationem nobis esse cum coelo, ex tuis maxime operibus didici, vir sapientissime. Veneror te, qui ista aetate, tam ingratos expertus animos, adversus utrumque invictus, et haec et alia plurima ac maxima suscipere pergas. Ista vero non senectus dicenda est, sed vitae perfectio, et de omnibus fortunae injuriis gloriosissima victoria:

Hunc ego sublimi quaesitum mente triumphum
Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru
Scandere Pompeji, quam frangere colla Jugurthae.

Valetudinem tibi opto prosperrimam, quod quum facio, humani generis negotium gero.'[1]

Qui viri christiani, quum et veritati et oppresso ejus vindici, cujus memoria ab ea dirigi non poterat, debitum in republica litteraria honorem reddere conarentur, summum honorem soli Deo deberi bene recordabantur. Neque id Galilaeus oblitus est, etsi gaudio ex illorum studiis percepto aliquid humani se admiscuisse facile concedimus. Attamen, sicuti id potissimum graviter tulit, quod adversarii propter defensam rerum naturae veritatem impietatis ipsum accusarent, ita id vehementissime laetatus est, quod Protestantes hanc obtrectationem publice refellerent. Berneggerus enim systemati mundi latine reddito statim adjecerat Foscarini libellum, viginti annis ante Romae condemnatum, et Kepleri commentariolum quendam, quo utroque scripto doctrinam Copernicanam cum sincera et pia Sacrae Scripturae interpretatione optime conjungi posse eadem ratione ostenditur, quae ut iniretur, si quando forte Copernicus ab omnibus probatus fuisset, necesse fore etiam Bellarminus significaverat. Eundem cursum ipse Galilaeus tenuerat in ingeniosissima commentatione in Christinae Magnae Ducis gratiam viginti fere annis ante italice composita eique inscripta, quae nunquam typis expressa sed scriptis tantum exemplaribus inter amicos sparsa erat. Hanc Deodatus Italus, spectatissimus inter Parisienses jurisconsultus, ab ipso latinitate donatam, quum illic eam edere non auderet, Germanicae et evangelicae urbis professori Berneggero misit. Qui eam italice et latine vulgandam curavit, praemissis binis epistolis, altera Deodati sub Roberti Robertini nomine

1) Ibidem VII 90 s.

latentis, altera ipsius illi respondentis, quibus furiosae adversariorum contra Galilaeum machinationes, praetextum ab iis et ementitum religionis studium, sincera Galilaei pietas, candor, magnanimitas tam egregie quam breviter exponuntur.[1] Quo libello accepto ipsum Galilaeum in epistola ad Micanzium suum[2] laetitia elatum et gestientem audimus optantemque ut hujus commentationis jam pridem Inquisitoribus exosae quam plurima exemplaria in Italiam transferantur ad confundendos calumniatores suos. Unde recte aliquis collegit, quanti ille fecisset christiani nominis honorem.[3] Simul vero sperabat fore, ut Protestantium et universae reipublicae litterariae auxilio etiam apud Italos suos oppressa veritas quondam restitueretur.

Ipsis furiosissimis adversariis propter ignorantiam eorum ignoscere paratus erat. Petivit a familiarissimo suo Castello, pergeret orare Deum misericordiae et caritatis, ut ex malitiosorum illorum infeliciumque hominum cordibus odium exstirparet. Ipse in rebus adversis exclamare didicit: ‚Agedum, laus Deo.‘ Sed dum haec verba Micanzio scribit, humanae debilitatis recordatus petit ab illo, ut se adjuvet Deo pie supplicans.[4] Idem iterum iterumque rogat Castellum. In his nimirum viris eorumque similibus veros ecclesiae filios conspicabatur. Eos vero, a quibus ut novarum rerum studiosus condemnatus erat, ipsos antiquum ac verum ecclesiae fundamentum subvertere persuasissimum sibi habebat. Contra hos libro cuidam verba inscripsit, usque ad nostros dies in bibliotheca quadam quasi sepulta, quaeque nunc demum post deletum seculare Pontificum regnum Romae lucem videre potuerunt[5]: ‚Quis dubitat, quin pessimam novitatem, magnarum offensarum parentem, ii introducant, qui homines intellectu praeditos, liberos creatos a Deo, servos se ipsos facere postulant alienae voluntatis, qui easdem res suis sensibus perceptas pro aliorum libidine infitiari volunt, qui denique permittunt, ut viri doctrinae vel artis cujusdam gnari judicentur ab insciis potestate donatis, qui in suam sententiam invitos illos cogant. Novitates hae sunt, quae gentium et rerum publicarum ruinam secum trahent. Haereseos causa vos estis, volentes ut Sacrae Scripturae sententia ea sit quae vobis placuit utque viri eruditi ea vera esse negent quae sensibus et neces-

1) Ibidem X 30 ss.
2) Ibidem VII 65 s.
3) Martin, Galilée p. 222.
4) Ibidem VII 148.
5) Berti, Copernico 148 s.

saria demonstratione vera cognoverunt. Vos estis novitatum auctores earumque novitatum, quae grandem adducent religionis ruinam.'

Sentiebat generosissimus vir, quum haec scriberet, indignae conditionis, qua ipse cum amicis in medio magno mendacii regno quasi depressus tenebatur, turpitudinem. Idem sine dubio amicorum plurimi sentiebant sed horrendam Sancti Officii manum timentes chartarum fidei quae cogitaverant non commiserunt. Solus quantum scimus Micanzius, Venetorum reipublicae theologus, Pauli Sarpii successor, talia in epistolis ad Galilaeum scribere non dubitavit. Qui cum omnes illius libros propter vigentem tyrannidem etiam Venetiae vix reperiri posse queritur, tum dialogorum prohibitionem ,bestiale' vocat facinus. Alias, quum illic Batavus quidam Copernici doctrinam egregie defendisset, illum ,canonizasse' dicit id, quod Galilaeus quondam in epistola ad Christinam Magnam Ducem monuerat, ,temerarium ausum esse novos quasi aërios fidei articulos fingere et constituere, quorum contraria vera esse cum tempore ad oculos demonstrari posset'. Et iterum allata hac Galilaei sententia Jesuitas effecturos esse praedicat, ut, si terrae immobilitas pro dogmate accepta fuerit, omnes astronomiae professores fiant haeretici.[1]

Tales litteras vel Micanzium dare, vel Galilaeum reconditas asservare ausum esse mirum est. Sed similia propalam loqui vel typis expressa vulgare ne Venetiae quidem licuit. Immo etiam nova et illustrissima Galilaei opera, ad condemnatam mundi constitutionem minime spectantia, nisi adhibitis callidis, quas diximus, amicorum consiliis et artibus neque perfici, neque extra Italiam edi potuissent. Hac ex parte illi omnes, licet alioquin ecclesiae observantissimi, cum praesentibus ecclesiae gubernatoribus bellum habebant sibique belligerantibus non minus quam adversariis strategemata quaedam christianae veritati sane repugnantia licita esse putabant, quibus eorum fraudes ac violentiam repellerent. Quare etiam Castellus aliique viri sinceritate et candore aliis in rebus eximii, quod ad naturalem mundi constitutionem pertinet, coram ecclesiae tyrannis sacrificium intellectus simulabant. Immo Vivianus, ardentissimus fidissimusque Galilaei admirator et amicus, mortui praeceptoris vitam, ut edi ac legi posset, ita sibi scribendam esse censuit, ut non modo fabulam recoqueret illius operum ipso inscio invitoque foris editorum, verum etiam narraret, grato illum et laeto animo fuisse, quod ipsum ecclesia

1) Opere di Galilei X 115 (cf. 170); VIII 274; Supplem. 271.

infallibili judicio suo ex pernicioso Copernicanae novitatis errore retraxisset.

Oppresso Galilaeo nobilissimum Italici populi ingenium tantum damni contraxit, ut ne nunc quidem e gravissimo morbo plene se recreaverit. Quod egregius scriptor Romanus, Dominicus Berti, clarissime nuper demonstravit;[1] id vero non satis intellexisse ille videtur, nequaquam solum singulum errorem tunc Romae praevaluisse, quin potius magnam illam mendacii tyrannidem, quae jampridem Aonio Paleario aliisque tot praeclaris libertatis christianae propugnatoribus crematis fundata erat, nova reportata victoria corroboratam esse ideoque auctum simul tristissimum illud religionis et scientiae humanae discidium, quod Galilaeum ejusque amicos vehementer metuisse et frustra amovere studuisse vidimus. Hoc vetus malum nova sane incrementa cepit a singulari illo errore Aristotelico et Ptolemaico nefasta infallibilis judicii ecclesiastici simulatione confirmato. Quem errorem Curia iisdem violentiae auxiliis, quibus Galilaeum ejusque amicos oppresserat, per satis longum aevum tuebatur. Sequenti seculo veritatis assertores tacite tolerare paulatim coacta est. Nostro demum seculo, nimirum ejus anno trigesimo quinto, sublatis ex Indice Copernici, Kepleri, Foscarini nominibus, Curia Romana si non verbis at re confessa est, quam turpiter ipsa per tantum temporis spatium errasset et peccasset. Quem vero animum in veritatem, quam sequi humanum genus non desinit, et in rempublicam litterariam veritatis studio nixam, usque ad nostros dies prae se tulerit, reliqua hujus operis parte nobis examinandum est.

Summus vir Galilaeus, Copernicani systematis in Italia praeco, scripta quaedam Kepleri nostri, auditu sibi cognita, nancisci frustra studuerat, quae quum ab ipso scriptore missa accepisset, intimam cum eo per litteras amicitiam junxit. Postea illi nobilem quendam juvenem commendavit hisce verbis: ‚Joannes Stephanus Bossius Mediolanensis, qui has tibi reddet, in remotissimas istas regiones proficiscitur non divitias perquirens, sed doctrinas, nec studet patrimonium sed virtutem augere, immo libenter patrimonium impendit ut scientiam comparet. Praecipue matheseos scientia pervellet erudiri, ideo ad te properans me summopere obsecravit, ut se tibi de meliore nota commendarem. Quod longioribus verbis non facturus sum: sat enim fuerit qua de causa se tibi commendari voluerit indicasse.‘

---

1) Il processo originale di Galilei p. CXXVI s.

Interea etiam a Bononiensibus, ipsi Papali regno subjectis, honorificentissimis litteris invitatus est, ut docendae mathematicae artis munus in academia susciperet. Quibus respondit, se unice quidem suspicere atque colere Bononiam omnium academiarum metropolin vereque matrem studiorum; tamen vitio sibi ne vertant, si iis non obsequatur, se enim natione animoque Germanum esse et ut Germanum ea libertate morum et sermonis usum, cujus consuetudo sibi Bononiam transeunti adhaerens facile, si non periculum, saltem notam aliquam causari, suspiciones concire seque Coryzeorum delationibus obnoxium reddere posse videatur. Quod quanto jure Keplerus veritus sit, ex epistolis a Vincentio Blancho, celeberrimo apud Venetos astronomo, ad eum missis satis apparet. Hic enim et ipse divinum ejus ingenium admiratus, suo suaeque gentis nomine gratias ei agit petitque porro incumbat, ut sicut ceterae nationes ita Itali operibus ejus perfruantur, omnes enim tanquam unicum Phoenicem mathematicum eum habere. Se audivisse insignem quendam atque eruditum senem coram praestantissimis viris dicentem, majorem sibi Keplerum quam omnes omnium temporum astronomos videri, neque quidquam magis in votis esse, quam ut diu exspectatas tabulas ejus Rodolphinas adhuc vivus videat. Quare Blanchus valde deplorandum esse ait, quod libri ejus etiam in florentissimis Italiae urbibus nisi maximo labore non reperiantur. Romae vero etiamnum recentem esse in Copernicum animadversionem; illustrium quidem scriptorum Germanorum libros, etsi quandoque vetentur, clam nihilominus vendi et attentius legi; sed verendum ne Romae mutilentur; quare se ipsi suadere, ut in magnis operibus suis abstrusiores sententias (quales Keplerus ad theologiam et philosophiam pertinentes passim protulerat) prorsum omittat easque seorsim in aliquo dialogo disputandi modo proferat. Quod quidem vetus artificium in clarissimo dialogo; quem Galilaeus de systemate mundi Ptolemaico et Copernicano composuerat, patrocinio illi non fuisse constat. Ceterum similia iis, quae Blanchus protulit, Joannis Remi epistolis Romae conscriptis continentur, qui quum Kepleri commercium petit, amorem et aequalitatem studii ubique terrarum similes sibi consortes conciliare affirmat.

Horum potissimum virorum consiliis permotus Keplerus quinto libro Harmonices mundi admonitionem praefixit ‚ad bibliopolas praesertim exteros' scriptam, in qua praeter alia haecce verba leguntur memoratu digna: ‚Scripsi haec homo Germanus, more ac libertate Germanica; quae quo major est, hoc plus fidei conciliat ingenui-

tati philosophantium. Christianus tamen sum, ecclesiae filius, et doctrinam catholicam,[1] quantum ejus ad hanc usque meam aetatem capere potui, non voluntate tantum amplector, sed etiam judicio comprobo. Culpam vero meam ingenue fateor, qui cunctatione nimia meorum operum philosophiam defensione sua destitutam praeveniri sum passus. Nam profecto hoc judicabunt lecto hoc opere harmonico Italicorum et philosophorum doctissimus et theologorum religiosissimus quisque, tantam esse majestatem hujus operum divinorum dispositionis harmonicae, ut Copernicus ante promulgationem hujus operis sufficienter audiri nequamquam potuerit. Petit itaque philosophia, petit Copernicus beneficium restitutionis in integrum a principe, salvo honore judicum, eosdem enim illos novum judicium judicaturos, nova sua documenta ventilaturos et patietur et ultra implorat. Vos vero, bibliopolae, recte quidem et ordine facietis, si exemplaria reverentia judicii non vulgo venum exponatis, at illud interim scitote, datos vos esse philosophiae, datos bonis auctoribus velut tabelliones mittendis ad judices defensionibus; itaque vendetis exemplaria nonnisi theologis summis, nonnisi philosophorum clarissimis, mathematicorum exercitatissimis, metaphysicorum profundissimis, ad quos mihi Copernici procuratori alia via non patet aditus, his quidem ut dispiciant, sintne ista merum luxuriantis ingenii commentum, an potius ex ipsa natura deprompta rebus evidentissimis comprobari possint; illis vero ut deliberent, num immensa haec divinorum operum gloria in vulgus spargenda, an potius contrahenda et fama ejus censura opprimenda sit.'

Non minore igitur prudentia quam fiducia Keplerus sepem illam inter utramque gentem exstructam frangere incepit. Neque hoc loco praetermittendum mihi videtur, quam sincera et profunda pietate evangelica magnus ille vir in omni cogitandi et agendi ratione usus fuerit. Sic Blancho nimio laudatori suo pulchre respondens, ,Te vero', inquit, ,quisquis es, oro et obsecro, si vero et ingenuo animo tua mihi obsequia et studia defers, tam exquisito verborum apparatu, tantis laudibus abstineas neque pessimum exemplum inter philosophos statuas: tibi vero persuadeas ipsi, me sive inferior sim tantis encomiis vehementer iis offendi, sive par in minima re, tamen ab iis metuere sinceritati philosophantium ipsique adeo pietati, ne dum propter cognitionem operum divinarum nostras ipsorum commemoramus audimusque

1) Monendum est, illius aevi Protestantibus sicuti Luthero catholicam doctrinam idem significare atque christianam.

laudes, laudum verarum, quae sapientissimo tantorum operum auctori debentur, obliviscamur.‘ Eodem modo omnia studia sua, omnem eorum, quae in vita humana eveniunt, contemplationem ad Deum refert. Nihil in illis, dummodo sana et pia mente considerarentur, profanum et a religione alienum esse putabat. Amico cuidam de inito matrimonio suo scribens et divinum consilium in iis, quae illud praecesserant, inquirens, nihil esse dicit, quod scrupulosius examinet quodque adeo scire desideret: si forte Deum, quem in totius universi contemplatione manibus veluti palpet, intra se ipsum etiam invenire possit. Similiter amicos haud semel hortatur, ut in vitae suae decursu divinae providentiae vestigia indagent. Neque unquam cognoscere tantum divinam voluntatem sed cognitam conscientia tenere et sequi religionis esse duxit.

Talem etiam se praebebat in amplectenda confessione evangelica. Quam ut desereret, inter Austriacos eum degentem frustra alii speciosis argumentis pelliciebant, alii exhibita molestia et vexatione perducere studebant, sicuti Linzianae bibliothecae libri theologici instigantibus Jesuitis pro tempore ei circumscripti sunt. Quumque letaliter aegrotans Pistorius quidam, vir doctus, qui ad Romana sacra transierat, tanquam moriturus litteras ad Keplerum misisset, hic respondens se pro illo ad Deum suspirare scribit seque sperare fore, ut inanitate hujus mundi perspecta, poenitentia paratus et cinctus transitionem illam beatam faciat. ‚Venies igitur‘, inquit, ‚si haec praestiteris (Deo etiam de occultis, de ignoratis peccatis, de opinione cultus Deo praestiti in quorundam exagitatione confessus et deprecatus) — venies inquam in illum coetum electorum mihique in illo magno die ad tribunal Christi comparenti testis eris, me nullo privato odio in Pontificem, episcopos, sacerdotes, sed mero zelo Dei, studio mandatorum et institutionis Christi, cura praemonitionum ejus et apostolorum in illa libertate stetisse, in qua Dei permissu natus sum, neque jugo Romano mancipari ultro voluisse.‘ Tunc severis quibusdam verbis de tyrannide Romana additis, ‚Haec ego‘, inquit, ‚commotis praecordiis, quasi migraturus cum migraturo (quia incertum uter alterum praevertat) responsi loco ad partem epistolae tuae de morbo et morte instante respondere volui. Quae ita accipias a scribente uti solitus es excipere loquentem et disputantem de eadem materia.‘

Neque tamen Keplerus, veritatem et libertatem evangelicam fortiter vindicans, animo caecus erat ad videnda suae ecclesiae damna, immo in omnibus Christianorum occidentalium partibus multa esse

confitetur quae reformatione egeant. Inter utramque evangelicorum familiam ut pax constituatur maxime optat, etiam diversas Lutheranorum partes ad omittendas furiosas disputationes impense hortatur. Quare rigidis quibusdam orthodoxiae quam arbitrabantur Lutheranae propugnatoribus exosus erat, at multis piis atque ingeniosis illorum temporum viris, sicuti Valentino Andreae ejusque amicis, gratissimus atque dilectissimus. Neque pro simplice tantum pietate de his rebus judicabat, verum ut eruditus theologus, qui adulescens, ut ipse testatur, theologiam atque totam philosophiam ingenti cupiditate amplexus est, nihil admodum de astronomia in speciem sollicitus; postea vero ad obeundum munus astronomicum praeceptorum auctoritate quasi extrusus est, multum protestatus se jure suo ad aliud vitae genus nequaquam cedere. Etiam serioribus temporibus studia illa nunquam prorsus deseruit. Praeter ea, quae ad chronologiam biblicam pertinent, etiam harmoniam evangeliorum scripsit, cujus edendae ut Keplerus non minus quam alterius harmonices, quae ad ordinem mundi pertinet, curam habuisset, vehementer optavit Crusius. Etiam quae de praedestinatione et de coena Domini scripserat, ab amicis laudantur. Sic ea universi mundi contemplatio, quam haud pauci nunc vel ignari vel imprudentes Christianismo obesse opinantur, in summo illo ejus vindice non aliter quam in Copernico et Newtonio, cum verissima pietate conjuncta erat.

Haec paulo fusius de Keplero locutus sum, ut nova temporum initia una saltem imagine pleniori aliquatenus ac dilucida illustrentur. Quod neminem ita accepturum esse spero, quasi negemus, etiam inter viros ecclesiae Romanae sincera pietate addictos iisdem temporibus non defuisse, qui ad novas humanae cognitioni vias aperiendas gloriosa quaedam perficerent. Num inter eos quis fuerit qui pari atque Keplerus et pietate christiana et libertate animi cum alienae gentis hominibus consuetudinem inierit nescio. Id certum, ejusmodi ingeniorum commercii, gentium fines transsilientis, gravitatem atque necessitatem inde ab illa aetate eo magis ut necessaria virorum doctorum animis se quasi imposuisse, quo latius altiusque cognoscendi materies patuit, quo clarius gentes variis ingenii dotibus alias apparent aliarum defectus supplere apparuit, quo plenius denique omnium doctrinarum artiumque cultum universo generi humano communem et laborem injungere et fructum afferre. Persuasione illa vetustiore tempore praeparata, recentioris aetatis vere demum propria, quomodo similiter atque Keplerus quondam ejusque amici, omnium paulatim

nobiliorum hominum animi se imbuerint, id demonstrare a nostro consilio alienum est. Quam late ipsius eruditionis, in republica litteraria excolendae, fines recens patuerint, paucis hic adumbrandum esse puto. Satis notum est, scientiam naturalem, posteaquam per Copernicum universa coelestium corporum motus contemplandi ratio mutata est, ad incredibilem varietatem, perfectionem, amplitudinem crevisse. Quare si in magno illo omnium disciplinarum artiumque concentu suum modeste locum obtinet, vere excelsis semper et intaminatis honoribus fulgebit. Quod ad ceteras disciplinas pertinet, linguae litteraeque Graecae et Romanae, quae assidue semper colebantur, humanioris institutionis fundamenta manserunt. Accuratis grammaticae artis studiis illic primum ad perfectionem quandam evectis eruditorum virorum ingenia ad tractandas similiter alias linguas praeparatae et exercitatae sunt. Ab Hebraeae dialecti notitia primum ad Semiticas, tum paulatim ad aliorum gentium generum linguas, quae orientales nominabantur discendas et edocendas, transitum est, denique eo perventum, ut omnium orbis terrarum gentium linguas, et quae per litteras et quae sermone apud illas antiquitus tradebantur perscrutari opus necessarium videretur. Quam rem adjuvabant maxime, qui gentilibus laetum christianae fidei nuntium afferre studebant, et Romanocatholici et Evangelici. Prorsus novam vero faciem cuncta haec studia nostro demum seculo induerunt et ad longe majorem perfectionem, utilitatem, auctoritatem provecta sunt, quum ad illa excolenda comparativam quae dicitur methodum nostro seculo Guilelmus ab Humboldt et Franciscus Bopp adhibuissent eamque ad describendam Teutonicam linguarum familiam Jacobus Grimm, ad Romanensem Fridericus Diez accommodassent. Tunc disjectarum gentium originis vel cognationem vel diversitatem accurate cognoscere licuit, ipsius linguae humanae indoles mutatarumque ejus paulatim per longa aevi spatia formarum vicissitudines rectius atque altius perspectae sunt, etiam de vetustissima generis humani aetate ex singulis ejus vestigiis, veluti mythologicis, quippe quae simul in pluribus dispersarum gentium linguis supersint, res quaedam quae occultae eousque fuerunt, conjectura colligi aliquatenus potuerunt.

Itaque philologica studia novo connexa sunt vinculo cum historicis, et iisdem multiplici, qui interea factus erat progressu laete florentibus. Etenim ars historica, cujus immortalia exempla Graeci et Romani praebebant, pro recentiorum temporum ingenio quasi regenerari oportuerat. Et huic quidem rei efficiendae inserviebat ipsa illa antiquitas in succum et sanguinem magis magisque versa. Id ut fieret, praeiverant

humanistae, qui dicuntur, classicam antiquitatis linguam ad praesentes causas et disceptationes ingeniose accommodantes. Inter quos Erasmum, magnorum virorum vestigiis ingressum, longe omnibus antecelluisse vidimus. Quare eum prae ceteris recentiorum temporum ingenii praecursorem et ducem fuisse, insignes quidam scriptores Francogallici nuper praedicaverunt.[1] Illud ipsum nimirum recentiorum temporum ingenium, etiam ubi vulgaribus linguis loquebatur, praeter id, quod cujusque populi proprium erat, ubique classicae antiquitatis aliquid admixtum sibi habebat. Europaearum vero gentium aliae post alias ad summum excolendarum litterarum artiumque fastigium pervenerunt; aliae aliarum exemplis profecerunt; aliena imitando et illa et sua accuratius dignoscere didicerunt. Sic igitur progredientes simul in iis, quae in antiquitatis monumentis vere humaniora exhibentur, vitae habitae amplectendis et penetrandis progrediebantur.

Sic non mirum, quod hac ex parte Germani, quum varias propter causas postremi fastigium illud assequerentur, plus ceteris praestarent. Etiam classica Francogallicarum litterarum aetas magnam partem a Graecorum et Romanorum exemplo pendet, sed hoc a magnis poetis et scriptoribus Germanicis plenius ac verius comprehensum esse, nescio an quis nunc negaverit. Itaque simul vis quaedam humanae mentis propria aucta gradatim est, qua omnino aliena non tantum extrinsecus spectaret, sed cogitatione, sensu, affectu se ipsam in illa quasi transmittens, universum genus humanum tanquam a se non alienum amplecteretur ejusque unum ingenium in diversissimis formis, quas inter varias gentes variisque temporibus induit, agnoscere ubique assuesceret. Is immensi laboris in addiscenda aliena insumti fructus erat. Hoc spectans Herder non tantum eruditas omnium gentium litteras, sed etiam anonyma illa cantica popularia, quae viri docti plerumque despexerant, suo pretio habere nos docuit. Eo sensu Goethe senex nascentem oecumenicam litteraturam (ut hac voce uti liceat) juvenili ardore proclamavit, quod male quidam ita interpretati sunt, quasi singularium gentium proprietates oblitterandas esse censuisset. Id tantum ab iis postulat, quod a singulis Christianis apostolus, ut omnes se omnibus aliis, suos defectus completuris, carere non posse recordentur. Quare nostrates saepius laudat, quod artem aliena in nostrum sermonen vertendi tanto et ingenio et diligentia excoluerint,

---

1) D. Nisard; Gaston Feugère; D. de Laux, qui operi suo inscripsit: Erasme, précurseur et initiateur de l'esprit moderne.

ut exterae nationes ad omnes fere omnium terrarum ac temporum litteras, tum quod ad argumentum tum quod ad formam pertineat, aditum sibi discenda una lingua Germanica parare possint.

Hae omnes humanae culturae partes, quum ita procederent, suam quaeque vim exercuerunt ad efficiendam eam, quam supra significavimus, historicae cunctarum humanarum rerum contemplandae quasi regenerationem. Cujus proprium id quoque erat, ut rerum gestarum scriptores popularibus linguis uterentur. Praeclarissimis etiam in ea re exemplis praecesserunt ceteris gentibus Itali. Accessit et in confirmandis factis acrior, quam quae unquam in omnium usu fuerat, criticae artis severitas, et in conquirendis fontibus, velut inscriptionibus et varii generis monumentis, major permultorum inter se conjunctorum diligentia. Sic tot tamque diversae indolis hominibus inter plures gentes laborantibus, dum in tanta mole novi errores emergunt quidem sed, licet haud ita facile interdum, tamen facilius quam antea corriguntur, verior paulatim et certior humanarum rerum effigies exprimitur. Qua maxime in re illud, quod diximus, novi aevi ingenium conspicuum est. Quod quomodo in exhibenda historica rerum humanarum ratione nostris diebus praevaluerit, videre licet jam ex certis quibusdam sermonis formulis nostri temporis propriis. Id ut appareat, cum praeteriti seculi libris ii comparentur, qui ad idem historicae contemplationis genus pertinentes nostro seculo apud nos vel docte vel populariter compositi sunt. Quos libros si quis ante hos centum annos mortuus in vitam redux legere posset, miraretur sine dubio, quod in omnibus fere tot verba ab organicae vitae similitudine desumpta toties offenderet, qualia sunt processus, evolutio, reactio, alia innumera, quae eleganti veterum latinitate exprimi vix possunt. Adhiberi solent ejusmodi verba etiam ubi singulae vitae partes, quibus humanum ingenium se exserit, historica ratione spectantur, ut in artium, poeseos, juris, philosophiae, religionis historia. Neque id propter quorundam abusum vituperari fas est. Etiam in magnis ingeniorum motibus legum necessitas quaedam conspicitur, qua circumscribitur et limitatur quidem, sed non tollitur arbitrii libertas. Licet enim universarum gentium fata ex parte pendeant ab inevitabili causarum nexu, vel incorporearum, quas morales latiore sensu vocare licet, vel (id quod doctrina geographica altius sumpta exponitur) physicarum, tamen semper relinquitur aliquid mortalium libertati sive indoli ethicae. Quaecunque vero ea adjuvante gesta sunt, ea omnia etiam eadem adjuvante ab historiarum scriptoribus apprehenduntur, tractantur, explicantur neque

ita demonstrari possunt, ut legentium animis externa quadam necessitate ad assentiendum cogantur, sed eorum judicio morali submittenda sunt. Etenim res factae quidem etiam invitis et recusantibus evidentiae vi quasi obtrudi possunt, non vero de intimo animo, quo ab hominibus gerebantur, judicia. Habent etiam haec, si vera sunt, in se ipsis pervincendi tandem aliquando certitudinem, sed subito evelli ex multorum hominum animis alte infixa praejudicia et errores vix unquam possunt. Itaque historicae doctrinae gravitate quidem rerum et sublimitate praestant mathematicis et physicis, sed demonstrandi earum methodum vi necessitatis agentem assequi neque possunt neque debent. Hoc libertatis humanae mysterium, quae in mediis rebus necessitate quadam decurrentibus obtinet, idem summum universae historiae mysterium est.

Ceterum omnes, quibus scientia humana comprehenditur disciplinae etiam quae ad res physicas pertinent, summis quibusdam et quasi extremis quaestionibus finiuntur, quibus denuo semper humana mens detinetur, sive aliquatenus solvere eas nititur, sive disceptat cur solvi nequeant. Ejusmodi quaestiones ad rerum naturam pertinentes Alexander de Humboldt jam in libro Jobi propositas esse, in praesentia vero perfectius quidem doctrinae formulis posse exprimi, perfectius solvi non posse adnotat[1]. Praecipue vero ejusmodi quaestionibus philosophandi studium excitatur, ubi mens uno quasi obtutu res physicas et morales complecti studet. Quarum duplex utrarumque rerum ordo, diversis prorsus legibus constitutus, quod ad unam tamen universi mundi harmoniam congruere possit, id Kantius, hac ex parte Leibnitium secutus, summum divinae gubernationis mysterium esse significat. Plato utrumque illum rerum ordinem, et distinctum et conjunctum, doctrinae physicae et ethicae nomine complexus, addita dialectica totum et integrum philosophiae systema primus efformavit. Qua in divisione et compositione ethicen ut speculativam disciplinam historiae ut empiricae disciplinae respondere Schleiermacherus recte demonstravit. Nec minus egregie hic vir in theologia et philosophia aeque magnus id quoque exposuit, quo sanior in gentibus animorum eorumque culturae condicio sit, eo interiore vinculo scientiam empiricam et philosophicam inter se connexas esse, ita ut cum altera simul altera progrediatur et incrementa capiat. Quod, si in contemplandis brevioribus temporum spatiis subsistimus, falsum esse videtur, si magnum universae historiae decursum

1) Cf. Commentarius meus in librum Jobi.

spectamus, recte dictum esse intellegitur. Quare haud fortuito factum est, ut inter magnum illum, quem descripsimus, omnium doctrinarum artiumque profectum etiam philosophia, antea veterum traditioni plerumque subjecta, nova iterum et spontanea quidem initia caperet, qualia praeclaris Baconis, Cartesii, Kantii nominibus insigniri omnibus notum est. Tunc recentiores philosophi, novo et proprio cogitandi motu quasi suum, quo starent, locum nacti etiam de veteribus, inprimis Platone et Aristotele, rectius atque accuratius, quam antea factum erat, judicare coeperunt et quantum ab illis, licet non servili amplius ratione, discendum esset intellexerunt. Universa ipsius philosophiae historia non aliter, quam omnes aliae, ut vidimus, historicae pervestigationis partes, jam diligentius et altius, quam unquam antea fieri potuerat, excolebatur, largaque ita eruditis viris praebebatur materia eaque critice elaborata. Quam ob rem Victor Cousin dixit, philosophiae historiam Germanorum opera aliam prorsus et novam doctrinam factam esse. Id vero quum ipsis novis illis philosophandi initiis debeatur, summopere errant, qui totum nunc philosophi munus in critica philosophiae historia ponendum esse existimant. Quod esset philosophiam in mortuorum numero habere. Immo quo plenius ac largius omnes disciplinae empiricae excoluntur, eo minus vera eruditio philosophia carere potest. Quapropter in universitatibus nostris litterariis is ordo, qui omnium disciplinarum purae scientiae inservientium unitatem repraesentat, philosophorum ordinis nomine honoratur.

His omnibus, quae supra memorata sunt, brevi ostendere voluimus, quam late paulatim reipublicae litterariae officia patuerint. Eadem semper adhuc respublica est, cujus ab antiquarum litterarum cultoribus fundatae summus quondam dux Erasmus fuerat, cujus dilatandos fines Melanchthon ingeniose designaverat. Haec talis qualis est neque fieri, nisi inter christianas gentes, potuit, neque unquam, quatenus ex veritate sincere quaerenda pendet, extra christianismum, qui summa veritas est, laete progredi atque florere poterit. Neque tamen, in magna illa societate ab ecclesiae christianae fide et auctoritate proficiscendum est, sed a rerum natura et ab universis humani generis historiis. Haec ingens sciendi et cognoscendi materies est, ex qua quisquis pro suis viribus rite judicatis aliquid accurate religioseque pervestigandum sibi elegit, haud frustra laborat, sed et veritati et reipublicae litterariae, quippe cujus regnum sola veritate nitatur, proficit. Neque intruditur cuiquam, ut ejusdem civis sit, fides christiana, sed etiam in rebus ad religionem pertinentibus plena

datur libertas. Quae ubi denegatur, ipsius religionis puritas et sinceritas impediuntur; ubi conceditur, quamvis publicae salutis causa frivola rerum divinarum derisio jure prohibeatur, tamen ii hac fide amplecti adhuc non potuerunt, quominus dubitandi vel negandi argumenta sua serio proferant non arcentur. Quae argumenta ne in secreto tantum propagentur, sed ut palam exponantur et dijudicentur, ii maxime optare debent, quibus religionis christianae veritas certissima est. Haec enim sola quidem vitae religiosae experientia apprehenditur neque ut mathematicorum theoremata merae ratiocinationis vi demonstrari potest, verumtamen et superatis iterum iterumque adversariorum argumentis et manifestata cognatione sua cum omnibus, quaecunque in natura humana generosa et divina sunt, etiam rationi se probat.

Quare neque hujus causae timendum, neque nimis mirandum est, quod multi viri eruditi nunc etiam apertius, quam Erasmi tempore Ciceroniani, christianam religionem rejiciunt, multi non aliter, quam illa aetate Pomponatius cum suis, mox illam ruituram esse vaticinantur. Idem inde ab eo tempore, quo JulianusA postata fatidicorum suorum oracula implere sibi videbatur, frustra et praedictum est et praedicetur. Viri eruditi qui talia recoquunt, vel dum veri christianismi ignari sunt, ejus loco fictum quendam oppugnant (sicuti jam Tertullianus queritur novum semper idolum pro Christianorum Deo ab adversariis venditari), vel veritatis partem aliquam angustiorem, quam qua Christianismus comprehendi possit, pro tota veritate habent. Etenim (ut Leibnitii verbis utamur) sicut eadem urbs ex diversis locis spectata alia apparet et optice quasi multiplicatur, ita accidit, ut secundum differentia inter se puncta visus dentur quasi totidem differentia universa, quae tamen non sint his unius mundi scenographicae repraesentationes. Errant vero qui in uno innumerorum illorum punctorum consistentes, se solos universum sanis oculis intueri imaginantur. Hi singula quaedam vera utiliter inveniunt (nam de viris vere eruditis loquor, non de vaniloquis gloriosis), ad ipsam summam veritatem accedere nequeunt, sed cavernae illius Platonicae incolas imitantur, qui, dum paucas quasdam rerum umbras oculis comprehendunt, universitatem rerum comprehendere sibi videntur. Qui vero ampliore ingenio omnes quasi reipublicae litterariae provincias vel, quantum fieri potuit, ipsi permetiri, vel a permensis exquirere studuerunt, ii ut Erasmus et multo post Leibnitius, licet dubitationis non expertes fuerint, tamen magis magisque persuasum sibi habebant, nisi agnita unica et divina christianae revelationis in-

dole, universam humani generis historiam et idcirco etiam universam rerum naturam vere intelligi non posse. Sic tempore, quo praevalebat scepticismus, ipse Kantius Christianismum mirificam illam religionem nominat, philosophiae multas notiones praebentem, quae nisi ab illa praebitae ipsi philosophiae inveniendae fuissent. Inter has notiones variis scriptorum suorum locis de regni Dei notione loquitur, quod cum Leibnitio, ad hunc eum diserte refert, tanquam regnum gratiae a regno naturae distinguens ideam practice necessariam dicit, quoniam sine ea summa bona moralia sive fines bonorum ut ὄντως ὄντες sive vere exsistentes (quo verbo hic uti liceat) cogitari nequeant. Et profecto quo sincerius quis summa illa bona quaerit, eo minus in medio quasi chao vel oceano, cui tot diversissima studia similia esse videntur, certo illo et immobili polo carere potest, quem quidquid nobilissimum est in humana natura desiderat. Quare etiam David Strauss, a quo inter omnes gravissimos errores tale desiderium nunquam prorsus exstinctum erat, quum post toties mutatam sententiam, post iteratam animi fluctuationem denique in materialismo et atheismo acquiescendum esse sibi persuasisset, tamen idea illa regni divini, cui summa nostra studia inservirent, carere noluit. Qua confessione aliisque similibus se ipsum refellit et systema illud non satisfacere sibi invitus agnovit.[1] Non desunt igitur apud paganos nostros, quae apud suos Tertullianus invenit, ‚testimonia animae naturaliter christianae‘.

Facilior fortasse fides reddi illorum multis potuisset, nisi tam saepe Christiani religioni suae varia idola — verbo utar eadem quo Baco sensu — admiscuissent. Quibus remotis ut ecclesia reformetur, bonae litterae iterum, ut ante haec tria secula et quasi alta voce postulant et ut fieri possit auxilia offerunt. Sicuti illo aevo prolati humanae scientiae, immo ipsius quodammodo humanae naturae fines hominibus a Deo electis officium imposuerunt, ut spiritum christianum, viribus ad superandum mundum instructum, vinculis medii aevi, quibus vires illae impeditae fuerant, fortiter liberarent, sic nostra aetate, quum humanum ingenium insita vi et datis divinitus auxiliis longius iterum in cunctis doctrinis artibusque progressum sit, omnes Christiani tanti beneficii compotes facti niti debent, ut super uno posito illo fundamento, de quo loquitur apostolus, firmiter consistentes, quidquid debile atque pravum humana imbecillitas illi superstruxit, dejiciant,

1) Cf. Commentatio mea: David Strauss als Romantiker des Heidenthums.

quidquid vero cum illo congruit et concrescere potest, conservent atque confirment.

Quod in ecclesia Romana bonum superfuerat, id nuper, nova atque audaciori Curialium conjuratione facta Vaticanis decretis vel exstinctum vel durius quam unquam antea oppressum est. Iansenius, Febronius, Wessenberg, Hermes, Guenther jam ante condemnati fuerant. Nunc Vaticanis decretis etiam Bossuetus cum aliis magnis Gallicanae ecclesiae theologis, etiam Sailer, Baader, Moehler, denique omnes qui cum catholica pietate humaniorem doctrinam et nobilius veri studium conjuncta esse voluerunt, ex neócotholica ecclesia exclusi sunt. Similes illis viris, si manet qualis nunc est, nunquam in illa prodire poterunt.

Dicent fortasse Romanae Curiae asseclae, ipsos illos praeteriti temporis viros catholicos, Pontificiae tyrannidis aeque atque Cyprianus et Augustinus oppugnatores, si nunc resurgerent, Spiritu sancto per Vaticanum concilium loquente melius edoctos alios futuros esse. Quod qui contenderint, nisi forte aut prorsus leviter et inconsiderate id effutiverint, aut mira imprudentia et ignorantia laborent, se veritati andaciter illudere optime scient. Tale enim profecto fuit Concilium Vaticanum, ut magnos illos et egregios viros ne minime quidem removisset a sententia sua, sed summo dolore atque horrore eos implevisset. Qua de foeda Tridentinae synodi servitute praestantissimos ejus socios questos esse multo magis de Vaticano concilio praedicanda esse apparet, scilicet nihil Sancto spiritui cum illa commercii fuisse, sed totam eam pependisse ab humanis Curiae conciliis, quibus haec immodicam Pontificum dominationem, adjuta ingenti ficticiorum episcoporum numero, stabilire nisa fuisset; homines tractatos illic esse ut Daedali simulacra alienis nervis movenda. Etenim istud concilium si cum Tridentino confertur, hoc admirabili libertate usum esse videri potest. Quippe Tridenti inter eruditissimos theologos diversae sententiae plus semel serio discussae sunt; in Vaticano nil nisi fucata disceptationis species emicuit, tota synodus quasi praeparata magna machina erat, jubente papa praescriptos antea sonos edens; immo contra centum fere episcopos, qui tam indignae comoediae larvas se praebere noluerunt, minae ac fraudes tam largae ab ipso Papa adhibitae sunt, ut plures eorum famosae synodi illius Ephesinae, quae latronum conventus nominatur, recordarentur. Quae omnia, quod ad capita rerum pertinet, a Quirino et Friderico accurate descripta sunt. Confirmantur per Pomponium Letum, qui ipsius Vitelleschi Cardinalis diario uti poterat. Quare veritatem historicam obscurare

vel oblivione obruere frustra quidam student. Qui licet pro tempore miserae plebi suae persuaserint, summum flagitium esse vel hiscere contra Romam, quae locuta sit, semper denuo tamen experientia docebantur, Roma fortiorem esse conscientiam et evidentiam rerum.

Etenim etiam ii qui sincera mente pro fide Deo habenda quam plenissimam legitimis quos putant apostolorum successoribus oboedientiam praebere parati sunt, licet ad turpem illam Concilii servitudinem examinandam vel animus desit, vel vires non sufficiant, tamen ex ejusdem fructibus illam poterunt odorari. Novam quidem potestatem, quam in episcopos et ecclesias nationales Curia usurpavit, illi fortasse non animadvertent. Hominem peccatorem, ubi de cathedra loquatur, falli nescium subito fieri, pro credulitate sua plurimi fortasse serio sibi persuadebunt. Verum adulatio, quae Papae praestatur, hoc tempore ad tantam immanitatem progressam esse ostendimus,[1] ut fieri non possit, quin Concilium, quod istam decretis et toto ingenio suo confirmavit, in omnium religiosorum hominum suspicionem paulatim veniat. Quumque Pontifex summo imperio suo ecclesiastio, per idem Concilium illud ad summum fastigium provecto, ne minime quidem ad castigandas ubique blasphemas istas ineptias usus fuerit, omnes proinde, quicunque conscientiae vocem audiunt ac reverentur, illum non praeclarae cujusdam christianae veritatis praeconem sed erroris ministrum fuisse intellegent. Idque eo altius proborum et eruditorum animos penetrabit, quo clarius novis argumentis ad stabiliendum novum dogma opus erit. Quare desperata mente, quum vera argumenta inveniri non possent, ad stupendas sophisticae artis machinas ac fallacias confugerunt. Sic Manningus Cardinalis ad excusandam inauditam in doctrina publica novitatem praetexit alteram priorem novitatem Mariolatrici dogmatis, sedecim annis ante ecclesiae a solo Papa ad credendum impositi. Cujus definitionem spreta impudenter Sancti Bernardi, Sancti Thomae Aquinatis, aliorum auctoritate coram universo orbe factam Manningus irritam fore dixit neque quidquam auctoritatis atque potestatis habituram esse, nisi jam accederet altera dogmatis de infallibilitate papali novitas. Quod erat confiteri ad priorem fictionem tuendam altera fictione non minus audaci opus esse. Scilicet duplex veri contemptus simplici melior ac fortior habetur. Simul quam obliviosum saepe in gravissimis rebus mortalium vulgus esset iterum patuit. Etenim haud ita multo ante

1) Cf. Prioris partis cap. II.

fieri solitum erat, ut Protestantium calumniam esse contenderetur, si quis dixit, secundum Romanocatholicorum doctrinam Papam etiam sine concilio falli nescium esse. Quod qui dicebant, plurium dioecesium Germanicarum catechismis nitebantur, qui sententiam illam expressis verbis negaverant. Nunc subito semper illud communem ecclesiae traditionem fuisse, miserae plebi persuasum est. Viro erudito cuidam, qui huic mendacio veritatem historicam opposuerat, ipse Papa dicere ausus est: ‚Ego sum traditio'. Quod quidem verbum ab adversariis fictum esse nonnulli questi sunt, sed revera a Papa editum Pomponius Leto testatur. Non mirum quod nonnulli Vincentii Lirinensis regulam, fidem semper, ubique, ab omnibus creditam vindicantis; omittendam esse ingenue fatentur et novis revelationibus novas doctrinas, a scriptura sacra et ab antiquiore traditione alienissimas, dari posse in ecclesia Romana putant.

Hoc sane iis cunctis statuendum est, qui ut tantas publicae doctrinae mutationes tueantur, non verbis ludunt (id quod plurimi faciunt), sed argumenta serio quaerunt. Jam Tridenti quidem similes novitates introductae erant, sed vix tam protervae, vix tam incorrigibiles. Sic Bossueto, acerrimo immutatae, quam putabat, Romanae traditionis propugnatori, Leibnitius suo jure manifestam decreti illius Tridentini novationem objecit, quo apocryphi, qui dicuntur, Veteris Testamenti libri in canonicorum numerum relati sunt. Id enim factum est contra antiquitatis christianae et inprimis Sancti Hieronymi sententiam, quam eousque spectatissimi doctores, non tantum Erasmus, sed etiam Cajetanus Cardinalis aliique publice secuti erant quamque ad refellendam Patres Tridentini ne umbram quidem argumenti attulerunt. Verumtamen quum omnia scripta illa ‚pari pietatis affectu et reverentia suscipienda esse' declaravissent, sagacioribus quibusdam theologis catholicis salva illa reverentia prohibitum non esse videbatur, quominus, quod ad criticum judicium pertinet, discrimen quoddam inter libros canonicos et deuterocanonicos, quos dicebant, statuerent. Similem iidem reservare sibi soliti sunt libertatem in interpretando alio synodi decreto, quo Latinae Bibliorum versioni vulgatae ‚authentica' auctoritas attributa est. Sic nuperrime Curci, Pater Jesuita, iis qui in Scriptura Sacra sententiarum altitudinem et nexum perspicere vellent, ad Graecos et Hebraeos fontes recurrendum esse confessus est,[1]

1) Quando si vuole vedere il fondo sia dei concelti singoli, sia delle scambievoli loro attinenze nei luoghi paralleli, allora non si può fare a meno di ricorrere a quei due fonti originali: l' ebreo ed il greco.

neque eum hac audacia, sed altera, qua seculare regnum deponere consuluit, bilem Pio movisse constat. Novissima vero ipsius Pii dogmata liberaliorem ejusmodi interpretationem nullo modo patiuntur, quam qui tentaverunt, Aethiopis pellem se lavasse mox intelligent.

Papa ille, cudendorum novorum dogmatum, ut Concilii Vaticani actis demonstratur, cupidissimus, quo indoctior erat, eo facilius Scripturae Sacrae, antiquae ecclesiae, summorum doctorum auctoritate neglecta jugum suum permultorum Christianorum collis imposuit. Sanctus Bernardus canonicos quosdam Lugdunenses, qui primi emergens tunc commentum de Maria sine labe concepta ecclesiae inculcare conati erant, acerrime impugnaverat, commonens eos ‚uni servatam esse sancti praerogativam conceptus, qui omnes sanctificaret solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum.[1] Non minus sancta profecto indignatione idem Bernardus suae aetatis Pontifices esset prosecutus, si similiter atque Pius IX. divinas praerogativas vel sibi ipsis arrogassent, vel ab aliis attribui sibi passi essent. Homines nostrae ut suae aetatis, in nova dogmata ruentes his verbis interpellat: ‚Numquid Patribus doctiores aut devotiores estis? Periculose praesumitis quidquid in talibus ipsorum prudentia praeterivit.‘ Certo Pius IX. Patribus neque doctiorem neque devotiorem se credidit, sed miraculosa revelatione dignatum se prae illis esse somniavit. His somniis quae a pictoribus etiam in tabulis pingi voluit, fretus id quod Augustinus et Chrysostomus, quod Papa ille summi medii aevi doctores vel ignoraverant, vel ut errorem rejecerant, hodiernos ecclesiae Romanae cives sub aeternae damnationis poena credere jussit. Responderunt ei praeclari quidam viri, quod Petrus Cellensis fanatico cuidam monacho Anglo, contra Sanctum Bernardum ad acceptas revelationes provocanti respondit: ‚Evangelio, non somniis credo‘. Quibus vero auxiliis pro tempore vicerit somniator et quale imperium capessiverit, supra vidimus.

Multi igitur totum hunc Antichristianismum cum ipsa christiana religione, cujus nomine dominari in hominum animos conatur, praepostere confundunt. Quos haec una cum illo cum in Gallia et Hispania, tum in Italia, ubi corruptionis illius quasi thronus prope conspicitur, rejicere et contemnere vidimus. Non aliter jam Nicolaus Macchiavelli, Id saltem, inquit, nos Itali Romanae sedi debemus, quod sacrorum contemptores et atheistas nos reddidit. Cujus ingenium,

1) Ep. 174 ad Canonicos Lugdunenses.

etsi qui libros ejus sine singulari ipsius Papae permissu legerint, ex Clementis VIII. constitutione excommunicationis poenam incurrunt, tamen per Italiae fines tam late vagatur, ut quasi eo inspirante clarissimi quique in novi regni comitiis oratores loqui haud semel visi sint. Id de gravissimis maxime disceptationibus dixerim, quibus illic hujus seculi anni quinti et septuagesimi mense Majo ratio inter civitatem et ecclesiam servanda agitata est. Germaniam enim quodammodo commiserans Minervinus Italos nullam habere de religione quaestionem gloriatus est; se nosse qui serio ea inflammetur neminem vel inter viros sacrorum negligentissimos, vel inter orthodoxiae studiosissimos. Cui sententiae etiam se ipsos adhaerere, acerrime statim Victoris Immanuelis Ministri declaraverunt. Ex hic Minghettus, miram prae se ferens oblivionem cum Polybii de veteribus Romanis testimonii, tum christianorum martyrum et antiquorum et recentiorum, sui se populi historia edoctum esse affirmavit, nunquam illum rebus ad religionem pertinentibus valde affectum esse. Immo Bonghius, cui educandi et instituendi populi cura tunc a Rege commissa fuerat, hujuscemodi verba edere non dubitavit: ‚Fidem neque habemus neque desideramus; jam id ipsum quod invitamur ad credendum efficit ut credere nullo pacto possimus.[1] Non fide aliqua Romanam Curiam superabimus sed progrediente intellectu, qui, dum gravissimas quaestiones non perhorrescit, optimo quasi socio utitur magno illo animorum ad pervestigandas res instigatore scepticismo, quem tam injuste vituperare solent.‘

Verum tales viri Itali, quamquam ex parte nobili cognoscendae veritatis studio ardent, non aliter atque nostrates similiter sentientes inviti Curiae, quam oppugnant, administri sunt. Quum enim verum Christum cum regno suo ignorantes neglegunt, Pilati instar iis viam sternunt, qui coeco odio flagrantes iterum eum crucifigunt quique si imperio potirentur, omnia divina atque humana permiscentes, non tantum Lutetiam sed omnes magnas Europae urbes, non aliter quam quondam Judaeorum zelotae atque sicarii Hierosolyma a Romanis circumdata, sanguinibus, incendiis, ruinis implerent. Quod periculum multi perspicientes id, quod antichristianum in Romana Curia est, eo facilius praetermittunt, quo fortius illam certa quaedam humanarum rerum fundamenta tueri intellegunt. Alii vero, sincero animo in

1) Il solo domandarci di essere credenti ci rende impossibile il divenirlo. Cf. Witte in Hillebrand's ‚Italia‘ II 223.

christiana religione aeternam quandam veritatem tenentes, quam a scepticis illis ignorari ac despici vident, eo firmius Curiae adhaerent ejusque errores et abusus necessariam christianae religionis partem esse sibi persuadent. Itaque fit, ut gentes Neolatinae, id quod jam Erasmus de iis praedicavit, inter superstitiones et incredulitatem incerti haereant.

Non desunt tamen, qui utrique morbo occurrere studeant, non minus in Gallia, Hispania, Lusitania, quam in Italia. Etiam in Comitiorum consessu illo, de quo diximus, Tommasi Crudeli surrexit inter Romanam Curiam et catholicam ecclesiam distinguens et huic veritatem ac libertatem, quibus egeret, reddi postulans. Post eum Villari, Savanarolae vitae scriptor, quantum utilitatis sacerdotali tyrannidi rationalismus et scepticismus praeberent egregie exposuit et nisi pietatis desiderium, in civibus exoriens, saniore modo expleretur, timendum esse demonstravit, ne quando inter illos praeter Voltarianorum et clericalium dogmata nihil aliud daretur. Cui Bonghi quidem ironice, nescio quo jure respondens, In quemnam, inquit, credit Dominus Vasari? Et alius exclamans, Nos, ait, humanismi non reformationis filii sumus, quapropter frustra ad regenerationem religiosam vocabitis populum nostrum. Scilicet illi admirantur Ciceronianos istos, quos perstrinxit Erasmus, talium virorum obliti quales erant Picus de Mirandola, Michael Angelus Buonarotti, Aonius Palearius. Nihilominus saepius hodie et acrius, quam inde a reformationis seculo, inter Italos de religione cogitatur et disceptatur.[1] Et ad regenerationem illam hunc populum tot praeclarissimi viri vocant, ut, nisi se ipsum prorsus dedecorare et attenuare velit, perpetuo illos silentio dissimulare non possit. Ex quorum numero unum miri ac multiplicis ingenii virum, inter Italicae libertatis vindices insignem, ab universo populo suo jure celebratum, Maximum de Azeglio, memorare hic sufficit. Qui sacerdotes Romanos, quam parum ipsis fidei inesset, rebus gestis semper probasse ait; Voltarii levi potius dubitatione et acerba cavillatione delectatos eos esse. Tunc pergens, ‚Romae aspectus, ait, religionem inter Italos exstinxit. Nos vero et praeclarissimo veterum Romanorum, recentium Anglosaxonum exemplo et tristissima nostra ipsorum experientia docemur, sine religione ac fide nullum posse populum vel fortem esse vel bene gubernari. Unde efficitur ut Itali, donec firmum religionis fundamentum nacti fuerint, fortis natio futuri

1) Cf. Witte in ‚Italia‘ l. c.

non sint, sed viribus debiles, animo debiliores, ea, quae sua sunt, vere sua facere non possint.'

Quae omnia spem afferre poterant, talem Pontificem melius quam antecessorem grassantes incredulitatis causas perspecturum esse et ad obviam ei eundum rectiori via incessurum. Verum enimvero brevissimo tempore apparuit etiam hunc, quominus tam nobili muneri par sit vel assuetis jamdudum ipsi seni erroribus vel Curiae ingenio melioribus omnibus singulorum Paparum animis fortiore impediri. Immo quo acrius et sincerius ille postulat ut foedus ineatur inter christianam religionem ut omnia, quaecunque in liberaliori nostrae aetatis doctrina recta ac bona sint, eo magis quid ejusmodi foederi in Romanae ecclesiae indole obstet manifestum factum est. Haud parum multos aequalium obstupefecit, quum idem remedium, cui jam decessor ejus faverat, fortius adhiberet, pro auctoritate sua scilicet falli nescia omnibus Romanae ecclesiae ingeniis imperans, ut philosophiam Thomisticam pro verissima omniumque perfectissima acciperent et probarent. Qua in re cur doctus et ingeniosus Pontifex, quum consilium admodum laudabile intenderet, assequi id non potuerit, exponendum nobis est.

Caput VI.

Optime quidem id ille tenet, quod inde ab Augustino et Hieronymo summi quique Romanae ecclesiae doctores semper monuerunt, nimirum Christi ministris, ut munere recte fungantur, veritatem quaerentibus adsint, perniciosos errores refellant, opus esse praeter sinceram pietatem, qua deficiente miserrimi hypocritae essent, etiam multifaria doctrina eaque non tantum theologica, verum etiam cum litteratoria tum philosophica. Non fugit eum foedissima longe plurimorum sacerdotum suorum ignorantia, quam tollere eo difficilius est, quo magis inter eos, qui Romanae sedi fidem hodie servant, omnis pietas ad caecam erga superiores ecclesiasticos oboedientiam referri solet, exemplo egregio quod putant praeeuntibus ipsis episcopis. Ejusmodi servilem animum pigritiae parentem omnisque nobilioris doctrinae pestem esse apparet. Qui animus ubi viget, summa sapientiae laus in sollertia ponitur, qua res in examinibus, quae dicunt, decantandae imprimuntur memoriae, propria veri investigatio et perscrutatio periculosa habetur. Quapropter Papa probissimo studio episcopos hortatus est, ut clerum sana philosophia instituere impigro studio niterentur. Verum id ut facere possent, ipsos episcopos, quorum plurimorum ignorantiam in

Vaticano Concilio praesens animadverterat, instituendos aliquatenus esse putavit. Itaque in magna epistolae suae oecumenicae parte ad demonstrandum, quantum utilitatis jam priorum ecclesiae seculorum apologetis et Patribus philosophia attulerit, permulta nomina, exempla, dicta producit. Quae omnibus quidem melioribus notae adulescentibus, quicunque in Germanicis uuiversitatibus theologiae per aliquot annos operam dederunt, tritissima sunt, episcopis vero Romanocatholicis haud paucis teste ipso Papa non satis cognita. Laude profecto dignus est si fraterna caritate permotus scientiae defectum, quo illi laborant, explere studet.

Deinde discendam atque docendam iis proponit philosophiam Thomisticam: Quam etiam nos, etsi multa in ea improbamus, tamen magni facimus. Quum scholasticorum doctrina postremis medii aevi temporibus prorsus degenerasset et ad tuendos varios errores atque abusus adhiberetur, non mirum est, quod reformatores de ea justo durius interdum judicaverint. Nihilominus sic ut Erasmus etiam Lutherus rectiora in ea et saniora multa agnoscebat. Hoc animo inter initia sua Staupizio scripsit: ‚Ego scholasticos non clausis oculis lego, non rejicio omnia eorum, sed nec omnia probo.‘ Idem haud multo ante decessum in commentatione, quam de testamento David scripsit, eorum acre et subtile ingenium, ubi in veri definitione illud versaretur, sanum esse praedicavit. Similiter deinde qui evangelicam doctrinam dogmatice excolere studebant, de illis judicaverunt, definitiones ac distinctiones eorum largius interdum quam cautius in usum suum vertentes. Neque eos praeteriit, Thomam in quibusdam rebus propius quam multos alios ad puritatem fidei apostolicae accedere. Etenim ad constituendum theologiae systema a philosophico diversum unico sacrae scripturae fundamento utitur,[1] ‚causam Dei adversus Pelagium‘, ut cum Thoma Bradwardinate loquamur, fortiter egit, emergenti tunc novo dogmati de Maria sine labe concepta semper restitit. Ejusdem testimonia animae christianae naturaliter evangelicae a praeclarissimo viro Joanne Gerhardo allata esse adnotavimus. Immo Dorscheus amplissimum librum de Thoma Aquinate confessore evangelicae veritatis edidit.[2] Multo gravioris auctoritatis paulo post Leibnitii judicia erant. Qui saepius et Thomam summis laudibus effert, et omnino magna vetustiorum scholasticorum ingenia, licet vitia eorum

1) Summa theol. I q. 1 art. 1, ubi provocat ad 2 Tim. 3, 16.
2) Francofurti 1655.

bene perspexerit, tamen propter acumen, soliditatem, modestiam saepius praedicat et contra contemptionem, qua praesertim post Cartesium etiam inter Romanocatholicos illi afficiebantur, defendit. In majorem nihilominus despicientiam seculo decimo octavo illi venerunt, quum ubique fere doctissimi viri novas cognoscendi vias diversissima ratione quaererent. Nec tamen defuerunt inter Protestantes qui obtinenti opinioni obviam irent. Sic Semler, inter critices theologicae conditores celeberrimus, scholasticos ab iis contemni ait, qui ad exscribendos eorum libros uti illis non potuissent. Christophorus Doederlein, supernaturalismi, qui dicitur, contra rationalistas propugnator spectatissimus, se quoque horruisse aliquando illorum barbariem fatetur, postquam vero eorum scripta perlustraverit eo se deductum esse, ut eorum eruditionem, subtilitatem, ambigua discernendi studium, argumentorum copiam et perspicuitatem atque tractationis ordinem admiratus, magnorum atque ingeniosorum hominum elogio per injuriam eos defraudari sibi persuaserit. Eodem fere tempore Tennemann, Kantii discipulus, quum universam philosophiae historiam critice exponeret, duo magni operis volumina in accuratam scholasticorum systematum descriptionem insumpsit. In quibus pervestigandis aeque post illum ii omnes fere Germanici scriptores laboraverunt, quorum industria et acumine Victor Cousin factum esse significat, ut philosophiae historia nova prorsus et summi momenti disciplina evaserit. Neque defuerunt vel apud nos vel apud Francogallos, qui inquirendae singillatim medii aevi philosophiae operam darent. Denique horum omnium laboribus diligentissime usi praetantissimi historiae ecclesiasticae scriptores Germanici nisi sunt, ut etiam scholasticorum philosophiam ac theologiam earumque mutuum inter se connexum et recte comprehenderent et juste dijudicarent. Quibus viam praeivit vir etiam adversariis reverendus, simplici et alta pietate christiana, incorrupto veri studio, ingenio ad investigandam interioris hominum indolis historiam aptissimo insignis, Augustus Neander. Is quoque Aquinatem inter summos ponit post Augustinum ecclesiae doctores, qui adhibitis sui quisque temporis ad excolendum intellectum praesidiis in divinae revelationis mysteria quam altissime penetrare et christianae doctrinae cum omni humana scientia concordiam demonstrare studuerint.

Quem Thomam si Pontifex eodem sensu ecclesiis sibi subditis ut exemplar proposuisset, non vituperationem, sed laudem profecto meruisset. Atqui philosophiam Thomisticam ut nostro quoque tempori perfecte satisfacientem doceri in scholis et explicari jussit.

Quod simile est ac si quis opticam disciplinam secundum immortales Newtoni libros in universitatibus nostris tradi voluerit. Intellegimus quidem, quomodo in tam singulare consilium tamque alienum a prudentissimi cujusque hominis mente ille lapsus sit. Quum enim magna pars aequalium omnem philosophiam despectui habeant, ipsi vero philosophi in diversissimas sectas discedant, ecclesiae valde expetendum et optabile esse videtur, ut in clericorum institutione certum quoddam systema sibique probatum tot diversis opinionibus opponere possit. Verum non congruit semper cum ejusmodi piis desideriis divina voluntas, quare id, quod Curia novo auctoritatis suae abusu temere recens tentavit, neque apud prudentiores aequales neque apud posteros excusabitur. Illius enim abusus injuriam etiam inter Romanocatholicos omnes ii magis magisque perspicient, quicunque impositum sibi intellectus sacrificium non tantum esse debere existimant, ut omnis veritas historica et logica deridenda sibi et explodenda sit.

Thomae ut aliorum scholasticorum systematis fundamentum philosophiam peripateticam fuisse constat. Ad quam tunc excitato ubivis cognoscendae naturae rerum desiderio, ut ad optimum hujus negotii instrumentum, omnes et Muhammedani, et Judaei, et Christiani quasi necessitate quadam historica ferebantur. Quare Curia, quum initio suspiciose eam repulisset et condemasset, quoniam tunc decreta sua irrevocabilia esse non putavit, mox ejus patrona exstitit. Retinebantur quidem, partim variata a Neoplatonicis placita quaedam Platonis, quem quondam etiam Peripateticorum clarissimi ‚principem philosophorum‘ agnoverant[1] quemque in eodem honore ac pretio habere usque ad id tempus omnes fere consueverant quicunque Sanctum Augustinum secuti in ecclesia occidentali ejusmodi studiis se dabant. Sed nunc longe potiore auctoritate Aristoteles dominabatur, simplici philosophi nomine laudatus. Interpretandis hujus operibus, quae latine tantum legebantur eaque magnam partem ex arabica lingua admodum imperfecte translata, etiam apud Thomam tota paene continebatur philosophia. Summa quidem laude dignus est, quod sagaciter saepius, eximii magistri Alberti Magni vestigia premens, philosophi sententias ab interpretibus obscuratas recte divinaverit, et ingeniose partim, vel correxerit vel longius produxerit. Nihilominus Aristoteles ab eo, qui Graecas litteras non scivit, plene intellegi non potuit, et quantumvis

1) Cicero de fin. bon. et mal. III, 7; Cf. Acad. II, 135. de leg. I, 53; Brut. 120.

in iis, quae ipse Thomas addidit, praeclara nonnulla admiremur, tamen non sunt ejusmodi omnia, ut correctione non egeant. Duns Scotus pro magno et subtili ingenio, quo ad critice discernendas res non quidem historicas sed dialecticas maxime valuit, haud paucas Thomae sententias recte impugnavit. Sic personalis individui proprietatem sive principium individuationis, quod dicebatur, altius perspexit; id quod in Aquinatis doctrina de Deo, ex Aristotele et Pseudo-Areopagita Neoplatonico hausta, cum christiana non congruere viderat, emendare studuit, quumque ille antiquorum philosophos sectatus et Dei et hominis perfectionem ac beatitatem in solo intellectu poneret, ipse neglectam aliquatenus ab illo voluntatis et libertatis dignitatem suo jure vindicavit. Sed ut fieri solet, in contrarios errores delapsus est. Dei libertatem ut merum arbitrium descripsit a quavis aeterna intellectus lege alienum, in vindicanda humanae naturae praestantia Semipelagianismum non evitavit. De hujusmodi gravissimis quaestionibus et de aliis levioribus, partim ineptissimis satis diu digladiabantur inter se Thomistae et Scotistae, Dominicani et Franciscani, deinde aliae diversae scholasticorum partes, modo haud contemnendo ingenii acumine, modo, quum quaevis factio mordicus falsa simul cum veris teneret, sophisticis argutiis barbariem quandam haud raro redolentibus. Itaque eadem ratione, qua ubique historia quasi summa criticae artis magistra, magnorum systematum humanorum judicium exercet, scholasticae philosophiae ac theologiae imperium, quum jamdudum a mysticorum qui vocantur plurimis oppugnatum esset, exeunte medio aevo dissolutum est. Quod quam egregie Erasmus perspexerit et explicaverit, supra memoravimus. Seculo XV. omnes fere viri, proprio aliquo ad investigandum verum ingenio eximii, ut Nicolaus Cusanus et Raimundus de Sabunde, novas philosophandi vias ingredi conati sunt. Inserviebat talibus studiis ipsa purior quae vocabatur philosophia Aristotelica ex Graecis fontibus hausta. Ex iisdem divinum Platonis ingenium amplius et accuratius cognitum novam vim exercere coepit. Quemadmodum recentioribus temporibus disciplinae physicae et historicae ad tentandum etiam in philosophia novi aliquid clarissimos viros excitaverint supra indicavimus. Inde exortis tempestatibus multorum hominum animi etiamnunc moventur. Quas qui evitaturi, quasi sexcentorum annorum motus non exstitissent, ad Sanctum Thomam confugiendum esse proclamant, somniantium similes esse videntur. Fortasse majores quam putant tempestates ipsi movent. Pridem Romana Curia, quod ad disceptationes philosophicas pertinet, licet imperii

scholarum semper cupidissima, tamen cautam in universum et prudentem se gessit. Ne in Tridentino quidem Concilio Thomistarum et Scotistarum controversiam dirimere ausa est, etsi illic, id quod Leo XIII. summopere laudat, cum Scriptura Sacra Thomae Summa et inter canonici juris scripta Pseudo-Isidori quoque decretalia super altari posita erant. Nuper crevit curiae audacia in cudendis novis dogmatis et sententiarum theologicarum syllabis. Et tamen ipse Leo XIII. ,In iis, inquit, quae percipere humana intelligentia naturaliter potest, aequum plane est, sua methodo, suisque principiis et argumentis uti philosophiam.' Num igitur subito falli nescius etiam in philosophia factum se esse putat, ut seculorum disceptationes paucis lineis dirimere se posse imaginetur? Forsitan, si longiorem ei vitam Deus donaverit, aliquando, ut lunaticus in tecti culmine ambulans somnio exterritus ex magnis ansis excidet.

At dicet quispiam, non demi philosophis a Papa omnem corrigendae Thomisticae philosophiae facultatem, quippe qui mira quidem modestia sed satis clare significet, Angelicum doctorem falli nescium habendum non esse. Et revera, ubi episcopos enixe adhortatur, ut auream Thomae sapientiam restituant et quam latissime propagent, haec addit verba: ,Sapientiam Sancti Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi.' Quae a Leone non ita quidem dicta sunt, ut ipse Thomas ex errantium scholasticorum numero excipi videatur. Verumtamen levissimos tantum naevos in eo agnoscit. Quae a nobilissimis tot seculorum ingeniis contra scholasticos eorumque principem recte monita et ad monstrandas novas ex parte ac certiores scientiae humanae vias proposita sunt, ea omnia Papa vel ignorare vel despicere videtur. Alioquin etiam praeclarissimam medii aevi philosophiam nullo pacto instaurari simpliciter posse sciret. Neque dixisset, ,rationem ad humanum fastigium Thomae pennis evectam jam fere nequire sublimius assurgere.' Ipse papa in veterum Thomisticorum qui jampridem plus quam humana de magistri sui sententiis praedicabant, castra pedibus transit. Quam causam priores Pontifices, quum nimiam illius laudem a Scotistis oppugnari sinerent caute non diremerunt, ipse sicut Pius IX. litem de dogmate Marianam per tot secula agitatam, subito dirimere ausus est. Mirum profecto est, quod in idolo tam splendido naevos illos vel minimos

conspexerit. Et magis mirandum, quod ut hos naevos orbi posthac indicaret, Thomisticae cuidam academiae, quam Romae instituturus erat, reliquerit. Cujus futuri sodales, si acumine et ingenio pollent, fortasse Thomae philosophiam majore, quam Papa credidit, morbo laborare ostendent. Cur igitur Leo naevos illos, quos ipse adhaerere Thomae concessit, accuratius non definivit? Optima occasio ipsi dabatur, qua divinitus vocatum etiam philosophiae doctorem admiranti mundo se praeberet.

Id si posteri in epistola ejus philosophica jure desiderare poterunt, alia quaedam superflua minus prudenter inserta illi esse censebunt. Referta nimirum illa est variis Thomisticae doctrinae encomiis, quae etiam benevolis lectoribus, dummodo attente verba consideraverint, et talium laudum relatorem, et rem laudatam in suspicionem adducant necesse est. Cujus rei exempla quaedam afferam. Summopere laudat Papa plures Ordinum religiosorum conditores et legiferos, quod jusserint sodales suos Thomisticis doctrinis haerere et caverint, ne cui liceret vel minimum ab illis discedere. Omittit inter Franciscanos cautum esse, ne quis a Duns Scoti placitis, Thomae oppositis, vel paululum deflecteret. Quod Curia tam graves opinionum diversitates olim tolerabat, laudabile erat; quod illa non impediebat, quominus diversae opiniones in diversis Ordinibus monasticae disciplinae et oboedientiae pars essent, vituperatione dignissimum. Leoni XIII. Pontifici vero stultum esse videtur, si quis sine conscientiae libertate veram veri cognitionem non dari contendit; nihil laude dignius censet quam si Thomisticae sententiae, quippe quae ipsi arrideant, Pontificii regiminis pars fiant. Quare tot Thomae elogiorum, veluti cumulum ex seculo quarto et decimo Innocentii judicium affert, qui hujus doctrinam prae ceteris, ‚excepta canonica', verissimam esse ait, ita ut nunquam, qui eam tenuerint, inveniantur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit semper fuerit de veritate suspectus.' Nonne videt Papa, se hujus praedecessoris censuram incurrere, quum ipse naevos quosdam in Thomae doctrina agnoscat? Num fugit eum inconsiderantia, qua inter antedecessores suos summopere reprehendendos eos declarat, qui contra latam Innocentii illius sententiam Scotistis, ut divum Aquinatem impugnarent, permiserunt? Sed ipse contradictionis principium, quod ajunt, etiam aliis epistolae encyclicae locis haud satis ponderasse mihi videtur.

Talibus vero delictis logicis turpior epistolae illius macula id est, quod scriptor ex squalido quodam fonte nimis festinanter ac leviter

haustum ita proposuit, ud inde falsa de Protestantibus opinio in turbidum et indoctum episcoporum suorum vulgus redundaret. Quod ut appareat totum locum hic exscribam. Ibi postquam Papa salutem ecclesiae in Thomistica doctrina positam tot testimoniis monachorum, academiarum, Pontificum, Conciliorum confirmasse sibi visus est, laudationum cumulum in huncce modum facit: ‚Postremo haec quoque palma viro incomparabili reservata videbatur, ut ab ipsis catholici nominis adversariis obsequia, praeconia, admirationem extorqueret. Nam exploratum est, inter haereticarum factionum duces non defuisse, qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomae Aquinatis, se facile posse cum omnibus catholicis doctoribus subire certamen et vincere et ecclesiam dissipare. Inanis quidem spes, sed testimonium non inane‘.

Non divinabat Papa, quam inane ipse his verborum ampullis testimonium ederet. Cujus rei tam singulare quam certum iudicium inscius ipse adjicit. Ad verba enim illa, qualia ab haereticorum ducibus dicta esse contendit, ‚se facile posse cum omnibus catholicis doctoribus subire certamen‘ etc., in margine duo nomina adscribit lineola inter se conjuncta: ‚Beza-Bucerus‘, quae legentes multos indoctos sacerdotes pro unius viri nomine habituros esse crediderim. Quomodo ipse Leo paucissima verba illa eadem ab utroque viro prodiisse serio putet difficile dictu est, certissimum vero, verba illa neque a Beza neque a Bucero, quippe qui ecclesiam non dissipare sed restituere voluerint, dicta unquam esse. Jubeat ministros et servos suos omnia Bezae et Buceri scripta evolvere et perquirere, ea quae illic dicta esse affirmavit nunquam invenient. Itaque biceps ille ‚Beza-Bucerus‘, cui unum idemque verbum attribuitur, merus mythus est, quem Leo pro historiae ignorantia qua laborat specimen historicum esse putat. Ceterum non recens eum fictum existimo, sed ex commentorum ejusmodi promptuariis, quibus Romana ecclesia abundat, praepostere ab illo et infeliciter depromptum. Infeliciter dico, quia inscius non tantum nebulonis cujusdam vetus mendacium velut recoxit, verum ita simul falsissimam insulsissimamque indoctis episcopis suis opinionem injecit, quasi talis qualem ridicule depingit omnino esset in judicando Thoma Protestantium ratio, quam prorsus aliam semper fuisse supra demonstravimus. Quae omnia Christiano et Christianorum doctore indignissima evitasset, dummodo, quae ad universum orbem Romanocatholicum scripturus erat, accuratius antea et religiosius ponderasset.

Sed id si fecisset totam epistolam ejus prorsus aliam futuram fuisse arbitror. De universa philosophia Aristotelico-Thomistica cautius judicasset, ad emendandam cleri sui institutionem alias res magis necessarias esse intellexisset. Ut in philosophia illa (id quod necesse esse ipse non ignorat) vera et falsa discernerentur, in ecclesia Romana veri amor resuscitandus erat, qui quam misere illic jaceat, ipse encyclica sua quasi ad oculos demonstrat. Is vero in scholastico philosophiae et theologiae systemate subsistere non debet, sed ascendendum ei est ad ipsos primarios fontes theologiae, monumenta divinae revelationis, sacras litteras, quas etiam Innocentius VI., Paparum in laudando Thoma immoderatissimus, illius scriptis non potuit non anteponere. Quas qui penitus non didicerit, nunquam profecto examinare poterit, ubinam rectius an minus recte Thomas philosophica studia ad theologica accommodaverit et utriusque doctrinae limites definiverit. Quare si quis clericorum Romanocatholicorum institutionem vere emendari velit, prae ceteris providendum ei est, ut sacrorum bibliorum in linguis principalibus rite interpretandorum studium, tamdiu ubique fere foedissime neglectum, reflorescat. Neque minus curae adhibendum est in docenda sincera ecclesiae ejusque dogmatum historia, ne denuo semper veritatis loco fabulae ac mendacia ista repullulent, quibus magnus quondam Aquinas decipiebatur quaeque, quum jamdudum a viris eruditis detecta essent, nihilominus a posterioribus scholasticis, inprimis Jesuitis, ut Bellarmino, Suarez aliisque, mordicus tenebantur. Eo libentius Curia beneficiis et honoribus eos cumulavit, qui talium commentorum sibi utilium patroni exstiterunt. Postquam ipsius Romanae ecclesiae viri celeberrimi demonstratam a centuriatoribus Magdeburgicis Pseudo-Isidori fraudem agnoverant, etiam Bossueti aetate Aguirre Hispanus propter defensam illius fidem Cardinalis creatus est. Seculo demum post Pius VI. decretalia illa, quibus Thomas et tot alii sancti viri confisi fuerunt, falsa esse confessus est.[1] Petrum apostolum per XXV annos Romae episcopum et papam fuisse et utramque dignitatem successoribus suis reliquisse ac multa alia similia etiamnum credulo gregi narrantur. Ineptissimae miraculorum quorundam narrationes, quae sacerdotum imperium fulcire videntur, denuo semper traduntur, manifesta multorum Pontificum scelera vel celantur, vel impudenter excusantur, de ecclesiae reformatoribus nefandae fabulae assidue excogitantur, sparguntur, exagitantur. Quae dum fiunt, frustra

1) Cf. Janus p. 424 ss.

sperabitur fore ut scholastica eruditione clericis Romani amissam apud homines historiae gnaros dignitatem recuperent, quod ut recta via denique efficiatur nos illis ut Christiani Christianis maxime optamus.

Fortior quidem etiam illic historica veritas est, quam ut radicitus exstirpetur. Inter ipsos Jesuitas, qui semper fere hucusque acerrimi fraudum istarum patroni fuerunt, Regnon Parisiensis audax nuper de Pseudo-Isidoro judicium tulit. ‚Quamvis falsarius', inquit, ‚id quod voluit assecutus ecclesiae disciplinam mutaverit, serpentem ruinam non retardavit; quin immo, quia Deus non benedicit fraudi, falsa decretalia nihil nisi malum genuerunt.' Sed tales animorum motus a Curia neque laudantur neque adjuvantur. Pio IX. odio fuerunt. Neque ab eo Leo XIII. hac in re multum differre videtur. Quanto nobilius opus suscepisset, si congregationis Thomisticae loco aliam constituisset, quae istiusmodi fabulas ac mendacia, praesertim quae in libris ad erudiendos clericos usitatis obvias et in lectitando ab omnibus sacerdotibus breviario reperiuntur, inquirerent et tollerent. Quot talibus maculis solae Perronis praelectiones theologicae innumeris exemplaribus per orbem Romanum sparsae squaleant, non ignorabit quisquis novem earum volumina vel inspicere apertis oculis et passim accuratius examinare voluerit. Ubi Jesuita ille scholasticas opiniones vel defendit, vel refutat, quamquam ne scintillulam quidem excelsioris et nobilioris ingenii invenies, tamen non contemnendam diligentiam et disserendi exercitationem deteges; ubicunque vero de historica veritate, inprimis ad ecclesiae corruptionem et reformationem attinente agitur, nescias utrum hominis ignorantiam, levitatem, stupiditatem, an furiosam odii caecitatem magis admireris. Sic postquam Lutherum ut monstrum quoddam horribile depinxit, quippe qui, proclamato protestantismi principio totum religionis christianae aedificium labefactare coepisset, ingeniose ut sibi quidem videtur, pergens verba ille nuper a Justo Jacobi explorata effudit, quae hic quoque repetere placet: ‚Ex eodem protestantismi destructivo principio velut ex equo Trojano plures statim proinde sacrorum emendatores prosilierunt, Zwinglius in Helvetia, Calvinus in Galliis, Carolostadius in Germania, Munsterus in Westphalia'.[1] Mirum est quam ridicula ex paucis his verbis prodeat temporum, locorum, personarum confusio. Carolostadium post Calvinum ponit, Westphaliam extra Germaniam. Licet Germanicae linguae gnarus, ignorat Münster Germanicum nomen Monasterii urbis

1) Prael. theol. tom. I pars II, § 220.

Westphalicae esse. Inde nescio quo somnio deceptus novum creat sacrorum emendatorem, ‚Munsterum in Westphalia', eumque valde magnum, scilicet cum Carolostadio majorem Melanchthone, utpote quem inter viros ex equo isto Trojano prosilientes nominare non dignetur. Non mirum, quod qui talia praestare valuit, de similibus rebus et alibi simili levitate et inscitia judicet. Pauca hic adjicere sat est. Concedit quidem, multos fuisse abusus in ecclesia, sed contra manifestissima historiae documenta, quae ignorare non potuit, contra notissima ipsorum posteriorum quorundam Pontificum et meliorum Curiae sodalium testimonia (quae in priore hujus commentationis parte memoravimus) perfricto ore contendit, abusus illos eo, quo Lutherus surrexit tempore, vel jam sublatos vel in diem magis diminui coeptos esse, quare eos praetextos tantum esse a perversis hominibus, ‚ut libertatem carnis proclamarent et novam sectam conderent.[1] Ex corruptis suis fontibus de Luthero ineptissimas quasdam veteres fabulas et mendacia iterum depromere non dubitat, quae in Germania etiam acerrimos illius adversarios, si forte sordidissimos quosdam excipias, repetere nunc pudet. Etenim projectum eum fuisse in omnem libidinem et primum ‚ortum suum habuisse protestantismum ex aemulatione privata ordinis, cui Lutherus nomen dedisset, quoniam Papa indulgentias dispensandas Dominicanis, non Augustinianis concessisset.' Odio nimis occaecutus est Perrone, quam ut nobiliores agendi causas in illo comprehendere possit et parum christiani animi quam ut vel officium recordetur veri etiam de adversariis dicendi.

Non decrant nostra memoria ejusmodi christiani animi homines ecclesiae Romanae. Qui inter acerrimos ejus propugnatores numeratur, Josephus Goerres, dixit quondam: ‚Omnes in patribus nostris peccavimus, et nos et illi; cujus rei eos minime decet oblivisci, qui Dei filios se esse putant.' Spectatissimi Germaniae episcopi, Sailer, Wessenberg, Diepenbrock cum piis Protestantibus christiana consuetudine et amicitia conjuncti erant; quod ubicunque fit, etiam in reformatoribus aliquid sincerae pietatis fuisse conceditur. Eodem animo in ipso Vaticano Concilio unus saltem episcopus publice loqui ausus est, non timens furientis multitudinis strepitum. Quum enim Papae nomine propositum esset decernere, varia ‚opinionum monstra', mythismum, rationalismum, indifferentismum, naturalismum, pantheismum, materia-

1) Sic Perrone loquitur et ad vulgus Italo sermone: Catechismo intorno al Protestantismo etc. Milano 1855 p. 10.

lismum, atheismum foetus esse protestantismi et impia hujusmodi peste impune grassante, etiam catholicae ecclesiae filios infectos esse, episcopus Bosniensis, Strofsmayer, ejusmodi verba ut caritati ita veritati congrua non esse allatis magnis historiae testimoniis demonstravit; ad Protestantes Augustini verba applicari voluit, ,errant, sed bona fide errant'; cum opinionum monstris illis non minus fortiter eos quam Catholicos dimicasse; pro iis, quae Leibnitius et Guizot contra errores illos scripserint, his etiam a Catholicis gratias agendas esse.[1] Tunc ingens Patrum tumultus exortus est: eruperunt minitantium voces et gestus; Praeses Cardinalis clamitavit: Hicce non locus est laudandi Protestantes. Pio IX. tunc, secuti ejus assentatoribus, valde ille displicuit; postea ne ipse quidem immaculatae conscientiae honorem servavit, sed Slavismi fovendi pretio vendidit; nihilominus verbis illis, quas in Concilio locutus est, apud integros historiae scriptores, etiam catholicos, laus sua manelat.

Quam laudem si ipse jam Leo XIII. ei impertiisset, si decessoris injurias et inveteratum Curiae fanatismum corrigens sinceriores Christianos et ipsum Christum secutus justius et mitius de errantibus quos putat judicasset, praeclarum profecto et unicum orbi Romano exemplum daturus fuisset. Non tantum paci mundi Christiani sed etiam veritati, si quid ejus possidere sibi videtur, quod a Protestantibus abesse opinatur, optime ita inserviisset. Et confitendo id, quod verum est, nimirum multos praedecessores suos flagitiis suis ad efficienda schismata plurimum contulisse, primatus auctoritatem, si revera, ut putat, ad servandam ecclesiae unitatem a Deo data ei esset, rectius tueretur quam neglegens veritatem, cui soli Deum benedicere cum Regnone agnoscet. Nunc vero iterum iterumque ita loquitur, quasi omnes praedecessores sui christianam veritatem et bonas litteras impense coluissent. Cum tumultuantibus istis patribus omnem vult culpam grassantis nostro tempore incredulitatis in Protestantes rejicere. Sic enim episcopis suis inscripsit: ,Probe nostis, infensissimum bellum, quod in catholicam fidem inde a seculo XVI. a novatoribus commotum est et quam maxime in dies hucusque invaluit, eo tendere, ut, omni revelatione submota et quolibet supernaturali ordine subverso, solius rationis inventis seu potius deliramentis aditus pateat'.[2] Nimirum aut

1) Lord Acton, Zur Geschichte des Vaticanischen Conciles p. 88. Quirinus, Briefe etc. p. 296 s.

2) Epist. encycl. d. XXVIII m. Dei. a. MDCCCLXXVIII.

nescit aut se nescire simulat Leo, Erasmo multisque ejusque aequalibus testibus, tunc temporis non Vitebergam sed Romam et Italiam sedem primariam fuisse novi cujusdam paganismi, qui ‚omnem revelationem submovit et quemlibet supernaturalem ordinem subvertit.' Sic vero Papa, a quo meliora permulti exspectabant, neglecti veri poenam dat, quum ab indoctis assentatoribus talia sibi deliramenta suppeditari patitur, quale bicipitem illum Bezam-Bucerum fuisse ostendimus. Quo invento similiter atque Perronius Munstero suo reformatore Westphalico multos adhuc viros eruditos etiam catholicos obstupefaciet. Nimis secure scilicet ejus vestigia premit, a quo Cardinalis factus est. Pius IX. enim, quem tot tantisque laudibus effert, incredibili credulitate et voluptate quasvis fabulas et ineptias amplectebatur, quae odio suo adversus omnes omnipotentiae papalis adversarios blandiri poterant.

Quare ejusmodi rebus referti innumeri libri illo favente Romae publicati sunt iique plurimi ad vulgi captum accommodati. Quorum omnium indolem ex parvo, quem teneo, libello, Italica lingua scripto, judicare licet. Ejus anni fastos exhibet, quo Victor Emanuel regnum Italiae capissivit, dum Pontifex sub Francogallici exercitus tutela Romam et patrimonium Petri, quod dicebatur, adhuc retinebat. Propterea ‚verus amicus' ille (hoc enim nomine libellus insignitus est)[1] vehementer timet, ne Papa mundani regni reliquias perdat neve Waldenses, quos Papae per secula sanguinario furore persecuti erant, jam data conscientiae libertate, evangelium per Italiam spargant. Cui periculo obviam iturus de protestantismo ejusque auctoribus et asseclis inauditas fabulas coacervat, quas si legeris nescies, utrum scriptoris hypocrisin pharisaicam, piis verbis abutentem, an ignorantiam et stultitiam, vesaniam magis mireris.

Ex ista magna mole pauca dumtaxat hic depromam. Elisabetham Angliae reginam narrat scriptor habuisse octo maritos et octo concubinos; addit alio loco, sedecimo regni anno legem ab ea publicatam esse, qua omnibus filiis suis nothis, quicunque eorum pater fuisset, jus successionis tribueretur. Simul oblitus octo maritorum, quos antea finxerat, reginam virginem ironice eam vocat.[2] De Melanchthone idem profert mendacium, quod nuperrime Madriti in ephe-

1) Il vero amico, almanacco Romano per l'anno 1861. Roma, dalla tipografia forense.

2) In libro laudato p. 35. 67.

meride repetitum, sed statim a Protestantibus, etiam illic nunc praesentibus, refutatum est. Nimirum respondisse illum matri moriturae, quum de fide eum quaesiisset, novam fidem commodiorem esse, veterem securiorem.[1] Feracissimus est mythorum de Luthuro ementitorum. Totam ineptiam suam et virulentum odium effundit in verba et colloquia, quae illi affingit. Sic cum confessum esse affirmat, sibi persuasum esse a Satana ut missam aboleret; quare non mirum esse, quod protestantismus sit satanicus, sed mirum quod etiam in Italia quidam satis animosi sint ad se dandos Protestantismo.[2] De decessu ejus, quem Eislebii post pie confectam Principum fratrum concordiam piissimum et in pace Dei factum esse constat, haec narrat verus ille Pii IX. amicus: ‚Lutherus postquam diem inter mala et scurrilia colloquia peregit, sequente nocte mortuus est, neque constat, utrum bibendo suffocatus, an suis manibus; quae mors eo digna erat‘.[3]

Ad mendacia de Lutheri obitu quam foedissima excogitanda venenatum Papistarum ingenium semper feracissimum erat. Cujus rei exemplum jam quum ille adhuc superstes esset in libello quodam italica lingua scripto longeque sparso exstitit. Quod apud nos satis notum extraneorum causa afferam. Narratur illic tanquam ex litteris legati Regis Galliae haustum, Lutherum periculose aegrotantem Sacramentum eucharisticum desiderasse eoque accepto statim decessisse; rogasse autem morientem, ut corpus suum altari impositum divino cultu adoraretur. Quum vero neglecto uti par erat isto mandato, cadaver ejus in sepulcro conderetur, excitatam esse tantam in aëre tempestatem, ut rerum naturae exitium imminere videretur et omnes in summum terrorem conjicerentur. Tunc eos, qui adfuissent, oculis in coelum elevatis, vidisse hostiam, quam Lutherus indignus accipere ausus esset, in aëre suspensam; quam illos summa cum veneratione apprehensam in loco sancto reposuisse, quo facto tempestatem cessasse sed sequente nocte multo atrociorem rediisse. Denique aperto, quum illuxisset, Lutheri sepulcro, repertum corpus ejus non esse, sed foetorem sulphureum intolerabilem erupisse, ex quo adstantes in morbum incidisse multosque resipiscentes ad ecclesiam catholicam revertisse.

---

1) Ibidem p. 50.

2) Ibidem p. 78.

3) Ibidem p. 45: ‚Non si sà se affogato da giocaola o da sè colle proprie mani. — Morte degna di lui!‘

Quam quum Lutherus anno fere ante mortem legisset, Italice ea cum versione Germanica Vitebergae typis vulganda curavit, additis his verbis: ,Ego D. Martinus Lutherus testor hac manus meae scriptura, me figmentum hoc rabidum d. 21. Martii legendum accepisse et libentem quidem ac laetantem, nisi quod abominanda mendacia divinae majestati attribuantur. Valde autem me titillat ac delectat,[1] quod Diabolus ejusque squamae, Papae et Papistae, mihi tam vehementer infensi sint. Deus eos a Diabolo reducat et convertat. Si vero decretum est divinitus, ut preces meae pro peccato in mortem irritae sint, faxit ut mensuram suam impleant nec alios quam hujusmodi libellos in solatium gaudiumque suum scribant. Sinamus eos, eunt enim, quo voluerunt. Ego interim videbo an salvari possint et quomodo poenitentiam acturi sint de omnibus mendaciis ac blasphemiis suis quibus mundum vertent.'[2]

Recte Lutherus in rabido isto figmento, obscuri cujusdam hominis opusculo, ipsius Curiae ingenium vidit. Similium mendaciorum exempla hodierna supra a nobis allata sunt, alia ex prioribus seculis desumpta in Baelii lexico sub voce ,Lutherus' inveniuntur. Omnium idem finis erat, ut infamato adversario quidquid veri dixerat in suspicionem vocaretur et fraudes, quibus imperium papisticum nitebatur, sustentarentur. Quoties ista mendacia pro varia temporum condicione a callidis inventoribus variata, toties a misera plebe Romanocatholica credita sunt. Immo haud raro, id quod etiam nuperrime vidimus, eodem tempore inter varios homines variae ejusdem fabulae quasi formae sive editiones disseminatae sunt, aliae ad captum rudis vulgi accommodatae (quales ,verum amicum' Romanum lectoribus praebuisse memoravimus), aliae viris paululum litteratis magis congruos. Sic Maimbourg Jesuita eorum sententiam improbavit, qui Lutherum a incubo genitum esse contendebant, sed ipse multas alius generis fabulas eruditis viris tolerabiliores concinnavit, a Seckendorf immortali opere refutatas. Jesuitae illi similis papisticorum commentorum patronus J. Janssen surrexit, in pervertenda historica veritate, dum religissimum ejus studium prae se fert, exercitatissimus. Qui in narrandis extremis Lutheri diebus, induto serii et accurati scriptoris specie, tam callide alias res omittit, alias falsa luce offusa deformat et in pravum

1) Jocose loquitur: **Es thut mir sanft auf der rechten Kniescheibe und an dem linken Fuſse.**

2) Seckendorff l. c. lib. III, 32, 126.

detorquet, ut in peccando contra severum veritatis officium subtilitate quadam usus malitiosa Lutheri detrectatione vincat paene ipsum ‚verum amicum‘ istum Romanum.[1]

Haec tam varia quam impudens historiarum adulteratio, Papistarum propria, quasi foedus semper iniit cum ineptissimis scholasticae philosophiae et theologiae, quae Curiae tanti pretii est, argutiis. Etiam viri vere magni sicut Thomas Aquinas, nisi pro medii aevi consuetudine tot tritissimis historiae papisticae fabulis fidem habuissent, systema suum non tale quale erant perfecerant. Sic sua rursus sagacitate fabularum istarum auctoritatem fulciebant. Hac saltem ex parte non erant magni. Quanto miseriores in praesentia ii nobis videantur necesse est, qui veteres quasdam scholasticas argutias recoquunt ad stabiliendas iterum ejusdem farinae fabulas, a saniore nostrorum temporum judicio prorsus abhorrentes et adhuc usque a melioribus hujus aetatis theologis catholicis repudiatas. Ex quibus parvulis scholasticorum quasi pedisequis exempli instar unum Martinum Paderbornensem episcopum afferre sat est. Quem ut virum neque malitiosum neque plane indoctum, sed animo et ingenio pusillum, veri parum curiosum, propter caecum Curiae obsequium in patriam quam amabat furiose invehentem supra descripsimus.[2] Is quum dejecta jam antea, quam prius prae se tulerat, opinione novissimi dogmatis propugnator exstitisset, libello ‚de vera decreti Vaticani sententia‘ scripto Papas etiam in Sanctorum canonizatione, quae dicitur, falli nescios esse demonstrare studuit.

Quae quaestio saepius in ecclesia Romana agitata erat. Quippe piissimi ejus sodales, historiae gnari, de quibusdam Romanorum fastorum Sanctis dubitaverant, de aliis, num tanto honore digni fuissent, de aliis, velut de Sancto Christophoro, de quo symbolica fabula bellissima et ingeniosissima narratur, num omnino inter mortales unquam fuissent. Sic enim haud pauci viri docti de Ursula cum undecim mille virginibus judicare ausi erant, sic de Catharina, Veronica, Agnete, Margarita, Petronillo, Longino, Rocho, aliis, quos ante hos ducentos annos Joannes Launoi, vir de historia ecclesiastica optime meritus, e Kalendario delevit. Immo jam seculo sexto et decimo acerrimi Papatus sectatores et defensores, Cajetanus Cardinalis, Melchior Canus,

1) Koestlin cf. Warneck.

2) P. 92 s. Cf. quae Reusch Bonnensis juste et aeque de eo scripsit ‚Im neuen Reich‘ 1879 Nr. 31 p. 175.

alii pronuntiare non veriti erant, canonizationem Sanctorum ad fidem non pertinere ideoque errorem in eam irrepere posse, quum Pontifex in hac re falli nescius minime esset.[1] Nostro seculo, etiam quum Papae Romae adhuc regnarent, ne Romana quidem plebs omnia, quaecunque illi de novis Sanctis proclamaverant, sibi credenda esse putabant, sed teste Pasquini columna satis audacter interdum de iis judicabant. Haud raro scilicet Pontificia auctoritate tam mira miracula publice decantata sunt, quam illud Juliani monachi Hispani a Gregorio XVI. canonizati, quod hic in tabula depingendum ac propalam collocandum curavit addito hoc titulo: ‚Beatus Julianus aviculas, ut torrerentur ad ignem jam appositas, e veru extrahens nova vita donavit.' Quid mirum, quod talia commenta vulgus non minus leviter derisit, quam parum serio ea sibi proposita esse putabat?

Laudamus episcopum Paderbornensem, quod talem animi levitatem ipse aspernatus est. Post peractam canonizationem Cardinales ex vetere consuetudine gratulantur Pontifici, quasi effecerit, ut novus Sanctus nova exinde ratione ecclesiae patrocinium suscipiat.[2] Nonne hoc blasphema esset adulationis comoedia, nisi in ipso canonizationis actu omnia, inprimis signa et testimonia pro novi Sancti honore seria et certa fuissent? Sed hanc impietatis Scyllam evitaturus incidit episcopus in sophismatis et superstitionis Charybdin. Namque novo dogmate fretus, ut infallibilem Paparum auctoritatem etiam in canonizandis Sanctis demonstret et cum Billuarto omnem de ea dubitationem removeat, serio haec profert verba, quae ex famosis obscurorum virorum epistolis excerptas putaveris: ‚Qui negaret, aliquem ab ecclesia canonizatum esse Sanctum et in gloria, non esset quidem haereticus, sed esset primum temerarius, quia contradiceret communi ecclesiae sensui in re fundatissima et cujus oppositum non habet idoneum fundamentum; secundo esset scandalosus, quia retraheret fideles a cultu Sanctorum, tertio impius, quia faceret injuriam ecclesiae et ipsis Sanctis, quarto saperet haeresin sectariorum, qui irrident canonizationes, quas facit ecclesia, et negant cultum atque invocationem Sanctorum'. Hujusmodi igitur argumentatione post tot seculorum disceptationes et labores vir in Germanicis scholis educatus historiae vocem consopire et medii aevi credulitatem restaurare conatus est.

---

1) Cf. Prosperi al Aquila Dictionarium theologicum II 214 coll. I 93 ss.
2) Hase, Polemik 4. Aufl. p. 302.

Quod qui fieri posse sibi persuaserint, in iis internum animae oculum, quo verum conspicitur, exstinctum paene esse patet. A sincerae religionis christianae ingenio tam longe quam ab omni liberaliore doctrina humana remoti sunt. Neque caecitatem illam, licet saepissime satis ridiculam, quasi periculosa non esset, securo animo neglegere licet. Quae per magnam hominum partem propagata Papistarum et effrenatam violentiam et dominandi in res publicas cupidinem adjuvat. Sic perpetuum bellum adversus universum hodiernae societatis ordinem gerendum suscipit. Id reliquum est ut paucis ostendamus.

Caput VII.

Veri neglectio, quo graviores et sanctiores causae sunt de quibus agitur, eo certius paulatim in veri odium mutatur. Unde factum est, ut molestam et exosam veritatem vi opprimere inter Papistas pro sanctissimo jure et officio haberetur. Cujus rei jam compluries in hoc opere mentio nobis facienda erat. Nunc quam arcte haec ethici judicii corruptio, quasi pestis usque ad hunc diem illic propagata, cum sophistico universae theologiae Romanensis ingenio cohaereat, nobis explicandum est.

Sanctae quae dicebatur Inquisitionis historia, ubi religiose tractatur, atrocissimae quae in humano genere exstitit, fallaciae historia est. Inquisitores Pontificii erroribus atque mendaciis nitebantur, ut sanguinariae crudelitati indulgerent, ac rursus funis rogique terrore fulciebant errores atque mendacia. Quarum rerum exempla perpauca sed sufficientia dedimus. Ii qui in christiani nominis dedecus tam horrenda facinora perpetraverunt, se ipsi plerumque deceperant et Pharisaeorum instar sua justitia gloriari se posse coram Deo putabant, sed id non tollit sed auget ipsorum facinorum atrocitatem. Quam quidam scriptores mendaciis tegere frustra nituntur. Legum, quas Inquisitores sequebantur, indolem quisquis paulo accuratius perscrutatus fuerit,[1] agnoscat oportet, Draconicas cum illis comparatas humanissimas esse neque quidquam in universo seculorum decursu inter mortales inveniri quod revelatae divinitus veritatis sanctissimique juris speciem prae se ferens tam infernalem et fraudis et crudelitatis animum spiraverit.

Istarum legum auctores, si ad caput rerum spectamus, Papae fuerunt. Quod non ita diximus, quasi leges illae universo theocratiae

1) Cf. Janus p. 254—269.

medii aevi ingenio non convenissent. Sed ad hoc ingenium prave efformandum ipsi Papae plurimum contribuerunt. Qui etiam gravissimas, querelas de inquisitionis abusibus ad eos delatas semper fere neglegebant, ne scilicet potentiam ex illa ad se redundantem praestringerent. Ne mitiores quidem inter eos et clementiores viri id, quod praedecessores de illa constituerant, abolere ausi sunt.[1] Sic sola Curiae auctoritate evenit, ut inter Curiales nefanda Inquisitionis spectacula, quemadmodum inter Molochi cultores sacrificia humana, pro necessaria religionis parte haberentur, et a nobilioribus quoque viris tot scelerum fontes, cruentae istae leges, sophisticis, quibus solis fieri poterat, artibus defenderentur. Talis sani judicii corruptio jam in Thoma Aquinate conspicua est, utpote qui, ubi de occidendis haereticis agit, multas res protulerit praeclaro animo et ingenio suo prorsus indignas, Romanae Curiae semper gratissimas.[2] Sentit etiam hic necessitatem probandi ex Sacra Scriptura id quod probare vult sed affert ipse ex ea multos locos suae sententiae repugnantes, eosdem fere, quibus postea Erasmum contra sui temporis Inquisitores usum esse ostendimus. Quorum locorum pondus ut diminuat, misere Thomas se detorquet et fatigat. In opinionis non minus horrendae quam ineptae crimen incidit, quum denique unum pro re suscepta testimonium Scripturae invenisse sibi videtur, verbum apostoli ad Titum suum (3, 10): Haereticum post unam et secundam correptionem devita. Quasi scilicet ejusmodi devitatio optime fieret, si haereticus vita expelleretur. Cujus testimonii defectui variis argutiis et sophismatis supplere frustra studet. Ultimo tandem argumento, quod Romae fidelibus sane suffiat, Paparum Decretalibus utitur. Hic fretus ‚ne revertentes quidem ab haeresi esse ab ecclesia recipiendos‘ ait. Meminit quidem verbi, quod apud Jeremiam Dominus misericordia sua revocat Sionem fidei desertricem: ‚Fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me‘. Nihilominus quasi invitus misericordi Deo inexorabilem Papam praeferens ita disserere pergit: ‚Sed contra est, quod Decretalis „Ad abolendam“ dicit, quod si aliqui post abjurationem erroris deprehensi fuerint in abjuratam haeresim recidisse, seculari judicio sunt relinquendi. Non ergo ab ecclesia sunt recipiendi‘. Supplendum est ex mente legis, seculares magistratus, nisi relictos sibi haereticos interficiant, ipsos excommunicationi obnoxios fore.

1) Ibidem p. 257 s.
2) Summa theol. II, 2 q. X. art. 8, 9. XI. art. 3 et 4.

Similiter dominatrix Curia usque ad nostrum tempus eorum sectatorum conscientiam et judicium pervertere solet, quibus de Inquisitionis historia loquendum est. Quorum hodie plerique, quum illius statuta ac facinora laudare propter pudorem, condemnare propter Papae reverentiam nolint, sophisticis artibus veritatem dissimulare ac justum aequalium horrorem extenuare nituntur. Sic et ipsi, inscii ex parte, ut sperare audemus, et inviti, inserviunt regno violentiae et mendacii. Exempla afferam ex lexico ecclesiastico a Wetzer et Welte edito, liberaliorem theologiam nonnullis in rebus prae se ferente, sicuti Papam nisi accedente ecclesiae assensu falli nescium non esse in eo contenditur.[1] Quare nunc, donec adjecta appendice corrigatur vel nova editione laudabiliter ex mente Curiae emendata prodeat, sub anathemate est. De Inquisitione duo illic articuli, quos vocant, leguntur, alter brevissimus de Romana, alter longior de Hispanica.[2] Ex quibus solis si quis rei notitiam haurire voluerit, docetur Inquisitionis Romanae sive ecclesiasticae tribunal temporum quorundam necessitate ortum et excultum tormenta sive carnificinam pro suae aetatis jure ut modum perscrutandi veri[3] adhibuisse. Ceterum nihil mali de illa praedicatur. Additur bene eam distinguendam esse ab Inquisitione Hispanica. Hanc deinceps Hefele vir doctissimus demonstrat institutum mere civile fuisse, imperii regii libidini inserviens, propter nimiam duritiam haud semel a Papis reprehensum. Callide allato Llorentis loco quodam, falsissimam lectoribus instillat opinionem, quasi viri docti tormenta et mortem nunquam ab Inquisitione passi essent. Quam Inquisitionem tale monstrum, quale partium studio et inscitia saepe describatur, nequaquam fuisse affirmat. Mirum quod caute simul addit, tantum abesse, ut ipse patrocinetur Inquisitioni Hispanicae, ut seculari imperio deroget potestatem conscientiae quasi vinculis constringendae.[4]

Quae omnia ostendunt, quam nimia et caeca reverentia jam tunc Romana Curia etiam hujus doctissimi viri conscientiam constrinxerit et devinxerit. Num tyrannicam ejusmodi potestatem, qualem Hispanicos reges exercuisse fatetur, seculari quidem imperio derogandam esse, sed Pontificio legitime competere credit? Recte dicit, Inquisitionis in-

1) Kirchen-Lexicon 1. Auflage VI p. 107.
2) Ibidem V p. 649—650 et p. 650—659.
3) ‚Als ein Mittel der Wahrheitsforschung‘.
4) ‚Die Befugniss das Gewissen zu knebeln‘.

stitutum Regibus illis inserviisse, id quod jam antea a scriptoribus Protestantibus adnotat demonstratum esse. At conscientiae servitute constringendae artem reges illi non invenerant, iisdem utebantur diris legibus Papalibus, quibus jam magni Thomae conscientiam misere deceptam et obscuratam esse vidimus. Neque in Hispania Inquisitio, quam regni Comitia acerrime initio impugnabant, sine Pontificum auxilio unquam viguisset. Eodem anno, quo Lutherus natus est, Sixtus IV. Torquemadae, Magno Inquisitori famosissimo, ad perficienda cruenta opera sua ingentem ac prius inauditam per Hispanias potestatem dedit. Quid igitur Hefele de Papis nihil illic memoravit nisi quorundam mitiora levissimi ponderis consilia? Quid nominis sui auctoritate adjuvit lexici illius editores ad injiciendam falsam indoctis lectoribus opinionem, quasi permultum interesset inter Romanae et Hispanicae Inquisitionis indolem? Nonne optime sciebat, illam ad hujus exemplum a Caraffa eo ipso tempore denuo constitutam esse, quo utilissima Papali imperio facinora conficere per Italiam incepit, quae immanitate Hispanicis non cedebant. Quapropter utraque Inquisitionis forma, quidquid dicunt Curiae patroni, inter omnes candidi animi homines, Romanismi morbo non occoecatos, monstruosissima depravati Christianismi macula semper nominabitur, ipso ‚Terrore', qui vocatur, ‚Francogallico' et propter diuturnitatem et propter affectatum christianae veritatis et caritatis studium monstruosior. Contra aeternas vitae vere humanae leges non minus ii peccant, qui Inquisitionis vel Romanae vel Hispanicae, quam qui istius Terroris horrorem, humanioribus animis propriam et quasi naturalem, diminuere studeant.

Illud vero Hefele singulari modo efficere conatur, quum omnibus tunc cujusvis confessionis et populis Christianis communem fuisse sententiam contendit, haereticos supplicio esse afficiendos. At Lutherus etiam propterea, quod eam sententiam improbavit, Leonis X. Bulla condemnatus est. Res spirituales spiritualiter, non externa vi agi voluit. Posthac non semper quidem sibi constitit quum enim evangelicas ecclesias et ab asseclis Papae, qui contra evangelii confessores sanguinariam vim partim jam adhibuerat partim minitabatur, et a fanaticis quibusdam anabaptistarum sectis, hodiernorum communistarum similibus, periclitantes videret a priori sententia aliquatenus discessit. Magistratibus nimirum vindicandi in eos, qui perniciosos errores seminarent, nimiam ut nos quoque judicamus potestatem tribuit. Verumtamen ultimam, que a talibus expeteretur falsae religionis poenam non mortem esse voluit, sed id, quod nostris diebus postremus Etruriae

Magnus Dux spectatissimis hominibus, propter evangelicas sententias foedissimo carcere inclusos, ne misericordiae quidem actu sua sponte concessit, exilium. Justius Hefele ad Calvini exemplum provocare videtur. Hunc etiam nos diploramus ab humaniore quam quondam confessus erat opinione aberrasse et in theocraticam medii aevi saevitiam relapsum esse. Servetum, catholicis et evangelicis aeque adversarium, a Libertinis defensum, accusavit et capite plectendum censuit; crudele, quo illum judices affecerunt, regi supplicium eum improbasse certissimis testimoniis confirmatur. Commemorato igitur Serveto aliisque quibusdam viris non occisis quidem sed justo durius tractatis, Hefele addere non veretur, ‚apud Protestantes non mitiorem quam in Hispania inquisitionem dominatam esse'. Quod quam et odiose et leviter proterveque dictum sit, iis qui historiae gnari sunt judicandum bono animo relinquimus. Ceterum nos, quidquid a patribus nostris revera justo atrocius actum est, reprehendimus ac deploramus; supplicium illud Genevense, licet a Melanchthone et Bullingero postea probatum, turpem esse magni Reformatoris Gallici maculam nos omnes agnoscimus. Neque jam ante haec tria secula defuerunt, qui illum evangelico nomine indignum se praebuisse et Papismi vestigia pressisse judicaverunt; eadem sententia mox inter omnes Protestantes praevaluit. Inter Romanenses vero Curia tot horrendos nefandosque Inquisitionis errores atque flagitia nunquam adhuc reprobavit et deploravit. Pium V., cujus totam vitam innumeris talibus maculis, quale Serveti supplicium fuit, inquinatam esse, constat, qui omnes captos Hugonottos interfici voluit, successores ejus nulla adjecta vituperatione summis honoribus affecerunt. A cujus sanguinaria memoria, quamvis alias laudabilia quaedam in eo fuerint, et ipse Hefele abhorrere videtur. Etenim in lexico supra dicto[1] quam brevissimam ejus dat notitiam. Ironiam quandam sapere paene videtur quod in fine addit, illum a successoribus centum post mortem annis ad Beatorum et seculo XVIII. ad Sanctorum gradum evectum esse. Certo tunc Papas, ut in aliis rebus, ita in canonizendis Inquisitionis protectoribus falli nescios non putabat. Nescio an nunc, postquam Vaticanis decretis laudabiliter, ut ait Curia, se subjecit, Pium V. cum Leone XIII. pro Sancto pie invocando agnoscat et in lexico ecclesiastico non satis fervidum Inquisitionis patronum se praestitisse confiteatur.

1) S. v. Pius V.

Curiam quod ad vim contra errantes, quos putat, adhibendam pertinet, non mutasse sententiam suam, Pius IX. syllabo suo testatus est. Eundem in Inquisitore illo, quem ecclesiae sibi subjectae novissimum Sanctum invocandum imposuit, ipsam Inquisitionem, et Romanam et Hispanicam celebrare voluisse, neque frustra celebrasse, sed aliis similiter sentientibus animum addidisse, alios ad similiter sentiendum instigasse supra comprobavimus.[1] Qui si plus valuissent neque a civitatibus repressi essent, veterem Inquisitionem resuscitassent. Idque profecto summo gaudio fuisset Romanae Curiae. Quae etiam nostro seculo saevitiam in evangelicos et ipsa quantum fieri poterat exercebat, et exercendam fidelissimos sectatores suos docebat. Itaque post decussum Napoleonis I. imperium reversis in Hispaniam Borboniis, statim libentissime consentiente Pontifice Inquisitio, quantum praesens tempus ferebat, restituta est. Quid illic Isabella regnante Matamoros ejusque amici passi fuerint, multi recordantur. In Italia eodem tempore omnes excepto Rege Sardiniensi Principes Pontifici, qui conscientiae libertatem ut ‚impiam et absurdam' condemnabant, oboedientissimi erant. Qua caeca oboedientia etiam postremus Etruriae Magnus Dux animos popularium, quibus ingratus non fuerat, temere sibi alienavit. Etenim contra novissimas regni sui leges cum omnes Protestantes Etruscos, inter quos nobile Guicciardini nomen emicuit, turpissimis poenis affligi jussit, tum conjuges Madiai foedissimo carcere inclusos tenere perstitit, frustra per longum tempus ad clementiam et justitiam eum hortantibus cunctis ejus Ministris, Etruriae aliarumque terrarum viris spectatissimis, denique Monarchis potentissimis, ex quibus Fridericus Guilelmus IV. propria manu ad eum scripserat. Quibus omnibus spretis quantum Curiae auctoritatem praeferret demonstraturus in Florentiae viis promulgandas tabulas curavit, quibus in rebellionem ad religionem pertinentem animadversio capitalis restitueretur.[2] Hujusmodi animi Principibus expulsis quum Italici regni fundamenta jacta essent, patrimonium Petri, quod dicebatur, Pharisaicae illius violentiae et barbarici, quae Christi nomen prae se ferebat, ultimum medii aevi refugium erat. Ibi inquisitio radices tam alte egisse visa est, ut ne Francogalli quidem, quum Papa adhuc exule in Urbe capta regnarent, resistere tribunali illi palam auderent. Insignem quendam Sancti Officii captivum, Achilli nomine, qui Car-

1) Cf. p. 51 s. 68 s.

2) D. XVII. m. Nov. a. MDCCCLII cf. Witte l. c. p. 321.

melitarum ordinis sodalis antea fuerat, Ludovicus Napoleon, aut clerum aut Anglos offendere veritus, clam jussit ex carcere emitti. Jam antea quidem Ludovicus Desanctis, vir Italiae amantissimus, sed et Papae et Ferretti Cardinali carissimus, quum Inquisitionis theologus sive ut ajunt Qualificator factus esset, munere suo ad comparanda cum Bibliis Protestantium scripta adductus, similiter atque quondam Vergerius Pauli III. Legatus, evangelicam veritatem agnoverat. Is in Maltam insulam profugus et illorum sacra amplexus, ad Pium IX. exulem litteras scripsit tam patriae amore quam evangelica caritate et veritate plenas, quas permultis editionibus sparsas Itali et legerunt, et legent,[1] ipse Papa intellegere nequivit. Hic postea in Urbem redux, sola exterorum tutela in spirituali tyrannide sua sustentatus, resurgentem in Italia quasi ex tot veterum temporum rogis ac sepulcris fidem evangelicam partim fabulis istis ac mendaciis, quorum parvula exempla supra dedimus, partim foedissimis et crudelissimis, quantum fieri potuit, poenis cuivis liberiore christianae mentis motui propositis arceri voluit. Airaldi, Inquisitor Anconitanus, longum edictum promulgavit, quo omnibus, quicunque vel levissimi criminis ecclesiastici, ut carnis die Veneris esae, delatores se non praeberent, ipsis anathematis poenam minitatus est. Quod quum per Europam stuporem animis injiceret, Romae publice laudatum est, in Germania frustra tunc a verissimis sedis Romanae amicis, inprimis a Doellingero, vituperatum.[2] Inveteratum tyrannidos morem consuetudinemque Pontifex una cum mundano suo regno usque ad finem servavit. Etiam Protestantibus Romae peregrinantibus magistratus Papales mente ridicule pusilla et angusta molesti erant. Sic in illorum coemeterio mortui viri cujusdam spectatissimi cippo haec verba inscribi noluit: Quiescit in Deo. Legationis Borussicae auctoritate scripta tamen sunt. Ceterum eodem anno Italorum exercitus, a Porta Pia Urbem ingrediens libertatem miserrime vinctis hominum animis attulit.

Quam quidem libertatem Pius IX. et antea summum hujus aetatis calamitatem esse censuerat et post censuit. Libentissime enim fidem habebat Jesuitis doctoribus suis, qui omnem ‚tolerantiam religiosam' proscribunt ut eam sententiam, qua ‚omnes religiones et sectae aeque verae ac bonae tenentur'.[3] Perversa sua mente nihil sciunt

1) Witte l. c. p. 294 ss.

2) Civiltà catholica d. 20. Dec. 1856. Cf. Doellinger Kirche und Kirchen p. 621.

3) Perrone l. c. vol. I Pars II § 290.

atque intellegunt de ea tolerantia vere christiana, qua quisquis imbutus est sanctissimam fidem, quam firmiter ipse tenet, propter ipsam sanctitatem non vult cuiquam externa vi obtrudi, sed libero et sincero animo accipi; errantes cum apostolo ea caritate amplectitur, quae ,omnia suffert, credit, sperat, sustinet'; eos denique, qui pertinaciter veritati resistunt, ex ejusdem apostoli concilio devitat, sed non cum Thomistis de vita tollendos curat. Talem tolerantiam vere christianam ridentes Jesuitae eorumque sodales omnibus in terris postulabant, ut idem jus, quod Romae usque ad finem Papalis regni vigebat, ubivis ecclesiae Romanae attribueretur. His magistris usus Pius IX. syllabo suo famosum illum canonem proposuit, quem integrum hoc loco repetimus: ,Si quis dixerit, a Christo Domino et Salvatore nostro Ecclesiae collatam tantum fuisse potestatem dirigendi per consilia et suasiones, non vero etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coërcendi atque cogendi, anathema sit'. Cujus canonis quasi ingenium et animum quam astute et proterve Jesuitica pars etiam in Germania propagare studuerit, brevi enarravimus.

Nemo prudens ignorabit, quid judicandum sit de ,salubribus illis poenis' deque ecclesiastico earum infligendarum jure a Pio papa tantopere laudato et desiderato. Salubris enim poena prae ceteris rogus vocabatur, quo ex clandestini judicii inquisitorii sententia tot pii homines cremati sunt. Salubris scilicet poena, quia vel miseri homines ante mortem terrore perculsi, partim etiam in tormenta dati pristinas sententias revocaverant, vel Pharisaei judices post sumptum de iis supplicium pro consuetudine jam ab Erasmo relata illos sententias suas, revocasse mentiebantur, ut vulgus certe salutarem iis poenam fuisse crederet. Quam graviter esset ferendum, quod nostro seculo saevitia in haereticos etiam sub Borboniis Italicis et Hispanicis iis tantum, quas memoravimus, rationibus exhiberi posset, Pius canonizato Petro Arbues testatus est, Civilitas catholica illius nomine disertis verbis declaravit. Magnificis laudibus atrox illa atque horrenda crudelitas efferebatur, qua non tantum Lutherana sed etiam Erasmica, quam vocare licuit, reformatio apud Romanenses gentes per secula suppressa est. Sic scilicet Pontifices servata fidei unitate optime de Italia meruisse, caeci eorum adulatores, caritatis historiae aut prorsus ignari aut frivoli contemptores dictitant ac nuper etiam Leoni XIII. persuaserunt. Curiam, quamvis ad temporum conditiones se accommodaret, tamen quod ad rationes et principia pertineret eandem sem-

per manere, Antonelli callidus Pii minister rerumpublicarum gubernatores impudentissime commonefacere non dubitavit. Quare aliquis propter tot cruenta facinora, quae Curia partim ipsa fecit, partim suis auspiciis ab aliis perpetratas comprobavit, haud temere eam cum scelesta in illustrissima poëtae Britannici tragoedia muliere contulit, quae noctu lunatica sanguinolentas manus defricando purgare nititur. Cui similitudini id tantum objici potest, quod tantum abest, ut Curiae conscientia propter facinora illa torqueri videatur, ut ea publice a suis iterum iterumque celebrari gavisa sit.

Id vero fieri nullo modo poterat, nisi penitus usque jamdudum insedisset Romanam ecclesiam pessimus morbus, proterva veri neglectio. Quam verbis et factis manifestam cum pluribus operis nostri locis monstravimus, tum iis quae de fraudibus cum nefanda violentia ad opprimendos evangelicos conjunctis dicta sunt. Legunt adversarii nostri psalmum pronuntiantem, Deum perdere omnes qui loquantur mendacium. Sciunt in Novo Testamento mendacium ut diaboli fetum et omnis peccati fundamentum describi. Neque tamen quidquam, a Jesuitis edocti, facilius diminuunt et contemnunt quam veri officium. Ad ea maxime, quae contra hoc peccata sunt, libentissime idem solatium applicare videntur, quo apud summum Francogallorum comoedum pietatis simulator utitur dicens, dari cum coelo accommodationis vias.[2] Si quis cum his rebus ea contulerit, quae Blasius Pascal in epistolis provincialibus, inprimis in quinto et decimo, de Jesuitarum sui temporis dictis factisque accurate et religiose enarrat, hac quoque ex parte istorum pravitatem jam in universam ecclesiam Romanam redundasse intelleget. Quod ad sanguinolentae violentiae in dissentientes adhibendae cupidinem illis innatam pertinet, haec ubi emicat civitatum auctoritate reprimitur, vis veritati allata, licet turpissimum facinus, a magistratibus frenari et puniri perraro potest. Inde factum est, ut effrenata ultramontanae partis audacia in Germania nostra tam impudenter se jactaret.

Hujus noxae gravissima culpa in Germanicos episcopos derivanda est. Eos potissimum dico, qui Concilii tempore viguerunt. Quos si nonnulli alii, qui propter pacis studium jure laudantur, recens secuti sunt, hi quoque tacendo et connivendo illorum peccati participes se reddiderunt. Illi enim non modo pastorale oppugnandi

---

1) In partis I cap. II.

2) Il y a avec le ciel des accommodements.

mendacii officium prorsus neglexerunt, verum etiam sacerdotibus ac plebi pessima exempla dederunt. Quae de ea re scripseram, nonnulli Romanocatholici aut non intellexerunt, aut se non intellegere simulaverunt. Propterea paulo fusius atque clarius ea repetam. Episcopi illi libellum, quem d. XX. m. Septembris a. MDCCCLXXII Fuldae publicaverunt, his verbis incipere non veriti sunt: ,Quum nuperrime pax inter civitatem et ecclesiam catholicam deplorabili modo turbata sit, episcopi Germanici testari posse sibi videntur, se neque cunctos neque singulos hujus rei causam dedisse. Et ad ipsos et ad omnes catholicos turbae praesentes inopinatae irruperunt, quare excitatam rixam, quae facillime evitari poterat, vehementissime deploramus.'[1] Quid? num vos, qui talia tam sollemniter testamini, prorsus obliti estis, quaecunquae paulo ante Romae plures vestrum non minus sollemniter testati sunt? Multis verbis, quae nunquam oblivioni dabuntur, declaraverunt, novum quod nostis dogma absurdum et logice impossibile, immo ecclesiae suicidium futurum esse.[2] Tyrannicas et dolosas artes, quibus Curiae satellites ac servi Concilium Vaticanum gubernabant, non tantum singuli viva voce, sed etiam scriptis, quae manent, ,animadversionibus et protestationibus' justissime taxaverunt.[3] Quid dicam? vos omnes alii servilibus alii ingenuis dictis ac factis vestris adjuvistis ad probandum et illustrandum, quam prorsus Concilio illi neque legitime constituto neque libero neque unanimo omnia deessent, quaecunque,[4] ut rata et valida decreta prodirent, necessaria semper habita sunt. Nihilominus domum reversi praestantissimos atque illustrissimos viros excommunicare et persequi propterea coepistis, quod easdem sententias fortiter tenebant, quas plures ex vestro numero integra conscientia nunquam se deserere posse testati tamen postea vel subito vel paulatim deseruerant. Illi immutatam eandem fidem

1) ,Wenn in der jüngsten Zeit der Friede zwischen dem Staate und der katholischen Kirche beklagenswerte Störungen erfahren hat, so glauben die deutschen Bischöfe sich das Zeugnis geben zu können, dafs sie weder gemeinsam noch einzeln hiezu Anlafs gegeben haben. Ueber sie, wie über die Katholiken überhaupt, sind die gegenwärtigen Wirren plötzlich, gegen Erwarten hereingebrochen, und wir beklagen es aufs innigste, dafs ein Streit heraufbeschworen wurde, welcher so leicht hätte vermieden werden können.' Kahn, Geschichte des Kulturkampfs in Aktenstücken p. 92. F. X. Schulte p. 170.

2) Vide plura de ea re supra p. 31 s. 58 s.

3) Cf. Documenta ad illustrandum Concilium Vaticanum ed. Friedrichs I p. 247. 250. 263. II p. 383. 385. 392. 397. 400.

4) Lord Acton, zur Geschichte des Vaticanischen Conciles p. 114.

profitebantur, quam immutabilem fore pastoralis epistola vestra ante Concilium Fuldae data audacissime affirmaverat. Num vos, quoniam ipsi res conscientiae et officii mira levitate tractatis, serio putavistis, sanctissimum Principum ac magistratuum officium non futurum esse viros illos per Germaniam jure honoratissimos contra perfidas violentasque vestras injurias tueri?

Praeterea optime novistis alteram causam, propter quam Civitates vestrae et Curiae arrogantiae non resistere non potuerant. Ex novo dogmate praeter alia id quoque necessario sequitur, ut quaecunque veteres Pontifices, jam omnes infallibiles declarati, de potentia sua in omnia regna mundi ex cathedra pronuntiaverunt, ab omnibus Christianis Romanocatholicis ut verissima sub poena inferni accipiantur. Id quam et impossibile et civitatibus intolerabile esset, certo quodam documento expressum est, quod Romae d. X. m. Apr. a. MDCCCLXX. editum, a Rauschero Cardinali compositum, plerique vestrum cum multis aliarum gentium episcopis signaverunt.[1] Illic ostendunt, Pontifices illos, qui Imperatores deposuerint ,falsis quoque relationibus historicis (nimirum de ementitis veterrimorum Paparum juribus, decretis, rebus gestis) deceptos esse; horum doctrinam de potestatis Pontificiae ad civilem ratione Bonifacium VIII. bulla „Unam Sanctam“ promulgasse et fidelibus cunctis amplectendam proposuisse;‘ cujus rei ,difficultatem‘ artificiosa interpretatione ,eludi non posse; etenim evidentiae refragari neque veritatis amore permitti neque prudentiae consonum esse;‘ ,se aliam de potestatis ecclesiasticae ad civilem ratione doctrinam cum omnibus fere orbis catholici episcopis populo christiano proponere, nimirum imparem quidem esse utriusque dignitatem, utramque tamen in rebus sibi commissis supremam esse, nec in officio suo alteri obnoxiam; haec non nova esse sed perantiqua et sanctorum Patrum consensu omniumque usque ad Gregorium VII. Pontificum eloquiis et exemplis confirmata, unde quin verissima sint se non dubitare.‘ Itaque de his rebus plerique vestrum eadem docuerunt atque Erasmus, idque, ut tunc quidem nobis videbatur ,cum omnibus fere orbis catholici episcopis‘. Scilicet excipiendos esse Jesuitas non vos fugiebat, qui quantum valerent

---

1) Documenta ad ill. Conc. Vat. II 388. Idem Germanice versum paulo post Jo. Fr. de Schulte eximio libello suo praemisit: Die Macht der römischen Päpste über Fürsten, Länder, Völker, Individuen. Prag 1871. Cf. facta historica a Justo Jacobi allata in: Streiflichter etc. p. 7 s.

Romae et in Concilio jam experti eratis; sed adhuc spes erat eos vincendi. Quare mox addiderunt vestri illi haec verba, quae exscribam: ,Indicanda sunt Ecclesiae pericula oritura ex decreto, quod cum hac nostra doctrina non consentiret. Neminem latet impossibile esse societatem civilem juxta regulam in bulla „Unam sanctam" stabilitam reformare. Verumtamen opinionum et institutionum humanarum vicissitudinibus neque jus a Deo collatum neque obligatio ei respondens auferri potest. Si Pontifex Romanus in Sancto Petro potestatem accepisset duobus gladiis tropice designatam et prout in bulla „Cum ex Apostolatus officio" asseritur, jure divino super gentem et regna plenitudinem obtineret potestatis, Ecclesiae non liceret hoc occultare: nam vestigia sequatur oportet Sancti Pauli eos, quos erudiendos susceperat, attestantis: Non subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Institutione autem christiana hac ratione conformata catholicos parum juvaret, multis asseverare: quae ad Sanctae Sedis potestatem in temporalia pertineant, intra theoriae limites contineri, neque relate ad res et eventus ullius nunc ponderis esse; Pium IX. de rerum civilibus deponendis ne a longe quidem cogitare.[1] Deridentes enim adversarii responderent: Sententias Pontificias non timemus, attamen post multas variasque dissimulationes evidens demum effectum est, omnem catholicum, cujus opera fide quam profitetur regantur, natum esse rei publicae hostem, quum in conscientia se teneri putet quae possit contribuere, ut universa regna et gentes Pontifici Romano subjiciantur.' Haec omnia (vos alloquor qui ea propria manu subscripsistis) sancte sollemniterque coram Deo et hominibus testati estis. Novistis ,decretum' illud, quod quam periculosum esset, antea tam egregie exposuistis, postquam Romae ratum factum est, in causa fuisse, ut Austria confestim propter effectam ingentem totius juris ecclesiastici mutationem Concordatum, quem dicunt, irritum declararet. Vos idem decretum illud, quod quam periculosum esset Romae gravissimis verbis exposuistis, postea in Germania spectatissimis viris ac feminis disciplina ecclesiastica intrudere moliti estis. Et tamen paulo post Fuldae congregati vos ipsos admodum mirari simulatis, quod magistratus vestra sodaliumque vestrorum molimina non patienter ferat sed pax inter ecclesiam et civitatem turbata sit. Tamque sophistico initio satis longae et variae quae sequuntur explicationes et argumentationes partim dignissimae sunt. Scilicet ad persuadendum plebi vestrae,

1) Similia Antonelli scripserat.

praesentes turbas sine ulla ecclesiae, Curiae, Sacerdotii culpa a civitate temere excitatas esse, totam orationem vestram accommodastis. Quare indubiis eloquiis manifestisque factis vestris nixus dicere potui, inauditam antea in tanto collegio tantam pervertendi veri audaciam fuisse; etiam Hefelium, jam per annum animo fractum, aeterni dedecoris monumento nomen subscribentem ne erubuisse quidem videri. Haec omnia nunc repeto. Si respondere potestis, respondete. Sed nil sana et proba mente respondere poteritis.

Haud mirum quod iidem episcopi etiam aliis in rebus haud admodum veri curiosos se praebuerunt. Sic dum importunas quasdam Palaeocatholicorum sententias, antea ab ipsorum pluribus tam fortiter defensas, jam non refellendas quidem sed deformandas, excommunicandas, conviciis petendas curant,[1] foedissimas superstitiones falsissimasque quibus illae nituntur opiniones per dioeceses suas publice grassari facillime sinunt. Ad eximium, quo hoc ex factis probatur, probissimi viri libellum, supra memoratum, quod modeste ac pie ipsorum factorum lingua episcoporum conscientiam excitare tentavit, iterum conviciis, non argumentis responsum est. Quam exsecrabile malum illud passim factum esset, detecta Marpingensium miraculorum fraude patuit. Tunc enim religiosi judicii magnam quasi mendacii scholam, in media ecclesia catholica institutam, sanis oculis conspiciendam dederunt. Quapropter unum eorum etiam nuperrime centricus quidam in comitiis perstrinxit. Quippe centrici quoque, nec veri amorem prout decet aestimant, nec veri incuriam pro merito abominantur. Quod compluries exemplis satis evidentibus demonstratum est. Talia calumniandi et veri impudenter pervertendi artificia, qualia illic stenographicarum litterarum testimoniis permulta convicta sunt[2] et plura similia si necesse visum fuerit, convinci facile poterunt, vix aliam unquam Comitiorum nostrorum factionem in sodalibus suis toleraturam esse puto atque eam, quae res ultramontanas fortissime callidissimeque in Germania nostra gerere creditur.

Conjunctum mendacii et tyrannicae violentiae amorem jam Erasmus in Romana Ecclesia id esse significavit, quod antichristianum i. e. vero Christianismo funditus et quasi toto coelo oppositum jure censeretur. Antequam Lutherus contra ipsam Curiam severiora verba

1) Cf. supra p. 58.

2) Cf. Post 1883 No. 60. 61. Magdeburgische Zeitung 1883 No. 185 in articulo Anti-Windthorst: V „Traum und Wirklichkeit“.

fecisset, Erasmum in prooemio epistolae ad Romanos paraphrasi explicatae Romam his verbis admonuisse memoravimus: ,Vide ne e Roma degeneres in Babylonem'. Audiendum ei esse dicit Paulum apostolum ut praecipuum religionis magistrum ne nesciat quid ei sit cavendum; illum animadvertisse in ea facilitatem quandam cujus soleat esse comes credulitas, hanc in causa fuisse ut a pseudapostolis in Judaismum pelliceretur. Sed apostolum curam habuisse ut Roma christiana resipisceret. ,Ob id', inquit, ,tam sollicite deterret a fastu et insolentia, a luxu avocat ad sobrietatem, a libidinibus ad castimoniam, a ferocitate ad tolerantiam, a dissidiis ad concordiam, a bellis ad pacem. Haec est indoles vere Romana, a qua degenerare fit turpe. Vide ne e Roma degeneres in Babylonem'. Eos qui Romae Ciceronis linguam mirabantur, hortatur ut magis delectent Paulina facundia, cui salutis suae summam debeant. Simul tamen bonas litteras in suo pretio manere significat. Etiam has quomodo adhiberi voluerit ad impugnandum Antichristianismum cum barbarie et sophisticis artificiis conjunctum accurate exponere studuimus. Magnum reformationis ecclesiasticae praeparatorem, praenuntium, flagitatorem ipse reformator Lutherus secutus est. Qui quum ut fortius Erasmo Romanae corruptioni evangelicam veritatem opponeret divina providentia vocatus esset, vim mendacii Romae regnantis et tyrannidos mox ad effundendum, quem sitiebat, sanguinem progressae largius quam Erasmus expertus est. Quare illo fortius ac vehementius manifestissimam Romae degenerationem in ,Babylonicum fastum et ferocitatem' castigavit. Non omnia probamus, quae justa ira abreptus de ea re pronuntiavit. Sed justam ejus iram fuisse satis superque constat. Etiam quum commentariolo quodam saevissime in ,papatum a diabolo Romae constitutum' inveheretur, acclamantibus nobilissimis aequalibus eum contra Pauli III. pravitatem vere diabolicam surrexisse rerum gestarum evidentia evicimus et confirmavimus. Quanto vero atrocior pugna spiritualis Luthero imposita erat, tanto magis hunc etiam ea ex parte admiramur, quod simul tamen pressis Erasmi vestigiis foederis inter sincerum Christianismum spiritualem jaciendi fundamentum in ecclesia evangelica posuit, adjutus in ea re ingenuo atque fecundo Melanchthonis ingenio. Apud Romanocatholicos vero, quo latius illic inveterata corruptio a Jesuitis potissimum immoderate aucta serpebat, eo minus ejusmodi foedus sincerum ac perpetuum stabiliri potuisse demonstravimus. Unde in praesentia fit, ut una cum progrediente corruptione ista inter ejusdem fautores et defensores, licet externa animi politura

gloriantes, tamen grassetur barbaries ista, quae, ut alia sileamus, Petri Arbues et Josephi Labre canonizatione, Munsteri reformatoris et Beza-Buceri Thomae Aquinatis ingenium timentis inventione illustratur.

In medio regno antichristiano Romae constituto inter tot falsas et ementitas traditiones humanas superesse tamen evangelium et sacramenta, quibus homines licet per multas ambages impedimentaque ad salutem christianam pervenire possunt multique revera pervenerant, Lutherus expressis verbis enuntiavit. Nos etiam inter primatum episcopi Romani, quo unitas ecclesiae occidentalis inter multas temporum tempestates servata quondam est, et inter papatum magis magisque per secula depravatum, cujus rei causas tertio et quarto prioris partis capite contemplati sumus, probe discernimus. Immo apud summos nostrorum theologos hoc seculo usu receptum erat, ut neglecto fere confutandi antichristianismi et defendendae ecclesiae evangelicae officio gravissima hierarchiae damna, quasi ex praeteritorum temporum condicionibus necessitate quaedam exorta, justo magis excusarent, quaecunque vero illic magna, nobilia, vere christiana supererant, amico animo perquirerent. Neque ab hoc nimio aequitatis studio absterrebantur virulentis calumniis, quas Pontifices de reformatoribus deque nostra ecclesia ex cathedra emittere pergebant.[1] Hae ut innoxiae veteris morbi reliquiae patienter ferendae esse videbantur. Nuperrime demum, inprimis post Vaticanum Concilium ex incuria nostra, velut e somno, exsuscitari coepti sumus. Etiam nunc adversus injustos adversarios justitiae studere non desinemus. Quidquid illic ex purioribus originibus laudabile superest laudabimus. Quidquid jure in nostra ecclesia vituperant, ne neglegatur monebimus, veteris verbi memores: Et ab hoste consilium.[2] Sed immania infernalis odii figmenta, a Jesuitica parte et ab ipsa Romana sede contra nos iterum emissa, quorum innumera exempla ante oculos posita sunt, silentio porro praetermittere minime licet. Haud frustra scriptum est esse tempus tacendi et loquendi.[3] Jam et continenter et intimo animo nos reminisci oportet, quid postulet a nobis veritas evangelica, quid christiana ecclesia, ‚columna et firmamentum veritatis‘, quid patria

1) Cf. J. L. Jacobi in libello polemico ‚Streiflichter‘ et in libello apologetico.

2) Cf. quae de ea re supra dicta sunt p. 6 s.

3) Ecclesiastes 3, 7.

a Jesuitis tot cladibus et sanguinibus olim obruta et nunc iterum insidiis circumventa. Hujus officii sinceros probosque Germaniae Christianos vir mihi amicissimus Justus Jacobi binis libellis commonefecit, altero apologetico altero polemico, parvis quidem sed dignis, qui ab illis omnibus attente legantur. Qui quum per longum tempus praesertim in rebus ad veterem ecclesiam pertinentibus tranquillo studiorum commercio cum eruditis viris, et evangelicis et cathôlicis, etiam Romae degentibus libenter usus esset, jam invitus crescentis ultramontanae insolentiae causa in certaminis pulverem degressus, ea quae non veterrimae Romae christianae, sed Babylonis apocalypticae animum ingeniumque spirant, certissimis degenerationis indiciis conspicua, suis demum propriis nominibus signanda esse ostendit, atque justae hominum aversioni horrorique objicienda esse. Ad quam rem haud male monstri imaginem apud Homeri obviam applicat, quam ita exponere licet, ut caput leoninum cruentam crudelitatem, cauda draconis virulentas fraudes, corpus chimaerae monstruosas fabulas atque superstitiones repraesentet:

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.[1]

Sunt quidem etiam inter nostros, qui omnes ejusmodi parabolas ut nimis duras et atroces evitandas esse censeant. Sed vereor ne aut adversariorum atrocitatem, quae molli et pacato eloquio vere depingi non potest, non satis perspiciant, aut perspectam non justa qua decet ira abominentur. Ea ex parte nobiliorem in Erasmo quam in illis ardorem animi conspicimus. Singulas horribilis simulacri similitudines in ecclesia Romana haud pauci piissimi ejusdem cives jam ante Erasmum animadverterant et indicaverant; cunctas ipse flagrantibus verbis passim adumbravit. Neque in ea re odio sed caritate movebatur. Etenim conjunctis christianismi spiritualis adhuc vigentis et reipublicae litterariae quasi juvenescentis viribus confisum sperasse vidimus fore, ut tam periculosa ecclesiae vulnera, si ab omnibus agnita essent adjuvantibus ipsis coetus christiani optimatibus sine tumultu sanarentur. Sed tantam spem vanam fuisse invitus sensim intellexit. Quare ingeniose aliquis dixit, in Erasmum quadrare verba in libro Jeremiae[2] conscripta: ‚Curavimus Babylonem sed non est sanata'; Lutherum vero excommunicatione Pontificia admonitum non amplius dubitasse,

---

1) Ilias VI 181.
2) Cap. LI v. 9.

quin ad se ea quoque verba pertinerent quae apud prophetam proxime sequuntur: Derelinquite eam.

Ad idem consilium nostris diebus Palaeocatholici, iidemque iterum excommunicatione Pontificia admoniti, pervenerant. Qui similiter atque Erasmus confessi sunt, a Luthero ejusque amicis, sectatoribus, successoribus longe quidem plurima vel cum verbo divino congrua praeclare doceri, vel ut illi repugnantia in ecclesia Romana plenissimo jure castigari; nonnulla vero in illis non probaverunt, inprimis rationem, qua reformatores novam quodammodo ecclesiam, a veteris institutionibus longius quam necesse fuisset recedentem, mox et eandem in diversas partes discissam, fundavissent, se ipsos sequi et in protestantium castra transire salva conscientia non posse censuerunt.[1] Neque tamen sequi potuerunt Doellingerum praemonentem, ne aram contra aram ponerent, sed necessitate quadam adacti licet pauci numero quasi tertiam quandam ecclesiae formam constituerunt, inter Romanismum et Protestantismum mediam. Hac ex parte longe discesserunt ab Erasmo, qui semper noluit a suis amicis inter Pontificios et Lutheranos tertiam, moderatorum partem constitui quae et utrosque impugnaret et ab utrisque impugnaretur. Nihilo minus cum ipso Erasmo magnam fovebant spem, quasi adjuvant Deo contra Curiae Romanae obnitentis voluntatem ecclesia Romano catholica vi veritatis christianae ita reformari posset, ut impletis justi omnibus Protestantium desideriis vera illa atque libera coetus christiani unitas, quam Christus suis proposuit, tandem restitueretur. Itaque sub umbra libertatis civilis, quae cum sinceri protestantismi ingenio congrua apud nos praevaluerat, novum schisma per Vatican decreta iis impositum subire non veriti sunt, idque eo consilio, ı pro suis viribus facerent, quidquid adjuvare quondam posset ad tollendum omne schisma et ad restituendam veram ecclesiae christiana concordiam et unitatem. Hanc enim praeparare quodammodo et pra munire sibi videbantur, si quaecunque vera et pulchra judicarent utraquae ecclesia, conservarent, quaecunque falsa et mala, rejiceren Itaque dum et ‚solidam petram' non fictam Petri sedem Romana sed ipsum Christum esse cum Protestantibus declarant, et episcopatu ab omni hierarchicae dominationis labe liberatum, ut institutionem ve oecumenicam, qua omnium gentium ecclesiae conjungantur, retinendum esse docent, ad tempus ipsi in ecclesiolam congregati eunde

1) Jo. Alberti Fabricii opusculorum sylloge p. 389.

medium inter certantes partes locum servare student, quem Erasmus[1] sibi privato homini desiderabilem his verbis significavit: ‚Quodsi res deveniet ad extremum tumultum, ut utroque nutet Ecclesiae status, ego me interim in solida illa petra figam, donec rebus pacatis liquebit, ubi sit Ecclesia, atque illic erit Erasmus ubicunque erit evangelica pars'.

Illi igitur Palaeocatholici, qui peculiari sensu Erasmi successores dicuntur, quorum antesignanus Doellingerus Erasmus redivivus ab adversariis vocatus est, extra ecclesiam Romanam consistunt. Sed etiam intra eam plures, quam quis exspectaverit, aliquid Erasmiani ingenii retinent. Praepotentes quidem illic hodie ii sunt, qui vel fanatico Jesuiticae partis furore occoecati, vel propter ignorantiam et imprudentiam ab illius partis hominibus decepti in Curia et ecclesia Romana omnia talia esse sibi persuaserunt, ut reformatione non opus esset. His subsidium ferunt quicunque, dum iis ut instrumentis utuntur, frivolo animo religionem nihil nisi machinamentum politicum esse putant, quare ipsi diversis temporibus et locis diversissimas, prout utile videtur, personas agunt et opiniones, quas tanquam gravissimas et sanctissimas prae se tulerunt, celerrime levissimeque permutant. Sed quamvis hi omnes conjuncti durissimum jugum Romanocatholicae plebi imponant, eos vero qui propterea queruntur, tanquam haereseos suspectos incessant, tamen semper denuo singuli surgunt, qui publice queri audent.[1] Plus sane efficerent, nisi agnitis Vaticanis decretis, quorum perniciosam indolem artificiosis argumentis tegere student, veritatis in iis se erigentis vim debilitassent. Ipsi sentiunt ecclesiam Romanocatholicam reformatione egere, neminem vero aperte fortiterque ea postulare posse, quae ad assequendam talem reformationem necesse essent. Fortasse unus alterve eorum, si perceperit quam audacter Desiderio Erasmo sua aetatis desideria declarare licuerit, cum Latino quodam Angliae poeta exclamabit:

> Nunc Desiderium desiderat orbis Erasmum,
> Cui soli licuit scribere quae libuit.

Quaenam igitur ille, si redivivus esset, severiora sane iis, quae quondam Adriano VI. dixit, nunc ad Pontificem scriberet? Videant lectores, annon talia qualia infra ponam. Quae omnia non meo nomine scripturus sum, sed ex ejusdem ingenio, quem toto hoc opere ab injustis et Romanorum et Protestantium judiciis non modo ut

1) Cf. supra p. 306 (a MDXXI).

[illegible] Germaniae [illegible] Quin, si a [illegible] P[illegible]

M[illegible] praemat[illegible] operis [illegible] impedivit, ne [illegible]

Halis, Typis orphanitrophei.

JAN 13 1967

3 2044 023 410 905